LIBRARY
OF THE
Theological Seminary,
PRINCETON, N. J.
BX 5037 .U8 1864 v.14
Ussher, James, 1581-1656.
The whole works of the most
Rev. James Ussher, D.D....

THE

WHOLE WORKS

OF THE

MOST REV. JAMES USSHER, D.D.

LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH,

AND

PRIMATE OF ALL IRELAND.

VOLUME XIV.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/wholeworksofmost14ussh

THE

WHOLE WORKS

OF THE

MOST REV. JAMES USSHER, D.D.,

LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH, AND PRIMATE OF ALL IRELAND.

NOW FOR THE FIRST TIME COLLECTED,

WITH A LIFE OF THE AUTHOR,

AND

AN ACCOUNT OF HIS WRITINGS,

BY

CHARLES RICHARD ELRINGTON, D.D.,

LATE REGIUS PROFESSOR OF DIVINITY IN THE UNIVERSITY OF DUBLIN,
AND RECTOR OF ARMAGH.

IN SEVENTEEN VOLUMES.

VOL. XIV.

DUBLIN:
HODGES, SMITH, AND CO.,
PUBLISHERS TO THE UNIVERSITY.
1864.

DUBLIN:
Printed at the University Press,
BY M. H. GILL.

CONTENTS

OF

THE FOURTEENTH VOLUME.

PAG.

I.

Tractatus de Controversiis Pontificiis 1

II.

Prælectiones Theologicæ 199

TRACTATUS

DE

CONTROVERSIIS PONTIFICIIS.

I.

NULLUM ESSE CHRISTIANARUM ECCLESIARUM OMNIUM VISIBILEM MONARCHAM[a].

Si inter Ecclesiæ ministros aliquis unus esset monarcha, tum in Ecclesia ejusmodi dominatio esset admittenda, qualis est principum in gentibus. At ejusmodi dominatio in Ecclesia non est admittenda: ut constat ex Luc. cap. 22. ver. 25. ubi contendentibus Apostolis de primatu Servator noster controversiam hunc in modum dirimit: "Reges gentium dominantur eis, et qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. vos autem non sic." Respondet Bellarminus, tum hoc loco, tum Matth. cap. 20. ver. 26. "Dominum hic non removisse monarchiam ab Ecclesia, sed potius eam instituisse, atque admonuisse diversam esse a monarchia civili gentium:" quam diversitatem ita explicat, "Reges gentium tyranni sunt plerumque, imperantque subjectis, ut servis, et omnia referunt ad suum commodum et gloriam. 2. Etiam illi qui tyranni non sunt, ita regna sua administrant, ut propriam hereditatem, quam filiis derelinquant. At prælati Ecclesiæ non sic." Respondetur: "Imo vero Christus his verbis de ipsa dominatione agit, (eamque simpliciter prohibet) non de dominationis modo. nam 1mo.

[a] Contra Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 9. arg. ex Luc. cap. 22. ver. 25. et Ephes. cap. 4. ver. 12, 13.

id negatur a Christo, quod ambiebatur a Jacobo et Johanne. At neque tyrannicam neque hereditariam aliquam dominationem ambiebant illi, sed ut ipsi proxime sub Christo regnum ipsius administrarent, reliquis omnibus conservis prælati[a]. 2do. Si de modo, non de ipsa dominatione et præeminentia simpliciter respondisset Christus, controversiam inter discipulos ortam nequaquam diremisset; "quis[b] ipsorum futurus esset maximus." Qui enim dicit, respectu authoritatis et præeminentiæ supra reliquos neminem in Christi regno futurum esse maximum, quæstionem tollit: qui autem authoritatem et præeminentiam illam ponit, modo illo tantum negato, quæstionis solutionem omnino non attingit. 3tio. Si respexisset hic Christus ad dominationem tyrannicam vel dominatores ejusmodi, qui omnia referunt ad suum commodum (ut ineptissime fingit Bellarminus) in hujus comparationis protasi minime omnium eos reges nominatos voluisset qui benefici vocarentur. At hujusmodi expressam mentionem fieri voluit[c], 4to. id in comparationis hujus antapodosi negat Christus, quod in protasi expresserat. At in protasi *τὸ κυριεύειν καὶ ἐξουσιάζειν* simpliciter expresserat, de dominandi modo nihil dixerat[d], rem igitur ipsam, non modum Christus intelligi voluit.

Jam rationes quibus monarchiam ex his verbis astruere conatur Bellarminus, examinemus. "Non ait Dominus, vos non præsidebitis ullo modo, sed non sicut reges gentium. Qui autem dicit; Tu non sic præeris ut ille: id significat, præeris quidem, sed aliter quam ille." Respondetur. Non sic simplex est negatio ejus quod præcesserat ut exempla evincunt infinita. Matth. cap. 19. ver. 8. "ab initio non erat sic." Genes. cap. 4. ver. 15. Nehem. cap. 5. ver. 15. et alibi passim. similiter hoc loco: "reges dominantur; vos autem non sic," id est, non dominabimini. 2do. Clare hoc loco subjungitur: 'qui inter vos major est, fiat sicut minor; et præcessor, (Græce *ἡγούμενος* id est dux et princeps,) fiat sicut ministrator.' Unus igitur," inquit Bellarminus, "erat a Domino dux designatus."

[a] Mat. cap. 20. ver. 20, 21.
[b] Luc. cap. 22. ver. 24.
[c] Luc. cap. 22. ver. 25.
[d] Luc. cap. 22. ver. 25.

Respondetur cum Junio. Christus ex hypothesi loquitur, et mente Apostolorum: et Matthæus est optimus interpres verborum ejus dicendo, "quisquis volet magnus esse," et cætera. Non ergo re primas tenebat quisquam, sed animo et cogitatione multi. 3tio "Exemplo suo rem declaravit: 'sicut ego, inquit, non veni ministrari, sed ministrare:' et, 'ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.' et tamen de se dicit 'vocatis[a] me magister et Domine et bene dicitis, sum etenim:' sicut ergo Christus," inquit Bellarminus, "non dominabatur, nec præerat, sicut reges gentium, sed ministrabat et laborabat, et tamen vere præerat, immo et Dominus erat: ita quoque vult unum ex suis vere præesse, sed absque libidine dominandi, qualis est in regibus gentium." Respondetur: inepta accommodatio, humilitatem et ministerium suis omnibus imitanda proponit Servator noster: jus dominandi nusquam. est vero illud Bellarmini somnium, Dominum voluisse unum ex suis vere præesse, cujus in locis citatis nullum reperiri potest vestigium: illam potius constitutionem ex Johanne observare debuisset: "si ego lavi pedes vestros, Dominus et magister existens; et vos debetis alter alterius lavare pedes." Si Dominus et magister vester ad tale ministerium se demisit, multo magis vos, inter quos nulla hujusmodi dominii aut magisterii reperitur inæqualitas.

Si aliquis a Christo institutus fuisset Ecclesiæ Monarcha, non omisisset eum Paulus, ubi ex professo recenset ministrorum gradus a Christo institutos "ad[b] coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, donec evadamus omnes in unitatem fidei." Sed in illa recensione Œcumenici Pastoris nullam omnino facit mentionem. Sic enim ait "ipse[c] dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores." Bellarmini ad hoc argumentum duplex est responsio: Prior: "Pontificatum summum diserte positum ab Apostolo in illis verbis, 'Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.' et clarius[d] ubi ait;

[a] Joh. cap. 13. ver. 13.
[b] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 12, 13.
[c] Epist. ad Ephes. cap. iv. ver. 11.
[d] Epist. ad Corinth. cap. 13. ver. 12.

'Et ipse posuit in Ecclesia primum Apostolos, deinde Prophetas,' summam potestatem Ecclesiasticam non solum datam esse Petro, sed etiam aliis Apostolis: at Petro datam esse ut ordinario pastori, cui perpetuo succederetur, aliis vero tanquam delegatis, quibus non succederetur." Respondeo, primo de primis illis Ecclesiæ temporibus: Si summa Ecclesiæ potestas non solum data fuerit Petro, sed etiam aliis Apostolis, quemadmodum hic agnoscit Bellarminus, manifestum igitur esse, Apostolicis temporibus Ecclesiæ regimen non fuisse monarchicum. Deinde, de temporibus sequentibus: si Romanorum Episcoporum Pontificatus summus sub Apostolorum nomine a Paulo fuerit comprehensus, consequens esse ut Romani Episcopi hac ratione Petro succedant ut Apostolo, non ut alterius generis ministro. At hoc falsum esse confirmat Bellarminus, his ipsis verbis: "Romanus[a] Pontifex proprie succedit Petro, non ut Apostolo, sed ut pastori ordinario totius Ecclesiæ." id quod etiam evincunt argumenta, quibus eodem in loco probat Episcopos Apostolis proprie non succedere, quoniam, "Apostoli non fuerunt ordinarii, sed extraordinarii, et quasi delegati pastores, qualibus non succeditur." frustra igitur in functione Apostolatus, id est, extraordinaria quæ ad successores non transit, ordinarium Pontificatum quærit Jesuita. Sic etiam adversus Episcopos disputat eo loco Bellarminus: "Apostoli poterant scribere libros canonicos, ut omnes fatentur; hoc non possunt Episcopi." assumere similiter potuisset, hoc non possunt Romani Pontifices, ut omnes fatentur; si forte Gratianum exceperis.

Pergit Bellarminus, "Apostoli habuerunt donum linguarum, et miraculorum; non habent Episcopi." addo ego, ne Romanus quidem. his adjici possunt et alia Apostolatus insignia. Apostolos oportebat testes esse resurrectionis Christi[b], ideoque et Christum suis oculis videre[c], non ab hominibus habere vocationem, sed a Jesu Christo[d], neque etiam ab hominibus Evangelium discere, sed per re-

[a] Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 25.
[b] Act. Apos. cap. 1. ver. 22.
[c] 1 Epist. ad Corinth. cap. 9. ver. 1.
[d] Epist. ad Galat. cap. 1. ver. 1.

velationem Jesu Christi[a], quorum nihil magis in Papam competit, quam in alium quemvis Episcopum. ludunt igitur operam Papistæ, quum inter Apostolos Pontifices suos quæritant: "exploravimus[b] enim eos qui se dictitant Apostolos esse, et non sunt, ac comperimus eos esse mendaces." At cum Bellarmino inquient, licet Romanus Pontifex non succedat Petro ut Apostolo, succedit tamen ei ut pastori ordinario totius Ecclesiæ. quin igitur missis Apostolis alibi pastorem illum totius Ecclesiæ ordinarium in Pauli catalogo nobis ostendant: aut fateantur nullum talem a Christo Ecclesiæ datum esse.

Sic igitur secundo rem aggreditur Bellarminus licet paulo diffidentius. "potest," inquit, "responderi, Apostolum hoc loco non delineasse hierarchiam Ecclesiæ: sed tantum enumerasse varia dona, quæ sunt in Ecclesia, et pastorum ac doctorum nomine confuse totam hierarchiam ministrorum Ecclesiæ significavisse." Respondetur: At sine summa impudentia negari non potest, ab Apostolo recenseri ea munera quæ a Christo instituta sunt ad opus ministerii, ut ipse confirmat versu duodecimo, et inter ea nulla alia quam Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum, et Doctorum enumerari, nulla summi Pontificatus facta mentione, quod maximum Ecclesiæ munus constituunt Pontificii. Nam quod summum Pontificatum, quem sub Apostolorum nomine diserte comprehensum tanta confidentia paulo ante affirmaverat, jam quasi confuse sub Pastorum ac Doctorum nomine contentum cogatur quærere; miserrimum sane est perfugium: neque cui Primatus debebatur, in postremum locum ab Apostolo fuerat conjiciendus, et quasi in angulum compingendus: imo Apostoli institutum vel maxime flagitabat, ut hujus unius Pontificis, potius quam aliorum quorumvis, expressa et explicita fieret mentio. Hoc in loco proponit administrationes in Ecclesia institutas "ad[c] coagmentationem sanctorum et ædificationem corporis Christi donec evadamus omnes in unitatem fidei." Dicas vero Bellarmine; "De qua

[a] Epist. ad Galat. cap. 1. ver. 12. [b] Apocal. cap. 2. ver. 2.
[c] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 12, 13.

re agitur, cum de primatu Pontificis agitur? brevissime dicam, de summa rei Christianæ. id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi et concidere." ita judice Bellarmino, qui totidem verbis in Præfatione ad libros de Romano Pontifice ad quæstionem hanc respondet, coagmentatio sanctorum et ædificatio corporis Christi, ab hoc Primatus Romani Pontificis pendet fundamento.

Illa vero unitas fidei, unde? Audiamus rursus, eodem in loco, respondentem Bellarminum "unde consensio in doctrina, vinculum pacis, unitas fidei, quæ est ipsa salus, et vita religionis, nisi ab hac sede?" quamobrem id vero tandem? quia "una[a] fides in Ecclesia esse non potest, si non sit unus summus judex, cui omnes acquiescere teneantur." O igitur obliviosum Apostolum, qui a Pastorum et Doctorum multitudine confuse, non ab hujus summi Pastoris et Judicis singularitate distincte, coagmentationem sanctorum et unitatem fidei voluit arcessere: eo uno prætermisso, quod ad causæ suæ explicationem faciebat maxime. Præstaret vero fortasse simpliciter cum Stapletono[b] agnoscere, neque diserte neque confuse hujus unius Pastoris ab Apostolo factam esse mentionem: propterea quod in illis primitiis Spiritus Sancti non admodum magnus usus fuerit supremi capitis.

[a] Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 9.

[b] Lib. 6. princip. doctr. cap. 16.

II.

DE SCRIPTURARUM PERSPICUITATE.

Bellarminus libro tertio de Verbo Dei, capite primo, hunc statum quæstionis proponit: "Sintne Scripturæ Sacræ per se facillimæ atque apertissimæ, an vero interpretatione indigeant." deinde probandum sibi sumit, "Scripturam obscuram esse, et interprete indigere," ut ex capitis tertii principio licet intelligere: sed pugnat sine adversario. neque enim nostri omnia in Scripturis facillima esse asserunt, ut mentiuntur Rhemenses, in Annotationibus ad Luc. cap. 6. ver. 2. neque Scripturam interpretatione indigere negant. Dicunt cum Augustino, "magnifice[a] et salubriter Spiritum Sanctum ita Scripturas modificavisse, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. nihil enim fere de illis obscuritatibus erui quod non planissime dictum alibi reperiatur." dicunt cum Chrysostomo "omnia[b] necessaria esse aperta et manifesta in Scripturis divinis." Non simpliciter Scripturarum obscuritatem negant, sed tantam esse negant, quantam fingunt Pontificii, qui eo prætextu populum ab earum lectione arcendum esse volunt; et præter Scripturam, Traditiones quoque non scriptas, et infallibilem aliquam authoritatem Catholicæ Ecclesiæ, Scripturam explicantis, et contrarios errores condemnantis, admittendam esse contendunt[c]. Non ergo in eo quæstionis cardo vertitur; utrum ea Scripturarum sit obscuritas, ut interpretatione indigeant: sed utrum omnia quæ ad salutem sunt necessaria, perspicue

[a] Augus. Lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. Op. tom. 3. p. 1. pag. 22.
[b] Chrysos. in 2 Thessal. Homil. 3. Op. tom. 11. pag. 528.
[c] Ex Bavaricorum Jesuitarum assertione in Ratisbonensi colloquio, pag. 329. edit. Monachianæ.

in Scripturis proponantur. sitne Scripturæ obscuritas tanta, ut vulgus Christianorum cum fructu in ejus lectione versari nequeat: aut ut per semetipsam duntaxat explicata ad dirimendas fidei controversias non sufficiat. Tantam vero Scripturis Sacris obscuritatem non esse affingendam, his argumentis adversus Pontificios evincunt Catholici.

I. Quod non est occultum a nobis, ut ex remoto aliquo loco peti necesse sit, sed prope est in ore nostro et corde nostro, id tanta obscuritate non est involutum, quantam fingunt adversarii. Verbum Dei non est ita occultum a nobis, ut ex remoto aliquo loco aut partibus transmarinis, ne Roma quidem, illud petere necesse habeamus, sed prope est in ore nostro et corde nostro. Ergo. Probatur assumptio, ex Deuteronom. cap. 30. ver. 11–14. Respondet Bellarminus bifariam hunc locum intelligi solere: ab aliis quidem non de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest gratiæ auxilium[a]. ab aliis vero de facilitate cognitionis, non quidem Scripturarum Sanctorum, quæ tunc adhuc nulla erant fortasse, sed præceptorum tantum Decalogi, quæ cum sint naturalia, facillime intelliguntur. Verum si prima expositio admittatur: præsupponenda est necessario facilitas intelligendi voluntatem divinam, de qua inter nos controvertitur. cum enim id præstare nemo possit, quod prius non intellexerit: si occulta et remota a nobis fuerit divinæ voluntatis cognitio, non potest obvia esse ejus in actione observatio. Deinde Moses ipse distinguit cognitionem ab actione, tanquam destinatum a fine; et facilitatem cognitionis disertis verbis astruit. "Non[b] est in cœlis, ut dicas; quis ascendet nobis in cœlum, qui sumens afferat illud nobis, et enunciet nobis illud, ut faciamus illud. neque est ultra mare, ut dicas; quis transibit nobis trans mare, qui sumens illud afferat nobis, et enunciet nobis illud, ut faciamus illud." Quod vero ad alteram expositionem attinet, etiamsi ponamus de facilitate cognitionis præceptorum tantum Decalogi

[a] Bellarm. de grat. et Lib. arbitr. Lib. 5. Cap. 6. posteriorem expositionem priori pluribus nominibus præfert.

[b] Deuteron. cap. 30. ver. 12. 13.

hic agi; cum tamen constet et Mosem et alios Prophetas ubique fere in scriptis suis eadem præcepta repetere et plenius explicare; etiam hinc erit consequens maximam Scripturarum partem non esse difficilem intellectu: nisi putandum, ipso textu difficiliores esse habendos commentarios. Deinde falsum est, Mosem hic tantum agere de facilitate cognitionis præceptorum Decalogi, quæ quod naturalia essent, facillime possent intelligi. Nam in versu decimo, textum a nobis citatum immediate præcedente, et præceptorum meminit (moralium utique) et statutorum sive ceremoniarum, ut recte vulgatus interpres exposuit: quibus etiam in sequentibus, et judicia (sive judicialia mandata) adjungit versu 16. ne ad moralia tantum sive naturalia præcepta respexisse existimemus. Imo respexisse eum ad cognitionem voluntatis divinæ, quæ Sacris Scripturis fuerat declarata ex verbis illis versus decimi manifestum est, "Si auscultaveris voci Jehovæ Dei tui, observando præcepta ejus, statuta ejus; quicquid scriptum est in libro hoc legis: si conversus fueris ad Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, et toto animo tuo." Deinde subjiciuntur verba a nobis citata: "nam præceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie, occultum non est a te, neque longinquum." Ut inscite admodum quæstionem moverit Bellarminus, an Scripturæ ullæ tum extiterint: cum hoc ipsum novissimum Mosis scriptum esse constet; et a cœpta promulgatione primæ partis Deuteronomii, usque ad Mosis excessum dies tantum 37. aut non multo plures interfluxerint; quemadmodum ex Deuteron. cap. 1. ver. 3. collato cum cap. 34. ver. 8. et Josh. cap. 2. ver. 2. et cap. 4. ver. 19. intelligitur. Quare dubium non est reliquos libros Mosaicos ante postremam hanc legis repetitionem fuisse editos, ut non locum Exod. cap. 24. ver. 4–7. et cap. 34. ver. 27. et alia testimonia, in re clarissima, adhibere necesse sit. postremo hæc ipsa verba quæ de præceptis Dei in legis volumine comprehensis usurpat Moses, ad verbum fidei pariter accommodat Paulus[a], ne ad præcepta tantum naturalia restringi posse arbitremur; neque ad alias partes divinæ voluntatis ea-

[a] Rom. cap. 10. ver. 8.

dem ratione, qua Decalogi præcepta, patefactas, similiter pertinere.

II. Quod lucidum est, et illuminat oculos, lucerna est et lumen, id ita clarum est ut in rebus dubiis certam sententiam ostendere, et a Christianis magno cum fructu adiri possit. At verbum Dei est ejusmodi. Ergo. Probatur assumptio ex Psalmo 19. ver. 19. "præceptum Jehovæ purum est, illuminans oculos." Psal. 119. ver. 205. "lucerna pedi meo verbum tuum est, et lux itineri meo." et ver. 130. "aditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simplices." et Proverb. cap. 6. ver. 23. "nam lucerna præceptum est, et doctrina lux." Bellarminus duas hic affert solutiones sibi invicem repugnantes. 1. "non agi hoc loco de universis Scripturis, sed tantum de præceptis Dominicis quæ dicuntur lucida, lucerna et lux; quod intellecta et cognita dirigant hominem in operando." Respondetur: male restringitur ad præcepta Dominica stricto modo accepta, quod de universa doctrina Scripturarum est intelligendum. Instituta collatione inter cognitionem Dei ortam ex creaturis et ex divina revelatione in Scripturis patefacta, demonstrare voluit majorem esse cognitionem quæ habetur ex verbo Dei revelato quam ex creaturis: ut in altera solutione confirmat ipse Bellarminus. Itaque illud præceptum, illud verbum, illa doctrina quam David intelligit, commendatur ut perfectæ sapientiæ magistra[a]: eoque respectu sapientiæ a creaturarum contemplatione acceptæ opponitur, ut imperfectæ; at in tota Scriptura, non in præceptis moralibus solitarie consideratis, invenitur hæc perfectio. præterea Propheta in utroque Psalmo, remissionis peccatorum, regenerationis, promissionum misericordiæ divinæ tanquam veræ hujus sapientiæ partium meminit[b], et effecta hujus verbi commemorat lætitiam spiritualem, &c. quæ ad Evangelium, non ad præcepta legis moralis spectant. adde quod Bellarminus, in responsione ad primum nostrum argumentum, plane asserit, Davidem in Psalmo 119. "nomine legis non intelligere decem præcepta solum sed omnes divinas Scriptu-

[a] Psal. 19. ver. 8. et 119. ver. 96.

[b] Psal. 19. ver. 13, 14. et 119. ver. 49, 50. 76. 88. 116. 132.

ras," ea significatione qua Dominus utitur in Evangelio, cum ait: "ut[a] adimpleatur quod in lege eorum scriptum est, quia odio habuerunt me gratis." Nec sane dubium esse potest, prophetam in Psalmo illo nomine verbi, legis, judiciorum, testimoniorum, præceptorum, statutorum, totum Dei verbum intellexisse: ejusque totius, non partis tantum alicujus, intelligentiam toties in illo Psalmo a Deo flagitavisse. Itaque ab hoc præsidio dejectus Bellarminus, 2. "dici posse ait, agi quidem hic de Scripturis omnibus; (quod in priore solutione negavit:) sed Scripturas dici lucidas, immo lucem et lucernam, non quod facile intelligantur, sed quod intellecta cum fuerint, mentem illustrant." Respondetur: verum est, Scripturas non nisi intellectas mentem illustrare et viam Christiano homini ostendere: quemadmodum certum est, lucernam non nisi visu perceptam, iter in tenebris monstrare posse, ut tamen ridiculus fuerit qui dicat, lampadem vel facem recte dici lucidam, immo lucem et lucernam, non tamen quod ipsa facile possit conspici sed quod conspecta cum fuerit, viam illustrat: ita non minus vanus fuerit, qui persuadere nobis velit, Scripturas dici lucidas, immo lucem et lucernam, non quod ipsæ facile possunt intelligi, sed quod intellectæ cum fuerint, mentem illustrant. Nam propter lucernæ lumen, conspicuæ fiunt res circumpositæ: præsupponit hoc necessario, ipsam lucernam propter hoc innatum sibi lumen multo magis esse conspicuum, omninoque absurdum est, ut lux vel lucerna dicatur aliquid, quod ipsum in se tenebricosum sit et obscurum. Deinde, etsi ad rationem lucis pertineat, ut intuentem illustrare eique monstrare viam possit: non tamen in eo posita est natura ejus ut actu cernatur, neque desinit esse lux, si desit qui ejus beneficio fruatur. At si Bellarmini sophisticam admittamus, tota lucis ratio pendebit ab aspectu nostro, ut tunc demum lucerna verbi gratia, vel Scriptura, lux sit, et dicatur, si adsit qui vel visus acie illam vel mentis acie hanc velit percipere; lux vero nec sit nec dicatur, quandocunque vel oculis quis captus est ut non possit, vel claudit oculos ut non velit,

[a] Johan. cap. 15. ver. 25.

lumen propositum aspicere. Concludamus ergo Scripturam non alia ratione lucem et lucernam dictam, quam quod claritatem in se habeat; quæ deinde aliis proposita, mentes eorum illustrat, et viam ad vitam commonstrat; sicque potest percipi, quemadmodum posita lucerna ab iis omnibus cernitur, qui aut cæci non sunt aut oculos alio non avertunt.

III. Qui ad hoc delecti et vocati sunt ut lux essent mundi, tum in prædicatione tum in scriptis ad mundum instruendum editis lucidi esse debebant. at hæc Apostolorum erat vocatio, ut lux essent mundi. "vos[a] estis lux mundi." Duo respondet Bellarminus. 1. loqui Dominum, de luce exemplorum probitatis et morum, ideoque subjicere continuo "sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona." Respondetur: imo de utraque luce loquitur Christus et vitæ et doctrinæ; sed de hac præcipue, utpote parte principali officii Apostolici. Itaque ut hic lux mundi, ita in versu præcedente sal terræ dicti sunt respectu salvificæ doctrinæ ab eis in mundo sparsæ: et in consequentibus, vita et doctrina simul conjunguntur, "quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis, et ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; quisquis autem fecerit et docuerit, iste magnus vocabitur in regno cœlorum." Postremo qua in re mundum illustrarunt Apostoli, ea re lux fuisse mundi negari non possunt. at non vita tantum, sed etiam doctrina, tum viva voce prædicata tum scriptis tradita, mundum illustrarunt: imo lux, qua jam fulgent mundo, ex scriptis tantum peti potest. Ergo. Itaque ad alterum perfugium in defensione secundi argumenti a nobis dejectum, denuo se recipit Bellarminus et respondet 2. "si loqueretur Dominus de luce doctrinæ, non esse sensum, Apostolorum Scripturas esse facillimas ad intelligendum, sed intellectas illustrare mentem, et erudire de rebus altissimis, et tenebras errorem omnium effugare." Respondetur, ut lucem mundi Dominus vocavit Apostolos, ita porro addidit, sic accendendam fuisse eorum lucernam, ut non poneretur subter modium, sed

[a] Matth. cap. 5. ver. 14.

super candelabrum; quo posset splendere omnibus qui sunt in domo. At si ita obtecta esset lux, quemadmodum fingunt tenebriones Pontificii, ut cerni ipsa difficulter posset: quomodo posset splendere omnibus qui sunt in domo? nisi forte cum Bellarmino dicamus, lucernam etiam subter modium positam, dici tamen posse splendere omnibus qui sunt in domo: non quod ipsa facile cerneretur, sed quod tenebras dispelleret, si cerneretur. qua ratione etiam si Scythis lingua Græca prædicarent Apostoli, ex Bellarmini tamen sententia lucere dicerentur, imo lucerna et lux dici possent: non quod prædicatio eorum esset facillima ad intelligendum, sed intellecta illustraret mentem et erudiret de rebus altissimis, et tenebras errorem omnium effugaret. Ipse quoque Heraclitus, qui ab obscuritate Σκοτεινου nomen adeptus cujusque natatore aliquo Delio librum indigere dixit Crates, lux tamen et lucerna philosophis dici posset, non quidem quod facile posset intelligi, sed quod intellectus de rebus altissimis erudiret:

> Ὀρφνὴ καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον· ἢν δέ σε μύστης
> Ἐισαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

ut est in epigrammate de eo scripto, apud Laertium. explosis igitur Bellarmianis ineptiis, concludamus, quum Apostoli vocati fuerint ut lucem ferrent mundo, ideoque operam dederint ut prædicatione sua doctrinam Evangelii non obscurarent sed quam lucidissime traderent; dubitari non posse, quin scriptis eandem doctrinam posteritati tradituri, non tenebris eam involvere, sed perspicuo sermonis genere proponere voluerint.

IV. Lucerna splendens in obscuro loco, non potest ipsa fingi tenebricosa et obscura. at Scriptura Prophetica est lucerna splendens in obscuro loco: "habemus[a] firmissimum sermonem Propheticum, cui recte facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco[a]." Respondet Bellarminus "hoc etiam loco Prophetarum voces vocari lucernam, non quia facile intelligantur sed quia intellectæ illuminant, et ostendunt ad Christum, qui est verus Sol justitiæ." Sed hoc

[a] 2 Petr. cap. 1. ver. 19.

responsum jam semel atque iterum, in defensione secundi et tertii argumenti, a nobis profligatum est: est sane ridiculum. Sin lucerna illuminet, et iter ostendat; consequens est ipsam facile videri posse, quandocunque oculis fuerit proposita, et sive quis eam aspexerit, sive non, semper tamen natura sua lucidam remanere. Imo interim dum plenum intellectum expectamus, quando elucescet dies et lucifer exoriturus est in cordibus nostris, Christianos attendere vult Apostolus sermoni Prophetico, tanquam lucernæ huc nos dirigenti; non ab ejus contemplatione Christianos deterret, quemadmodum faciunt Pontificii, tanquam et ipse Propheticus sermo tenebris esset involutus; nec claram doctrinam proponeret, quæ certa nobis veritatis itinera possit ostendere. Si ipsa lucerna, quæ in hunc finem data est ut splendeat in obscuro loco et tenebras dispellat, Pontificiorum oculis tenebræ videantur: tenebræ illorum quantæ.

V. Quod non nisi reprobis, qui vel cæci sunt, vel oculos ad veritatem claudunt, obscurum est, id per se et natura sua apertum est. Evangelii doctrina ab Apostolis tradita, non nisi hujusmodi hominibus obscura est, "quod[a] si tectum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est: in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Christi; qui est imago Dei." Respondet Bellarminus, "Apostolum non loqui de intelligentia Scripturarum sed de cognitione et fide in Christum, quam Apostoli prædicabant." Respondetur [*cætera desunt*].

[a] 2 Epist. ad Cor. cap. 4. ver. 3, 4.

III.

DE UNITATE FIDEI.

Ut unus est Ecclesiæ Dominus, ita una est Ecclesiæ fides[a], atque hunc in finem institutum in Ecclesia ministerium ostendit Apostolus, "ut[b] evadamus omnes in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei in virum perfectum; nec pueri amplius simus qui fluctuemus et circumferamur quovis vento doctrinæ." Hinc Hieronymus (vel quisquis illorum commentariorum author fuit) "Ecclesia[c] ex pluribus personis congregatur, et tamen una dicitur, propter unitatem fidei." et Basilius, "εἰ[d] γὰρ ἄλλοτε ἄλλας δεῖ πίστεις συγγράφειν, καὶ μετὰ τῶν καιρῶν ἀλλοιοῦσθαι, ψευδὴς ἡ ἀπόφασις τοῦ εἰπόντος, εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα. Si alias licet atque alias fidei confessiones conscribere et pro temporum varietate mutare; falsa est sententia ejus qui dixit: unus dominus, una fides, unum baptisma."

Ut hæc fidei unitas in Ecclesia conservetur, requiritur ut eadem sit communis credendi regula. Ita fideles hortatur Apostolus "Τῷ[e] αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, eadem incedere regula, idem sapere." et inquit idem, "καὶ[f] ὅσοι τῷ κάνονι τούτῳ στοιχήσουσι, et quicunque secundum hanc regulam incedent, pax erit super eos et misericordia et super Israelem Dei." Illam etiam Unam, Antiquam, et Catholicam Ecclesiam quam veneramur, "εἰς[g] ἑνότητα πίστεως μιᾶς τῆς κατὰ τὰς οἰκείας διαθήκας,

[a] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 5. [b] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 13. 16.
[c] Hieron. Breviar. in Psal. 23. Op. tom. 2. app. pag. 177.
[d] Basil. Epist. 226. Op. tom. 3. pag. 348.
[e] Epist. ad Philipp. cap. 3. ver. 16. [f] Epist. ad Galat. cap. 6. ver. 16.
[g] Clem. Alex. Lib. 7. Strom. Op. pag. 751.

μᾶλλον δὲ κατὰ τὴν διαθήκην τὴν μίαν διαφόροις τοῖς χρόνοις, in unitatem unius fidei, quæ est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento quod est unum diversis temporibus," electos congregare notat Clemens Alexandrinus, unitatis fidei fundamentum in unitate hujus ponens regulæ. Contra Paulus Samosatenus "ἀποστὰς[a] τοῦ κανόνος ἐπὶ κίβδηλα καί νόθα διδάγματα μετελήλυθε, a doctrinæ regula discedens ad adulterinam et depravatamque doctrinam se transtulit," ut in epistola adversus illum scripta referunt Antiocheni concilii patres: recteque Basilius Magnus in oratione de judicio Dei dissidiorum quæ in Ecclesia reperiuntur originem ad hunc fontem refert, "quod[b] relicta Domini nostri Jesu Christi doctrina, unusquisque rationes ac regulas quasdam propria sibi authoritate asserat ac vindicet malitque contra Domini præcepta ipse imperare quam ipsi parere." Quod planius explicat Isodorus Pelusiota, "Τὸ[c] τὴν ἀνάγνωσιν κατεῤῥυθμῆσθαι τῶν θείων γραφῶν, καὶ τὸ ἕκαστον τὰ οἰκεῖα πάθη τῶν θείων προκρίνειν χρησμῶν, τῶν τοσούτων τραγωδιῶν αἴτιον γέγονε. Quod lectio sacrarum literarum destructa est et corrupta, et quod unusquisque suos affectus divinis oraculis præfert, ea res tantarum tragœdiarum et calamitatum causa est." "Καθάπερ[d] γὰρ οἱ τοὺς κανόνας διδόντες οὐκ ἀναγκάζουσι μυρία μέτρα περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ τὸ δοθὲν ἐκεῖνο κατέχειν κελευούσι· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν δόγματων. Ἀλλ' οὐδεὶς βούλεται ταῖς γραφαῖς προσέχειν. εἰ γὰρ προσειχομεν, οὐ μόνον οὐκ ἂν περιεπέσομεν τῇ ἀπάτῃ, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους ἀπατωμένους απηλλάξαμεν ἂν, καὶ τῶν κινδύνων ἐξειλκύσαμεν. Nam quomodo qui dant regulas non necesse habent mensuras innumerabiles curiose inquirere, sed illam quæ data fuit jubent tenere: ita etiam in dogmatibus. sed nemo vult attendere Scripturis: nam si attenderemus, non solum non incideremus in fallaciam, sed etiam alios deceptos inde liberaremus et de periculis abstraheremus." Ita eleganter Chrysostomus. "A nobis[e] con-

[a] Euseb. Hist. Eccles. lib. 7. cap. 30. [b] Basil. Op. tom. 2. pag. 214.
[c] Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 133. Op. pag. 488.
[d] Chrysost. in Hebr. cap. 6. Hom. 8. Op. tom. 10. pag. 89.
[e] Gretser. Respons. ad theses Hunnianas cap. 8.

tra," ut ait suorum nomine Gretserus Jesuita, "sonora voce proclamatur, nos in rebus ad doctrinam, fidem, cultum et salutem pertinentibus alias regulas, canones atque normas, quæ certæ sint et indubitatæ, præter scriptum Dei verbum, nosse et agnoscere, sancteque venerari." Imo Scriptura, si alios illius farinæ audire volumus, "non est idonea credendi regula," sic in consultatione sua, ratione undecima, scribit Leonardus Lessius; estque ipsa, "regulanda ex Ecclesiæ præscripto, non contra hæc ex illa," ita Bartholomæus Carranza loquitur. Edita denique sunt scripta illa "non[a] ut præessent fidei religionique nostræ, sed subessent potius," quæ Alberti Pighii profana vox est.

Ut semel igitur patentem illam errorum et dissidiorum omnium fontem obstruamus, et quænam fidei unitas in Ecclesia Catholica quærenda sit certius intelligamus, tenendum illud est in primis, ut Principii et Fundamenti, ita etiam et Regulæ considerationem esse duplicem. Horum enim nominum complexu, primo quidem verbum ipsum Dei, res fidei certo et infallibiliter nobis patefaciens, deinde primariæ fidei veritates in verbo illo revelatæ comprehenduntur. Principium fidei, ut appellant, doctrinale, per quod dogmatum omnium ad fidem pertinentium veritas demonstratur, est verbum Propheticum et Apostolicum. "Habemus[b] firmissimum sermonem propheticum," inquit Petrus, "quem bene facitis quod attendatis velut lucernam splendentem in obscuro loco." At principium fidei, ut ita dicam, materiale res ipsa est, quæ primo et principaliter cuique Christiano credenda proponitur. Eam appellat Paulus "*τὸν*[c] *τῆς ἀρχῆς τοῦ* Χριστοῦ *λόγον*, quasi primum Christianismi principium," et "*τὰ*[d] *στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ*, elementa principii eloquiorum Dei," eaque ratione conclusiones fidei a fidei principiis passim schola distinguit.

[a] Albert. Pighii, lib. 1. Hierarch. Eccles. cap. 2.
[b] 2 Pet. cap. 1. ver. 19. [c] Epist. ad Heb. cap. 6. ver. 1.
[d] Epist. ad Heb. cap. 5. ver. 12.

Similiter et fundamentum est ipsa primum revelatio Prophetis et Apostolis facta, cui innititur fides nostra, dum credimus. Innititur enim fides nostra, ut recte docuit Thomas, "revelationi[a] Prophetis et Apostolis factæ, qui canonicos libros scripserunt; non autem revelationi, si qua fuit, aliis doctoribus factæ." Fundamenti deinde nomen obtinent primaria doctrinæ revelatæ capita, quibus credimus; inter quæ et alia diligenter distinguendum esse monet Augustinus. "Alia[b] sunt," inquit, "in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius. Hoc autem unde nunc agimus ad ipsa fidei pertinet fundamenta." Priori respectu dicimur "superstructi[c] super fundamentum Apostolorum et Prophetarum;" posteriori jactum ab Apostolis dicitur "fundamentum[d] resipiscentiæ ab operibus mortuis et fidei in Deum, baptismatum doctrinæ ac manuum impositionis, resurrectionis mortuorum et judicii æterni." Primus vero et imus fundamenti lapis adeoque fundamenti fundamentum est ipse Jesus Christus[e]. Pari ratione est regula, ut ita dicam, regularis, ad quam veritas dogmatum omnium, quæ nobis credenda proponuntur, exploranda est; cujusmodi "ἀκριβῆ[f] ζυγὸν ἁπάντων καὶ γνώμονα καὶ κανόνα, exactam omnium trutinam et gnomonem ac regulam," sacras esse Scripturas confirmat Chrysostomus: quas ideo quoque canonicas appellatas concedit ipse Andradius "quia[g] pietatis, fidei et religionis canonem, hoc est, regulam atque normam e cœlis summo Dei beneficio ad nos delatam continent amplissimam." Est præterea et regula, si ita dicere liceat, regulata, summa nimirum doctrinæ sacræ in libris propheticis et apostolicis

[a] Thom. in. Summ. par. 1. quæst. 1. Artic. 8. ad. 2.

[b] Augustin. lib. 1. contra Julianum Pelag. cap. 6. op. tom. 10. pag. 510.

[c] Epist. ad Ephes. cap. 2. ver. 20. [d] Epist. ad Heb. cap. 6. ver. 1, 2.

[e] Isai. cap. 28. ver. 16. Epist. ad Ephes. cap. 2. ver. 20. Epist. 1. ad Cor. cap. 3. ver. 11.

[f] Chrysost. Hom. 13. in 2. Corin. op. tom. 10. pag. 537.

[g] Andrad. defen. fid. Trident. lib. 3.

comprehensæ: quam Paulus modo "τὴν[a] μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας, informationem cognitionis ac veritatis," modo "τύπον[b] διδαχῆς, formam doctrinæ," aliquando etiam "ὑποτύπωσιν[c] ὑγιαινόντων λόγων, expressam formam sanorum sermonum." Irenæus[d] et Tertullianus[e] "regulam veritatis" appellant, atque in hujus utriusque regulæ consideratione unitatis fidei conservatio consistit. "Ecclesia enim Christi non ob eam rem solum ab unitate fidei et doctrinæ una est ac dicitur, quoniam omnes qui sunt ejus membra in eadem fide atque doctrina, quamdiu quidem sunt ejus membra, consentiant actu: sed ob id in primis ab unitate fidei et doctrinæ dicitur Ecclesia una, quoniam modum atque rationem ipsa tenet accomodatissimam ad consensionem fidei et doctrinæ tuendam," ait Gregorius[f] de Valentia. De modo et ratione hac quænam veteris Ecclesiæ doctorum fuerit sententia tum ex iis quæ jam producta sunt, tum ex sequente Chrysostomi testimonio promptum est colligere. "Ἔρχεται[g] Ἕλλην," inquit ille, "καὶ λέγει, ὅτι βούλομαι γενέσθαι χριστιανὸς, ἀλλ' οὐκ οἶδα τίνι προσθῶμαι. μάχη παρ' ὑμῖν πολλὴ καὶ στάσις· πολὺς θόρυβος. ποῖον ἕλομαι δόγμα; τί αἱρήσομαι; ἕκαστος λέγει, ὅτι ἐγὼ ἀληθεύω. τίνι πεισθῶ, μηδὲν ὅλως εἰδὼς ἐν ταῖς γραφαῖς; κἀκεῖνοι τὸ αὐτὸ προβάλλονται. Venit Gentilis ac dicit: vellem fieri Christianus, sed nescio cui adheream. multæ inter vos sunt pugnæ, seditiones ac tumultus: nescio quod dogma eligam, quod præferam. singuli dicunt, ego verum dico. cui credam nescio: quum ego Scripturarum sim ignarus, et illi utrinque idem prætexunt." Respondet Chrysostomus: "πάνυ[h] γε τοῦτο ὑπὲρ ἡμῶν. Ἐι μὲν γὰρ λογισμοῖς ἐλεγόμεν πείθεσθαι, εἰκότως ἐθορύβου. Ἐι δὲ ταῖς γραφαῖς λέγομεν πιστεύειν· αὗται δὲ ἁπλαῖ και ἀληθεῖς, εὔκολόν σοι τὸ κρινόμενον· εἴ τις ἐκείναις συμφωνεῖ,

[a] Epist. ad Rom. cap. 2. ver. 20.
[b] Epist. ad Rom. cap. 6. ver. 19. [c] Epist. 2. ad Tim. cap. 1. ver. 13.
[d] Iren. lib. 1. cap. 22. op. pag. 98.
[e] Tertull. adv. Hermogerem. cap. 1. op. pag. 233.
[f] Analys. fid. lib. 6, cap. 4.
[g] Chrysost. in Act. Apos. Hom. 33. op. tom. 9. pag. 258.
[h] Ibid.

οὗτος χριστιανός· εἴ τις μάχεται, οὗτος πόῤῥω τοῦ κανόνος τούτου. Sane hic multum pro nobis. nam si quidem diceremus nos rationibus credere, mente turbareris: sed quum Scripturis dicimus nos credere, et illæ simplices sunt ac veræ, facile tibi fuerit judicare. Si quis illis consentit, Christianus est; si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone." "*Ὥσπερ*[a] *γὰρ*, addit postea idem, *εἰ κανὼν τις ἦν πρὸς ὃν πάντα ἀπευθύνεσθαι ἐχρῆν, οὐ πολλῆς ἔδει σκέψεως· ἀλλὰ τὸν παραμετροῦντα εὔκολον ἦν λαβεῖν, οὕτως καὶ νῦν*, nam sicut si regula esset, secundum quam omnes dirigi oportebat, non multa opus esset disquisitione sed male metientem facile deprehenderemus: ita et nunc." Nec aliam assignat rationem Augustinus quare inter gentilium philosophos "dissenserunt[b] ita magistris discipuli et inter se condiscipuli, nisi quia ut homines humanis sensibus et humanis ratiocinationibus ista quæsierunt: quid enim agit, aut quo vel qua, ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infœlicitas, si divina non ducit authoritas?" Istorum autem dissensionibus concordem Ecclesiæ sensum sic opponit, "At[c] vero gens illa, ille populus, illa civitas, illa respublica illi Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo pseudoprophetas cum veris prophetis pari licentia confuderunt, sed concordes inter se atque in nullo dissentientes, sacrarum literarum veraces ab eis agnoscebantur et tenebantur auctores. Ipsi eis erant philosophi, hoc est, amatores sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi theologi, ipsi prophetæ, ipsi doctores probitatis atque pietatis. Quicunque secundum illos sapuit et vixit, non secundum homines sed secundum Deum, qui per eos locutus est, sapuit et vixit." Addit Hieronymus, "Ecclesia[d] Christi, quæ habitat bene et in toto orbe ecclesias possidet, spiritus unitate conjuncta est, et habet urbes Legis, Prophetarum, Evangelii et Apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis sanctis." Istis finibus Ecclesia Catholica se circumscribi libentissime patitur.

[a] Chrysost. in Act. Apos. Hom. 33. op. tom. 9. pag. 260.

[b] Augustin. de Civit. Dei, lib. 18. cap. 41. op. tom. 7. pag. 522.

[c] Ibid. pag. 523. 524.

[d] Hieron. in Michææ. cap. 1. op. tom. 3. pag. 1503.

Contra tum Hæreticorum omnium, tum ipsius Antichristi notam hanc facit Chrysostomus, quod aliunde quam per Scripturarum ostium in ovile velint ingredi. Quare vero Scripturis ostii nomen tribuatur, ita explicat: *αὗται*[a] *γὰρ ἡμᾶς προσάγουσι τῷ Θεῷ καὶ τὴν θεογνωσίαν ἀνοίγουσιν· αὗται πρόβατα ποιοῦσιν· αὗται φυλάττουσι, καὶ τοὺς λύκους οὐκ ἀφιᾶσιν ἐπεισελθεῖν. καθάπερ γάρ τις θύρα ἀσφαλὴς, οὕτως ἀποκλείει τοῖς αἱρετικοῖς τὴν εἴσοδον, ἐν ἀσφαλείᾳ καθιστῶσα ἡμᾶς περὶ ὧν ἂν βουλώμεθα πάντων, καὶ οὐκ ἐῶσα πλανᾶσθαι. κἂν μὴ παραλύσωμεν αὐτὴν, οὐκ ἐσόμεθα εὐχείρωτοι τοῖς ἐχθροῖς. διὰ ταύτης καὶ τοὺς ποιμένας καὶ τοὺς οὐ ποιμένας εἰσόμεθα ἅπαντας.* Ipsa enim nos ad Deum ducunt et ejus nobis cognitionem aperiunt. ipsæ oves faciunt, ipsæ custodiunt neque lupos irrumpere permittunt. Nam, velut firmum ostium, hæreticis præcludit ingressum, tutos nos constituens in omnibus quæ velimus, et seduci nos non sinens. Et nisi illud infringamus, non facile ab inimicis nostris expugnabimur. Inde eos omnes qui pastores vel sunt vel non sunt facile intelligemus." Et paulo post: "*ὁ μὴ ταῖς γραφαῖς χρώμενος, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν· τουτέστιν, ἑτέραν ἑαυτῷ καὶ μὴ νενομισμένην τέμνων ὁδόν· οὗτος κλέπτης ἐστί.* Qui sacris non utitur Scripturis, sed ascendit aliunde, id est, non concessa via, fur est." Falsos illos pastores venturos ad nos prædixit Servator, "in[b] vestimentis ovium" cum intus lupum gererent, et ideo "vigilans sensus," ut recte monet Origenes, "et[c] mens intenta requiritur quæ probare noverit vel ovis in propatulo simplicitatem vel lupi latentem rapacitatem. Unde vide quam proximi periculo fiant qui exerceri in divinis literis negligunt, ex quibus solis hujusmodi examinationes agnoscenda discretio est." In Gregorii Nysseni de anima et resurrectione dialogo pro fundamento ponitur cui nemo contradixerit (adeo res ista temporibus illis posita erat extra omnem controversiam) *ἐν*[d] *τούτῳ μόνῳ τὴν ἀλήθειαν τίθεσθαι ᾧ σφραγὶς ἐπέστι τῆς γραφικῆς μαρτυρίας,*

[a] Chrysostom. in Joannem, Hom. 59. op. tom. 8. pag. 346.
[b] Matth. cap. 7. ver. 15.
[c] Origen. in Epist. ad Rom. lib. 10. cap. 35. op. tom. 4. pag. 684.
[d] Greg. Nyss. Op. tom. 3. pag. 207.

in eo solo, cui Scripturarum testimonii adest sigillum, veritatem ponendam esse," estque Basilio φανερὰ[a] ἔκπτωσις πίστεως καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, manifesta est fidei eversio et superbiæ argumentum aut respicere aliquid eorum quæ scripta sunt aut aliquid quod scriptum non sit inducere."

Videamus jam quid Hæretici veteres et posteriores Antichristi, hoc est, ipsi lupi de sacrosancto hoc canone sentiant. "Cum[b] enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant neque sint ex auctoritate et quia varie sunt dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam sed per vivam vocem, ob quam causam et Paulum dixisse, 'sapientiam autem loquimur inter perfectos.'" "Confitentur[c] quidem nihil Apostolos ignorasse, nec diversa inter se prædicasse, non tamen omnia volunt illos omnibus revelasse: quædam enim palam et universis, quædam secreto et paucis demandasse: quia et hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum: 'O Timothee depositum custodi.' Et rursum: 'Bonum depositum serva.'" Hæc de veteribus hæreticis, Antichristi præcursoribus, Irenæus et Tertullianus scriptores antiquissimi, qui eodem pencillo hodiernos nostros Pontificios graphice admodum depinxerunt.

Cui enim rei assimilant isti scriptum Dei verbum? et quanam comparatione comparant illud? "est[d] instar vaginæ," inquit Costerus Jesuita, "quæ quemlibet gladium admittit non modo chalybeum, sed etiam plumbeum, ligneum, æreum: patitur enim se quavis interpretatione trahi," "Veluti[e] nasus cereus est:" aiunt, ex eodem sodalitio, Censores Colonienses. Posteri[f] grata sana et pereleganti metaphora Scripturam vocarunt "ceream, ejusque

[a] Basil. de fide, op. tom. 2. pag. 224.

[b] Iren. contra Hæres. lib. 3. cap. 2. op. pag. 174.

[c] Tertull. de præscript. Hæret. cap. 25. op. pag. 210.

[d] Coster. Enchirid. cap. 1. pag. 44. edit. an. 1600.

[e] Cens. Colon. in Monhem. Dialog. 4. pag. 112. edit. An. 1582.

[f] Schol. ad cap. 39. Præscr. Tertulliani adv. hæret.

cereum nasum dixere, quia possit ad libitum quocumque flecti. Tam facile est enim, immo facilius est, ad res profanas et impias probandas detorquere Sanctam Scripturam, quam facile est ex pedibus ac semipedibus, aut penthemimeribus Virgilianis, epithalamia seu quidvis aliud in unum congerere." Ita de Scripturis Sanctis loquuntur, Johannes Quintinus Heduus et Jacobus Pamelius. De iisdem Albertus Pighius "sunt[a] illæ (ut non minus vere quam festive dixit quidam) velut nasus cereus, qui se horsum, illorsum, et in quam volueris partem, trahi, retrahi, fingique facile permittit: et tanquam plumbea quædam Lesbiæ ædificationis regula, quam non sit difficile accommodare ad quidvis volueris." et ut Scripturas accusando, quasi varie sint dictæ, produnt isti sese germanos illorum esse posteros, quos "lucifugas[b] Scripturarum" Tertullianus nominat: ita ab iisdem ad traditionem non scriptam appellando, patrissant quoque.

Melchior Canus quatuor hic ponit "fundamenta[c], quæ Theologiæ Fideique (puta Pontificiæ: quod summopere notandum) simul nervos ac vires continent. 1. Ecclesiam[d] esse antiquiorem Scriptura, fidemque proinde ac religionem sine Scriptura constare. 2. non omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, esse etiamnum in Sacris Literis expressa. 3. multa pertinere ad Christianorum doctrinam et fidem, quæ nec aperte nec obscure in Sacris Literis continentur. 4. Apostolos maximis de causis alia quidem literis, alia autem viva voce prodidisse." Inter alias vero et hanc assignat quod "consentaneum erat, mysteria quædam, præsertim sacra clam populo rudi habere, perfectis et majoribus seorsum communicanda." et ad id probandum, illos producit textus, quibus in eadem causa veteres abusi sunt hæretici. "Sapientiam autem loquimur inter perfectos." et "bonum depositum custodi." priorem quoque locum urget Bellarminus, ad astruendam "dignitatem[e] mysteri-

[a] Alb. Pigh. Hierac. Eccles. lib. 3. cap. 3.
[b] Tertullian. de Resurrect. carn. cap. 47.
[c] Can. loc. theol. lib. 3. cap. 2. [d] Id. lib. 3. cap. 3.
[e] Bellarm. de verbo Dei, lib. 4. cap. 8.

orum multorum, quæ silentium requirunt; nec decet ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur."

Quid igitur hic dicendum? "dico[a]" inquit Bellarminus, "Scripturam, etsi non est facta præcipue, ut sit regula fidei, esse tamen regulam fidei, non totalem, sed partialem. Totalis enim regula fidei est verbum Dei, sive revelatio Dei Ecclesiæ facta; quæ dividitur in duas regulas partiales, Scripturam et Traditionem." Synodus quoque Tridentina[b], libros scriptos et sine scripto Traditiones "pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur:" quod a nulla Christiana Synodo unquam antea factum. Imo patribus audacior factus Scioppius apostata, (qui ut Pontificiorum factus est proselytus, factus est quoque υἱὸς γεέννης διπλότερον αὐτῶν,) "majorem[c] traditi quam scripti verbi divini authoritatem esse," asserere non veretur. At Sacræ Literæ, si Apostolo credimus, "possunt[d] nos sapientes reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu:" quod facere non possunt, si non continerent omnia ad salutem necessaria: possunt quoque efficere, "ut[e] perfectus sit homo Dei (id est verbi minister) ad omne opus bonum perfecte instructus." Sed unum demus paulisper istis, defectum Scripturæ Sacræ additamentis ἀγράφων παραδόσεων supplendum esse: quæramus an duæ istæ regulæ partiales, in quas totalem regulam frangit Bellarminus, pro regula sufficiente fidei sint agnoscendæ. Respondet Bellarmini socius, Gregorius de Valentia: "neque[f] Scripturam neque etiam solam traditionem vivæ vocis eorum, qui olim vita defuncti sunt, esse regulam sufficientem fidei, quæ valeat per se sine alia aliqua infallibili ac præsente auctoritate omnes omnino definire fidei quæstiones. Nam primum, sicut de auctoritate ipsius Scripturæ necesse est per aliquam aliam certam regulam constare, ita etiam de auctoritate traditionis, si ea quoque revocetur in dubium. Non enim traditio loquitur etiam ipsa clare et perspicue de sese, ut neque ipsa Scriptura. Deinde cum traditio scriptis fere doctorum orthodox-

[a] Bellarm. de verbo Dei, lib. 4. cap. 12.
[b] Synod. Trid. Sess. 4.
[c] Gasp. Sciop. in Ecclesiastico, cap. 135.
[d] 2 Tim. cap. 3. ver. 15. 17.
[e] 1 Tim. cap. 6. ver. 11.
[f] Valent. Analys. fid. lib. 5. cap. 8.

orum in Ecclesia conservetur: quæstiones ac dubia moveri possunt de sensu illius, sicut dubitatur sæpe de sensu ac mente doctorum. Ejusmodi autem quæstiones, cum erunt ortæ post traditionem, quæ semel tantum, ut ita dicam, locuta est neque præterea amplius loquitur, certe per eandem ipsam traditionem definiri satis non poterunt. Postremo multæ in Ecclesia variis temporibus definitæ ac declaratæ sunt sententiæ fidei et deinceps similiter, motis controversiis, definiri possent, de quibus ante non fuerit usque adeo expressa traditio." Nempe isti non sufficit "auctoritas[a] humana," ut appellat, divinitus inspirata, quæ Scriptura Sacra continetur; imo ejusmodi auctoritatem "illorum[b] hominum propriam" esse negat, "qui olim divinam doctrinam aut verbo aut scripto tradiderunt et vita defuncti sunt:" Prophetas intelligit et Apostolos. Requiri amplius ait "ut vivat hæc auctoritas successione semper inter fideles præsens." Addit, auctoritatem illam non alibi vel quæri deberi vel inveniri posse, quam in Christi Ecclesia. Verum, ne erremus, ita se explicat, "Hæc[c] Ecclesiæ infallibilis authoritas ad definiendum non est in singulis fidelibus, quippe qui sine controversia possunt errare singuli neque est etiam in omnibus omnino fidelibus: frustra enim data illis esset; cum fieri vix possit, in fidei causis ut ab omnibus illis sigillatim sententia dicatur: sed residet illa summa Ecclesiæ auctoritas in Christi vicario, summo Pontifice; sive una cum Episcoporum concilio, sive absque concilio res fidei definire velit, sive[d] in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat." "Neque[e] enim putandum est," inquit, "auctoritatem unam infallibilem habere Pontificem, alteram Ecclesiam, alteram Concilium: id non ita est. Quin imo illa ipsa auctoritas, quæ in uno Pontifice residet, auctoritas etiam esse dicitur Ecclesiæ; quippe cum Ecclesia nimirum quoddam quasi corpus sit, cujus caput est Pontifex, ut proinde in ea quoque esse merito censeatur illa auctoritas, quæ in ipsius est capite. Atque eadem item Pontificis auctoritas, Conciliorum auctoritas

[a] Valent. Analys. fid. lib. 4. cap. 1. et 2.
[b] Id. lib. 5. cap. 8.
[c] Id. lib. 6. cap. 4.
[d] Id. lib. 8. cap. 3.
[e] Ibid. cap. 7.

esse dicitur, quatenus eorum acta et determinationes ille confirmavit. Itaque Conciliorum auctoritas, ut est quidem infallibilis, non alia quædam auctoritas est per se distincta ab auctoritate Pontificis, sed eadem plane, uno quodam modo usurpata ex multis, quibus potest Pontifex suam infallibiliter definiendi auctoritatem exercere." Itaque cum libro tertio Analysis fidei suæ Catholicæ confirmasset[a], aliquam exstare fidei regulam sufficientem; et libro quarto qualis[b] sit regula fidei sufficiens ostendisset, nimirum humana divinitus inspirata; deinde libro quinto, regulam[c] fidei præsenti aliqua auctoritate contineri asseruisset: et libro sexto porro probandum suscepisset, in sola Ecclesia Romana quærendam fidei regulam: concludit demum libro septimo, "Romani[d] Pontificis auctoritate contineri regulam fidei;" hoc ipso etiam titulo omnibus illius libri foliis superposito. Atque hæc est Jesuitica (antiquitati omni inaudita) fidei ἀνάλυσις vel ἀνάλωσις potius: quæ loco Prophetarum et Apostolorum ut dudum defunctorum, viventis Romani Pontificis auctoritatem divinitus inspiratam nobis commendat. Nam Canonistarum analysis satis nota est, quæ Pontificiam auctoritatem Prophetica majorem statuit. Cum enim in textu Decretalium[d] ex 26° capite Proverbiorum citatus fuisset versus: ad eum (maledicta) glossa hanc notationem apponit: "adverte quod verba textus non sunt verba Papæ sed Salomonis in Parabolis; et habentur originaliter in capite 26. sed quia textus hic est canonizatus, facit fidem et inducit necessitatem, sicut si editus fuisset a Papa (sapientiore scilicet quam Salomone) quia omnia nostra facimus, quibus nostram authoritatem impertimur." Et hoc sane iniquitatis mysterium quamdiu obtinet, nulla pax sperari potest.

[a] Ex titulo in summitate, folii 15. (operum Valent. edit. Lugdun. an. 1591.

[b] Titul. fol. 17. [c] Titul. fol. 19. usque ad 25.

[d] Titul. fol. 27. usque ad 45.

[e] Lib. 2. tit. 23. de Præsumptionib. cap. 1.

IV.

DE FUNDAMENTIS CREDENDIS

Ut ista planius percipiantur : distinguendum est primum inter ea quæ ad δόγματα et ea quæ ad πολιτείαν Ecclesiasticam pertinent. Ad quam distinctionem Justinianus Imperator respexit illis verbis : τῶν[a] προειρημένων ἁγίων συνόδων τὰ δόγματα καθάπερ τὰς θείας γραφὰς δεχόμεθα καὶ τοὺς κανόνας ὡς νόμους φυλάττομεν, Prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut Sanctas Scripturas accipimus, et regulas sicut leges observamus. per canones sive regulas intelligens τοὺς[b] περὶ της ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας νόμους, uti viginti illos Niceni Concilii canones nominat Theodoretus. Ita Patres concilii Constantinopolitani primi in epistola ad Theodosium Imperatorem, " πρῶτον[c] μὲν ἀνενεωσόμεθα τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν. ἔπειτα δὲ καὶ τὴν τῶν πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντων· πρὸς δὲ τούτοις καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν. Primum quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus ; deinde Patrum qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus : præterea etiam ad recte constituendum et ordinandum statum et disciplinam Ecclesiarum, certos canones statuimus." Ad politeiam referenda quæcunque tum ad ritus tum ad εὐταξίαν Ecclesiæ pertinent : quæ in variis Ecclesiis quam fuerint varia, neminem fugit, saltem qui Socratis aut Sozomeni ecclesiasticam historiam legerit ; hic enim veterum doctorum judicium laudat qui

[a] Justman. Novell. 131.

[b] Theodor. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 8.

[c] Concil. Labb. tom. 2. pag. 1124.

εὔηθες[a] (καὶ μαλὰ δικαίως) ὑπέλαβον, ἐθῶν ἕνεκεν ἀλλήλων χωρίζεσθαι, περὶ τὰ καίρια τῆς θρησκείας συμφωνοῦνται. οὐ γὰρ τὰς αὐτὰς παραδόσεις κατὰ πάντα ὁμοίας, κἂν ὁμόδοξοι εἶεν, ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις εὑρεῖν ἐστι, stultum, et quidem merito, censuerunt, consuetudinum (vel rituum) gratia a se mutuo segregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent. Neque enim easdem traditiones per omnia similes, in omnibus Ecclesiis, quamvis inter se consentiant, reperire possis." Similiter et Socrates: "οὐδεμία[b] τῶν θρησκεῖων τὰ αὐτὰ ἔθη φυλάττει, κἂν τὴν αυτὴν περὶ τούτων δόξαν ἀσπάζηται. καὶ γὰρ οἱ τῆς αὐτῆς πίστεως ὄντες διαφωνοῦσι περὶ τὰ ἔθη πρὸς ἑαυτούς, cujusque religionis et sectæ varii sunt ritus, licet eadem de illis habeatur opinio. etenim qui in eadem fide sentiunt, iidem in ritibus et ceremoniis inter ipsos discrepant." Ecclesiæ igitur de politeia dissentientes, in eadem amicitiæ consuetudine permanere et possunt et debent: nec unitati fidei quicquam officit rituum varietas; imo ejusmodi διαφωνία, ut ad Victorem Romanum Episcopum scripsit olim Irenæus, "τὴν[c] ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, concordiam fidei commendat" potius. Ad dogmatica vero quod attinet; tam verum est

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem;

quam certum est variis laborasse erroribus viros magnos, quos ab Ecclesiæ communione nemo separaverit. Sublato apostata Juliano, "αἱ[d] περὶ τῶν δογμάτων ζητήσεις τε καὶ διαλέξεις πάλιν ἀνεκινοῦντο τοῖς προεστῶσι τῶν ἐκκλησιῶν: quæstiones de integro, et disputationes de doctrina fidei ab ecclesiarum præsidibus agitari cœptæ sunt;" ut refert Sozomenus. "Οὕτω[e] πῇ τοῖς ἀνθρώποις φίλον (inquit ille) παρ' ἑτέρων μὲν ἀδικουμένοις πρὸς τὸ ὁμόφυλον ὁμονοεῖν. ἀπηλλαγμένοις δὲ αὐτοῖς τῶν ἔξωθεν κακῶν, πρὸς σφᾶς αὐτοὺς στασιάζειν, ita natura humana comparatum est, ut cum ab exteris injuriam acceperint, cum suis concordiam

[a] Sozom. Hist. lib. 7. cap. 19.
[b] Sacr. Hist. lib. 5. cap. 22.
[c] Euseb. Hist. Eccles. lib. 5. cap. 26.
[d] Sozom. Hist. Eccles. lib. 6. cap. 4.
[e] Sozom. Hist. Eccles. lib. 6. cap. 4.

habeant et pacem; cum autem sint malis ab exteris importatis liberati, ipsi inter se seditionem et discordiam concitent." quod nimis verum esse vel hodiernæ Belgicarum Ecclesiarum de quinque articulis digladiationes fidem faciunt. De quibus quid aliud dicendum, quam quod in simili rerum turbatione (nam non nunc primum exortæ sunt in Ecclesia ejusmodi tempestates) respondit olim Isidorus Peleusiota: "τὶ[a] οὖν ποιητέον; φῄς. εἰ μὲν δυνατὸν, διορθωτέον. εἰ δὲ μὴ, ἡσυχαστέον, quid igitur faciendum est? inquis. si quidem id fieri potest, malum hoc corrigendum, sin minus, quiescendum est."

Nec vero ad fidei unitatem constituendam requiritur omnimoda dogmatum concordia: neque ipsa antiqua sanctorum patrum consensio, quemadmodum prudenter monuit Vincentius Lirinensis, in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum, certe præcipue, in fidei regula, magno nobis studio et investiganda est, et sequenda. Atque inde est quod Augustinus * * * * * * * * *

Christianorum igitur dogmatum alia quidem res credendas[b], alia res agendas spectant: in quibus utrisque inter prima fundamenta et structuram fundamentis illis superpositam tenenda est distinctio. Proponitur ab Apostolo initio sexti capitis epistolæ ad Hebræos, his verbis: διὸ ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χρίστου λόγον, ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα. μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι μετανοίας ἀπὸ νεχρῶν ἔργων, καὶ πίστεως ἔπι Θεὸν, βαπτισμῶν

[a] Isidor. Pel. lib. 4. epist. 133.

[b] Ex I Tim. cap. 1. ver. 19. retinens fidem et bonam conscientiam; qua expulsa nonnulli naufragium fidei fecerunt. Duo sunt Christianismi generalia capita: verus de Deo sensus et rectus in Deum cultus, γνῶσις ἀληθείας, καὶ πρᾶξις εὐσεβείας. ibi apprehenditur veritas: hic exercetur pietas. ibi Deus noscitur: hic colitur (Balb. Meisner. Præfat. in Decad. 1. Ανθρωπολογιας· sacræ, edit. Witeberg. 612. 4°) agnitio Dei (et operum ejus) 2. cultus Dei, (recte redere: et pie vivere.) περί τῶν πιστῶν καὶ περὶ τῶν πρακτῶν. (Vid. Polan. Syntagm de partit. Theologiæ in Fidem et Bona opera. Ignatius, epist. 7. τὸ ολον πίστις ἡ εἰς θεὸν, καὶ ἀγάπη περὶ τὸν ὁμοφυλον. (ut 1 Joh. cap. 3. vir. 23.) Lactantius, lib. 4. institut. cap. 4. idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est Sapientiæ; et honorari, quod est Religionis, sed Sapientia præcedit, Religio sequitur. quia prius est Deum scire, consequens colere. Augustinus in præfat. Speculi (tom. 3. pag. 681.) egregie distinctionem hanc credendorum et agendorum proponit.

διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν, ἀναστάσεώς τε νεκρῶν, καὶ κρίματος αἰωνίου, quapropter omisso qui in Christo rudes inchoat sermone ad perfectionem feramur: non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, et fidei in Deum, baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis et resurrectionis mortuorum et judicii æterni." Et hæc quidem fundamenta, in fine præcedentis capitis τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ, elementa initii eloquiorum Dei appellantur et lacti conferuntur, illa vero τελειότης, hoc est doctrina accuratior et perfectior, solido cibo comparatur: τελείων[a] γάρ εστι ἡ στερεὰ τροφὴ, τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, Adultorum enim est solidus cibus eorum videlicet qui propter habitum sensus habent, exercitatos ad discretionem boni ac mali." Eadem etiam in epistola ad Corinthios usurpatur similitudo. "Γάλα[b] ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἐδύνασθε, Lactis potu vos alui, et non esca: nondum enim poteratis id ferre." Unde Clemens Alexandrinus: "Εἰ[c] τοὶνυν τὸ μὲν γάλα τῶν νηπίων, τὸ βρῶμα δὲ τῶν τελείων τροφὴ πρὸς τοῦ Αποστόλου εἴρηται. γάλα μὲν ἡ κατήχησις, οἱονεὶ πρώτη ψυχῆς τροφὴ, νοηθήσεται. βρῶμα δὲ ἡ ἐποπτικὴ θεωρία, Si ergo lac quidem infantium, cibus autem perfectorum nutrimentum dictus est ab Apostolo: lac quidem intelligetur catechesis, veluti primum nutrimentum animæ, cibus autem, suspiciens contemplatio:" sic enim ἐποπτικὴν θεωρίαν reddidit interpres, quo loquendi genere ad gentilium epoptas allusisse Clementem non est dubium; ut et Dionysium capite tertio Cælestis Hierarchiæ scribentem, oportere "τοὺς τελουμένους, ἐκ του ἀτελους μετατατγομένους, μετόχους γίνεσθαι τῆς τῶν ἐποπτευθέντων ἱερῶν τελειοτιχῆς ἐπιστήμης." apud hunc enim μύησις sive initiatio pro catechesi, ἐποψία pro perfectione passim usurpatur, atque huc pertinet insignis ille locus Augustini, de parvulis in Christo verba facientis qui lacte nutriuntur: "hos[d] tales, inquit, si etiam antequam

[a] Epist. ad Hebr. cap. 5. ver. 14. [b] Epist. 1. ad Cor. cap. 3. ver. 2.
[c] Clem. Alex. lib. 5. Strom. op. tom. 2. pag. 685.
[d] August. epist. 187. ad Dardanum. op. tom. 2. pag. 687.

perveniant ad spiritalem mentis ætatem, ubi non lacte alantur, sed solido cibo, dies vitæ hujus extremus invenerit. Perficiet in eis habitator illorum (Dei, sc. spiritus), quicquid hic intelligentiæ minus habuerunt: quoniam et ab unitatis corporis Christi, qui nobis via factus est, et a templi Dei societate non recesserunt: unde ut non recedant, regulam fidei pusillis magnisque communem, in Ecclesia perseveranter tenent, et in quod pervenerunt in eo ambulant, donec eis Deus revelet. Si quid aliter sapiunt, cogitationes suas carnales non dogmatizant: quin non obdurant contentiosis defensionibus immanendo, sed quodammodo ambulando, id est proficiendo desudant, intelligentiæ perspicuitatem impetrantes per fidei pietatem." Ad credendorum igitur fundamenta spectat illa ab Augustino indicata regula fidei pusillis magnisque communis: quam Irenæus "*τὸν*[a] *κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ*, Regulam veritatis immobilem" appellat; ac in universis totius terrarum orbis Ecclesiis tam a pusillis quam a magnis unanimi consensu susceptam esse, his verbis confirmat. "*τοῦτο*[b] *τὸ κήρυγμα παρειλῆφυια, καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία καίπερ ἐν ὅλω τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα. καὶ ὁμοίως πιστέυει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κέκτημένη. καὶ γὰρ αἱ κατὰ τόν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὔτη. καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ιβηρίαις, οὔτε ἑν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι. ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος τὸ κτίσμα τοῦ θεοῦ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτὸς, οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῆ φαίνει, καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. καὶ οὔτε ὁ πάνυ δυνατὸς ἐν λόγῳ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προεστώτων ἕτερα τούτων ερεῖ· οὐδεὶς γὰρ ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, οὔτε ὁ ἀσθενὴς ἐν τω̃ λόγῳ ἐλαττώσει*

[a] Iren. lib. I. cap. 9. op. pag. 46.
[b] Id. lib. I. cap. 10. op. pag. 49. Epiphan. hæres. 31.

τὴν παράδοσιν. μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον ἠλαττόνησε, Hanc prædicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter hæc prædicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut Sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire; et neque qui valde prævalet in sermone ex iis qui præsunt Ecclesiis, alia quam hæc sunt dicet: (nemo enim super magistrum est) neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorat." Quibus postremis verbis, ad illud quod de manna est scriptum[a], allusit Irenæus: "ὁ τὸ πολὺ, οὐκ ἐπλεόνασε καὶ ὁ τὸ ὀλίγον, οὐκ ἠλαττόνησε, qui multum collegit, plus non habuit, et qui paululum, minus non habuit." Cujusmodi autem esset hæc fides, vere Catholica, (siquidem id vere proprieque Catholicum est, Vincentio Lirinensi definiente, quod[b] ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est:) in eodem capite declarat idem. "Ecclesia[c] per universum orbem usque ad fines terræ seminata et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem quæ est in unum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; et in unum Jesu Christum filium Dei, incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas prædi-

[a] Exod. 16. 18. 2. Corinth. 8. 15. [b] Vincent. commonitor, 1.
[c] Iren. lib. 1. cap. 10. op. pag. 48.

cavit dispositionem Dei, et adventum, et eam quæ est ex virgine generationem, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et in carne in cœlos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, et de cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad recapitulanda universa, et resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur ei, et judicium justum in omnibus faciat. Spiritalia quidem nequitiæ, et angelos transgressores, atque apostatas factos, et impios, et injustos, et iniquos, et blasphemos homines in æternum ignem mittet. Justis autem et æquis, et præcepta ejus servantibus, in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem æternam circumdet." Hæc Irenæus; eorum qui Johannem Apostolum audiverunt discipulus. Similiter, antiquitate illi proximus, Tertullianus. "Regula[a] est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus, profiteamur, illa scilicet qua creditur: unum omnino Deum esse; nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per verbum suum primo omnium demissum. Id Verbum filium ejus apellatum, in nomine Dei varie visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Dei patris et virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex ea natum hominem et esse Jesum Christum: exinde prædicasse novam legem, et novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse; fixum cruci; tertia die resurrexisse: in cœlos ereptum sedisse ad dexteram patris: misisse vicariam vim Spiritus Sancti qui credentes agat: venturum cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ et promissorum cœlestium fructum, et ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione. Hæc regula a Christo, ut probabitur, instituta nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt et

[a] Tertullian. lib. de præscr. hæret. cap. 13.

quæ hæreticos faciunt." Et in libro de Virginibus velandis capite primo: "Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem, et filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinæ et conversationis, admittunt novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei."

Ita ab Augustino[b], Leone[c], et aliis Patribus, symbolum Apostolicum appellatur "Regula fidei:" eoque fidei εἰσαγωγικὸς λόγος et principia ad fideles omnes communiter pertinentia, dicuntur comprehendi. Indeque Leo contra Eutychen, ex hac Catholici Symboli brevi et perfecta confessione disputans; "non[d] de portiuncula," inquit, "aliqua fidei nostræ, quod minus lucide clarescat, quæritur: sed hæc stultissima insultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare." Et Augustinus, initio libelli de fide et Symbolo, "Est[e] fides Catholica nota fidelibus memoriæque mandata, quanta res passa est brevitate sermonis: ut incipientibus atque lactentibus eis, qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima et spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur; quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam certa humilitatis atque charitatis firmitate surgentibus." "Nam[f] sicut fons," quæ Petri Ravennatis similitudo est, "ore angusto manans magnis fluviorum laticibus ampliatur: sic fides Symboli breviato sermone credulitatis latissimos dat meatus." Nec enim posteriora Symbola, aliud sunt quam Apostolici explicationes: omniaque κοινόπιστα aut evidente hic expressa sunt, aut evidente consequentia hinc deduci possunt. Cujusmodi sunt ista axiomata, totam salutis nos-

[b] Aug. Enchirid. ad Laurent. op. tom. 6. pag. 217.
[c] Leo de pass. Dom. Serm. 11. cap. 2.
[d] Leo, Epist. 13. ad Pulcheriam.
[e] Augustin. op. tom. 6. pag. 151.
[f] Petr. Chrysolog. Serm. 61.

træ rationem complectentia : quæ ab Ecclesiæ filiis et omnibus et ubique et semper agnita sunt pro certis Christianæ fidei fundamentis.

Hæc Catholicæ fidei sunt principia pusillis magnisque communia : de quibus Johannes Serranus in dissertatione de fide Catholica, sive principiis religionis Christianæ, communi omnium Christianorum consensu semper et ubique ratis, confidenter pronuntiat ; "quicquid[g] vel molitus sit vel moliturus sit mendacii pater, non tamen vel effecisse hactenus vel effecturum posthac, ut hæc doctrina Catholica omnium Christianorum consensu, semper et ubique rata, aboleatur ; quin potius, illam in densissima maxime involutarum perturbationum caligine victricem extitisse, et in animis et in aperta confessione Christianorum omnium, in suis fundamentis nullo modo labefactatam. In illa quoque veritate unam illam Ecclesiam fuisse conservatam, in mediis sævissimæ hyemis tempestatibus, vel densissimis tenebris suorum interluniorum."

Nec in his tamen principiis homini fideli subsistendum est semper, ac si plus ultra non esset, quo illum progredi oporteret. Non Paulus "plantator[h]" tantum Ecclesiæ est datus, sed etiam "Apollos rigator :" non qui fundamentum tantum ponat sapiens architectus, sed etiam qui superædificet. Illud ἀεὶ παῖδες[i], Christianos maxime omnium dedecet : si intelligentiam nimirum spectes, non si malitiam. Sic enim ista distinguit exhortatio Apostolica : "Ἀδελφοὶ[k], μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσίν, ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, ταῖς δὲ φρεσὶ τέλειοι γίνεσθε, fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote." Ubi observandum, tum hic tum alibi sæpius, ab Apostolo perfectos dici non absolute, sed comparatione facta cum parvulis ; et perfectionem intelligi præsentis vitæ, quæ respectu futuræ imperfectio est et mera infantia. Quemadmodum in decimo tertio capite prioris epistolæ ad Corinthios idem clare docet. Hujus igitur imperfectæ perfectionis varii et differentes

[g] Serran. Apparat. ad fidem. Catholic. pag. 172. edit. Paris. an. 1607.

[h] Epist. 1. ad Cor. cap. 3. ver. 6, 7. [i] Ibid. ver. 10.

[k] Epist. 1. ad Cor. cap. 14. ver. 20.

sunt gradus: eaque pro temporum, locorum, personarum ratione, et magis potest suscipere et minus. Neque enim ab hebetioris et acutioris ingenii homine eadem perfectio est requirenda, non a docto eadem quæ ab indocto; nec eadem a discipulo, quæ a doctore. Nostro seculo, cui summo Dei beneficio clarissima Evangelii luce frui datum est non eadem cognitionis mensura sufficere putanda est, quæ præteritæ ignorantiæ temporibus sufficiet: nec hodie nobis eadem, qui in Britania et Hibernia sub invictissimi antiquæ Fidei Defensoris alis degimus, qua contentos esse oportet in media Italia vitam agentes, ubi thronus est Bestiæ. Ut uno verbo dicam, ab iis qui verbum Dei et libere legere et sincere prædicatum audire possunt, atque ab aliis qui hisce mediis destituuntur, non idem perfectionis gradus est expectandus. Interim tenendum, pro mensura doni dati, requiri hoc ab omnibus communiter, ut crescant "in gratia et in cognitione Domini nostri et Servatoris Jesu Christi." Ad hoc fideles cohortatus est Petrus[l]: atque ad hoc perficiendum se et reliquos Apostolos omnes nervos intendisse professus est Paulus: "*νουθετοῦντες*[m] *πάντα ἄνθρωπον, καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ* Ιησοῦ, admonentes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu." Sic enim ille de se scribit, agite igitur cum Apostolo, "*ἀφέντες*[n] *τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ* Χριστοῦ *λόγον ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα*, omisso qui in Christo rudes inchoat sermone ad per fectionem feramur."

Quum Symbolo Nicæno vel potius Constantinopolitano in Occidente primum cœpisset addi articulus de processione Spiritus Sancti a Filio, legatos a Carolo Magno ad Leonem III. Papam anno 809. missos, quæstionem hanc Pontifici proposuisse legimus[o]. "Si quis hoc nescierit, vel ita non crediderit: num salvus esse poterit?" Cui is hunc in modum responderit, "Quisquis ad hoc sensu subtiliori pertingere, potest et id scire, audita sciens credere noluerit

[l] 2 Epist. Petri. cap. 3. ver. 18.
[m] Epist. ad Coloss. cap. 1. ver. 28.
[n] Epist. ad Heb. cap. 6. ver. 1.
[o] Baron. an. 809. §. 55. vid. Pithœ libellum de processione Spiritus Sancti.

salvus esse non poterit. Sunt enim multa, e quibus istud unum est, sacra fidei altiora mysteria, subtilioraque sacramenta, ad quorum indagationem pertingere multi valent: multi vero aut ætatis quantitate aut intelligentiæ qualitate præpediti, non valent, et ideo (ut prædiximus) qui potuerit, et noluerit, salvus esse non poterit." Postea legatis asserentibus æquum videri, ut quod creditur etiam Symbolo inferretur, aliam illis quæstionem proponit Pontifex, "Num[p] universa hujusmodi fidei mystica sacramenta, quæ Symbolo non continentur; sine quibus quisque qui ad hoc pertingere potest, Catholicus esse non potest, Symbolis inserenda et propter compendium minus intelligentium, ut cuique libuerit, addenda sunt?" Respondentibus vero illis; "nequaquam, quia non æque omnia necessaria sunt." Replicat, "Et si non omnia, certe plurima sunt his similia, quæ nisi a capientibus credantur, Catholici esse non possunt." Et illis petentibus exemplum, dat hujusmodi[q]. Numquid magis salutare est credere, periculosumve non credere, Spiritum Sanctum a Filio sicut a Patre procedere, quam filium sapientiam, Deum a sapientia Deo, veritatem Deum a veritate Deo genitum esse; et tamen utrumque unam sapientiam, unam veritatem, essentialiter Deum esse: cum tamen constat, id a sanctis Patribus eidem Symbolo inditum non esse."

[p] Baron. an. 809. §. 5. [q] Ibid. §. 58.

V.

DE JUDICE VERI SENSUS SCRIPTURÆ.

Ut Donatistas olim majores nostri, ita Papistas hodie in ratione componendi res in religione controversas urgere solent Orthodoxi "vos dicitis, licet: nos dicimus, non licet. Inter licet nostrum, et non licet nostrum, nutant et remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices. Si Christiani de utraque parte dari non possunt: quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta: si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis, ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium: de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habemus hic in Evangelio? Testamentum, inquam: quia hoc loco recte possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est quod quivis hominum habens numerosos filios. His, quamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis: non est adhuc necessarium testamentum. Sic et Christus quamdiu præsens in terris fuit (quamvis nec modo desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, dum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum: et qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur; vivus cujus est testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas ejus, velut in testamento, sic in Evangelio inquiratur; etenim præsentia quæ modo facitis, jam futura conspexerat Christus."

Hæc in libro quinto adversus Parmenianum Donatistam Optatus Milevitanus[a]. Et quod mireris, ipse etiam Robertus Personius Jesuita in præfatione Epitomes controversiarum nostri temporis, ex Bellarmini et Maldonati dictatis consarcinatæ: "Diabolus," inquit, "non contentus ipsas fidei nostræ veritates oppugnare, et circa illas multas contentiones introducere, sed prævidens verbum Dei fore judicem harum litium, et medium unicum ad eas dirimendas; voluit ipsùm etiam Dei verbum oppugnare, et in dubium vocare per ministros suos." Hæc dixit proprius ipsorum propheta: et suam ipsius et sociorum suorum patefaciens cæcitatem, qui nondum videre possunt, quod si illi credimus, ipse prævidebat Diabolus. Est enim illa Thesis[b], quam in disputatione Ratisbonensi defendendam susceperunt Theologi Bavarici "Sacra Scriptura non est judex omnium controversiarum fidei et religionis Christianæ. Est quidem norma infallibilis, verum nec sola nec unica; sed præter hanc necessario admitti debent traditiones, et Ecclesiæ definitiones, Doctorumque orthodoxorum consensus." Cui et illam Christophori Sacroboscani assertionem possumus adjungere. "Verbum[c] Dei respectu nostri, non habet rationem judicis: non quasi certam et veram non contineat sententiam; sed quia de ejus sensu per nos ipsi nequimus infallibiliter esse certi, sicut certi sumus de mente Ecclesiæ, quæ et audire et referre potest voces, unde liquet deesse aliquid Scripturæ comparatione nostri, quo minus noster judex esse queat, quod non deest Ecclesiæ."

Ita nimirum Verbi Dei judicium subterfugiunt isti "Scripturarum Lucifugæ;" quorum technis ut eatur obviam, duplex judicium necessario distinguendum est, ὁριστικὸν καὶ διακριτικὸν, Decretivum, ut ita dicam, et Discretivum; privatum hoc, publicum illud. Decretivum sive Determinativum appellamus, quod fit cum authoritate definiendi et alios obligandi. Estque vel Supremum et absolutum, vel Ministeriale et limitatum; quorum alterum

[a] Eadem habet Augustinus, in Psalm. 21. enarr. 2. op tom. 4. pag. 101.

[b] Colloq. Ratisbon. sess. 1. pag. 8. edit. Monach. an. 1602.

[c] Sacrobosc. Defens. Decret. Tridentin. part. 1. cap. 6. pag. 115, 116.

in foro (ut loquuntur) interno sive conscientiæ, alterum in externo obligat.

Supremum et absolutum judicium illud dicitur, cujus est authoritas irrefragibilis, et sententia prorsus infallibilis; ita ut ei simpliciter acquiescendum sit, nec inde appellare liceat. Hujusmodi vero summum et ἀνυπεύθυνον judicem Spiritum Christi esse affirmamus, in verbo suo nobis loquentem. Ejus autoritatem esse summam et infallibilem fatentur omnes: pro judice veri esse agnoscendam ita confirmant orthodoxi.

1. Qui est autor Scripturæ et religionis, summam autoritatem habet interpretandi Scripturam et de religionis controversiis judicandi. Unusquisque enim suorum verborum optimus est interpres, et ejusdem est interpretari leges, cujus condere. At Spiritus Sanctus autor est Scripturæ et religionis[d].

2. Quem ipsi Apostoli summum judicem controversiarum religionis agnoverunt, eundem et nos agnoscere debemus. At Apostoli Spiritum Sanctum summum controversiarum judicem agnoverunt ut constat ex Act. Apost. cap. 15. ver. 28. ubi controversia de ceremoniarum Mosaicarum observatione sic ab eis determinatam legimus, "Visum est Spirituo Sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus vobis onus præter necessaria ista."

3. Qui arcana Dei et cognoscit et patefacit, pro judice controversiarum de sensu Scripturæ et religionis agnosci debet. At Spiritus Sanctus arcana Dei et cognoscit et patefacit.

[d] Vide Act. Apost. cap. 28. ver. 25. 1 Epist. Petri, cap. 1. ver. 21.

VI.

DE SUPREMO ET ABSOLUTO CONTROVERSIARUM JUDICE: SPIRITU SANCTO IN VERBO SUO NOBIS LOQUENTE.

Hujus supremi judicis vicem literis consignatam esse asserimus in scriptis Propheticis et Apostolicis: in quibus controversias omnes de religione vel hactenus motas vel deinceps movendas a Spiritu Sancto determinatas esse dicimus, ita ut publicum Spiritus Sancti judicium de quavis controversia ex Scripturis certo cognosci possit.

Nam in Scriptura sententiam Spiritus Sancti proponi, negari non potest, nisi simul negetur Scripturam afflatu Spiritus Sancti esse editum; quod blasphemum est. Indeque Scripturæ verbum[a] et eloquia et judicia Dei appellantur. Et ut "Deus[b] conclusisse omnes" dicitur sub contumacia, ita dicitur "Scriptura[c] conclusisse omnia sub peccatum." Ac ne cum Stapletono quis dicat, "Deum[d] per Scripturas quidem loqui, sed non per Scripturas nos alloqui:" porro addimus et Scripturam nos alloqui, et Spiritum Sanctum per Scripturam. "Ὅσα[e] ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ. Quæcunque lex dicit iis qui in lege sunt loquitur." "Obliti[f] estis exhortationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, Fili mi ne negligite castigationem Domini." Denique "Qui[g] habet aurem, jubetur audire quod Spiritus dicat Ecclesiis," in epistolis scilicet jussu Christi a Johanne ad septem ecclesiarum angelos scriptis. Porro etiam Scriptura accusare quoque dicitur et condemnare. "Ne[h] putate me accusaturum vos apud Patrem: est

[a] Psalm. 19. et 119. [b] Epist. ad Rom. cap. 11. ver. 32.
[c] Epist. ad Galat. cap. 3. ver. 22.
[d] Stapleton. Defen. Eccles. author. contra Whitaker. lib. 1. cap. 7. sect. 9.
[e] Epist. ad Rom. cap. 3. ver. 9. [f] Epist. ad Heb. cap. 12. ver. 5.
[g] Apocal. cap. 2. ver. 7. 11. 17. 29. et cap. 3. ver. 6. 13. 22.
[h] Johan. cap. 5. ver. 45.

qui accuset vos, Moses, per Scripturam scilicet suam." Quomodo et sermo a Christo hic editus judicaturus etiam dicitur in novissimo die, "Qui[i] rejicit me, nec recipit verba mea, habet qui condemnat ipsum; sermo, quem loquutus sum, ille judicabit (vel damnabit) eum ultimo illo die." "Num[k] lex nostra condemnat quempiam, nisi prius audierit ex ipso et cognoverit quod faciat?" ubi tribuitur judicium principale ipsi legi, cujus magistratus tantum est minister; quemadmodum innuit Tullius: "Ut[l] magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: vereque dici potest, magistratum legem esse loquentum, legem autem mutum magistratum." Neque aliud nos contendimus, quam principale judicium verbo Dei scripto, velut legi "unici[m] legislatoris nostri, qui potest servare et perdere," concedatur: hominibus ministeriale tantum judicium tribuatur, quod ad legem illam scriptam alligatum sit. Quomodo etiam in bene constituta republica, legibus potius committendum imperium, quam unicuique civium: magistratus vero constituendos esse *νομοφύλακας καὶ ὑπηρέτας τοῖς νόμοις*, legum custodes ac ministros, defendunt Politici[n].

Neque dici potest summum judicium de rebus in religione controversis a sacris Scripturis hoc modo peti non posse: nisi quod aut obscuræ sint illæ aut minus perfectæ. At ita obscuras non esse, ut ex iis controversiæ religionis definiri non possent, in quæstione de Scripturarum perspicuitate ostensum est: neque imperfectionis posse argui in disputatione de Scripturarum perfectione suo loco plenius demonstrabitur. Ad præsens institutum unum aut alterum argumentum suffecerit.

1. Si ex Scripturarum sententia definiri non possent controversiæ, ad earum tribunal in rebus dubiis homines non remisisset Deus. Sed remittit "ad[o] legem et ad testimonium." "Habemus[p] firmissimum sermonem propheticum cui recte facitis quod attenditis."

[i] Johan. cap. 12. ver. 48.
[k] Johan. cap. 7. ver. 51.
[l] Cicero de leg. lib. 3. cap. 1.
[m] Jacob. cap. 4. ver. 12.
[n] Aristot. Pol. lib. 3. cap. 12 et lib. 4. cap. 4.
[o] Esai. cap. 8. ver. 20.
[p] 2 Petr. cap. 1. ver. 19.

2. Si ex Scriptura controversiæ dijudicari nequeunt, non esset ea ita utilis ad redargutionem, ut ad opus hoc perfecte instructum posset reddere hominem Dei. At ita utilem esse testatur Apostolus[q] ad Timotheum.

3. Si doctrina creditur necessaria, ex Scripturis dijudicari non posset: frustra Berœenses, audita doctrina Pauli, ad Scripturarum judicium recurrissent. Non autem frustra, sed magno etiam fructu id eos fecisse constat[r].

4. Si propterea erratur quod Scripturæ non sciantur: certe sententia Scripturæ cognita, determinari potest quid in religione rectum sit, quid erroneum. Sed verum prius: "Nonne[s] propterea erratis quod non sciatis Scripturas."

5. Si Scripturarum sententia ita incerta esset, ut ex ea religionis controversiæ componi non possent, frustra earum testimoniis Judæos convincere tentassent Paulus et Apollos; frustra ab Episcopo requisivisset Paulus, ut contradicentibus os obturare possit. Sed contrarium liquet ex Scripturis[t].

Bellarminus tribus rationibus probare conatur[u], Scripturam judicem esse non posse.

1. "Quia varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere quis sit vera." Respondetur: Unicus est verus et genuinus sensus Scripturæ: et licet sensus mystici et spirituales constituantur varii, convenit tamen inter nos et adversarios ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia, ipso fatente Bellarmino[x]. 2. Ubi per hominum inscientiam vel malitiam alienus Scripturæ sensus affingitur, ipsa sui optima est interpres; si non in eodem, at aliis in locis cum hoc collatis. Non igitur requiritur alius judex principalis veri sensus Scripturarum: requiritur tantum judex, qui adhibita diligenti meditatione et collatione genuinum Scripturæ sensum ex ipsa Scriptura, non ex hominum decretis, possit ostendere.

q 2 Tim. cap. 3. ver. 16, 17.

r Act. Apost. cap. 17. ver. 11.

s Marc. cap. 12. ver. 24.

t Act. Apost. cap. 17. ver. 2, 3. cap. 18. ver. 28. Epist. ad Titum, cap. 1. ver. 9, 10, 11.

u Bellarm. de verb. Dei, lib. 3. cap. 9.

x Bellarm. de verb. Dei, lib. 3. cap. 3.

2. " In omni republica bene instituta et ordinata Lex et Judex distinctæ res sunt. Lex enim docet, quid agendum; et judex legem interpretatur et secundum eam homines dirigit." Respondetur: 1. Ita videlicet in republica bene instituta distinctæ sunt res Lex et Judex: ut tamen legi principale tribuatur judicium; magistratui tantum secundarium, utpote constituto *νομοφύλακι καὶ ὑπηρέτῃ τοῖς νόμοις* (quemadmodum antea monuimus) ut non ex arbitris et voluntate sua, sed " secundum legem homines dirigat," sicut hic probe monet Bellarminus[y]. Sic vero etiam et nos distinguimus inter sententiam Spiritus Sancti canone sacro comprehensam et sententiam Doctorum et pastorum Ecclesiæ, qui ejusdem canonis administri sunt: sic tamen ut alteri judicium summum attribuamus, alteri non nisi ministeriale, et ad ipsius Scripturæ sententiam alligatum. 2. Quamvis in republica magistratibus tribui possit judicium *αὐτοκρατορικὸν*, nullo tamen modo tribuendum est pastoribus Ecclesiæ; horum enim authoritas non cum imperio conjuncta est, ut illorum, sed cum ministerio[z], neque periculum quod ex errore forensis judicii oritur, conferendum est cum periculo quod ecclesiastici judicii aberratio creat. Ut hic multo majore religione quam illic ad normam legis judicem astringi necesse sit, nec nisi cum summo rerum discrimine absolutum judicium permitti possit.

3. " De Scripturæ interpretatione quæstio est: non autem se ipsa interpretari potest." Respondemus nos, Scripturam seipsam interpretari: et ex diligenti variorum locorum collatione verum sensum erui posse. Sed quærit amplius Bellarminus, " Quid si multi sint linguarum periti et eadem loca conferant et tamen adhuc convenire non possint, quis tum erit judex?" Respondetur: Hic ut in omni controversia religionis judicium *δοκιμαστικὸν* et discretivum (quod dicitur) cuilibet docto et pio Christiano permittendum est, ut pro mensura gratiæ sibi datæ quid rectum videatur, quid secus dijudicare possit. Judicium determinativum ministeriale illorum hominum cœtui, qui publicam

[y] Vid. Deuteron. cap. 17. ver. 10, 11.

[z] Vid. 1 Cor. cap. 3. ver. 5. 2 Cor. cap. 1. ver. 24. cap. 5. ver. 18.

vocationem et authoritatem habent judicia ecclesiastica exercendi deferendum est. Judicium vero absolutum et simpliciter infallibile ab alio judice non est expectandum, quam a Spiritu Dei publicam sententiam per Scripturam ferente eamque patefaciente "privatim[a] singulis sicut vult." Quod si nondum pii et docti idem sentient, ferent alii alios, donec Deus hoc revelaverit; interea in eo ad quod usque pervenerunt, eadem incedentes via et idem sapientes, quemadmodum ex Apostoli sententia[b] pie monet doctissimus Jurius. Hæretici vero, qui sententiam Spiritus Sancti ex Scripturis a Christi servis ipsis propositam, nolunt agnoscere, post unam et alteram commonefactionam ut perversi et *αὐτοκατάκριτοι*[c] sibi relinquendi sunt. Nec aliter se res habet in hoc de quo agimus judicio, quam in adversarii refutatione. Nam sufficienter confutari potest adversarius, ut fatetur[d] Stapletonus, etsi non efficaciter, quod contingit "non ex defectu refutationis justæ, sed ex protervia adversarii refutandi. Non minus enim pertinacia invicta est et nescia cedere veritati, quam ipsa veritas invicta est et nescit cadere falsitati." Ita ut summum et infallibile judicium de rebus in religione controversis ex sacra Scriptura peti possit, non requirendum est ut id fiat efficaciter, sic ut utraque pars litigantium in proposito judicio acquiescat: cum satis sit ut id fiat sufficienter, quod nos sacræ Scripturæ sententiæ convenire contra Pontificios accurate defendimus.

Objicies forte ex Gretsero, "omnis[e] judex ita debet dicere sententiam, ut altera pars litigantium evidenter sciat se vicisse, altera pars evidenter sciat se causam amisisse quantum est ex parte hujus judicis. Hoc neque sacra Scriptura nec Spiritus Sanctus per Scripturam potest facere. Ergo neque sacra Scriptura nec Spiritus Sanctus loquens per Scripturam est talis judex." Respondetur: Concedi potest conclusio: neque enim nos dicimus vel sacram Scripturam vel Spiritum Sanctum talem esse ju-

[a] 1 Epist. ad Cor. cap. 12. ver. 11. [b] Epist. ad. Philipp. cap. 3. ver. 15, 16.

[c] Epist. ad Tit. cap. 3. ver. 10, 11.

[d] Stapleton. in Relect. prin. doctrin. controv. 6. quæst. 2. explic. artic. 4.

[e] Gretser. in sess. 9. Colloquii Ratisbon. pag. 219. et Respons. ad Theses Hunnianas, cap. 18.

dicem, ministerialem scilicet et enuntiativum, de quo propositio tantum admittenda est, quæ non nisi in tribunali practico locum habet, ubi actu instituuntur disceptationes, et judex, præeunte lege, fert sententiam. At ipsa lex, cui summum et primarium judicium tribuimus, sententiam de re controversa fert, sive litigantes percipiant sive non. Verbo enim Dei revera judicantur increduli, etiamsi ignorant se judicatos esse vel id non credant, quemadmodum Moses Judæos accusare dicitur[f], quantumvis in ipso sperantes.

Objicies postremo hac ratione nunquam terminandas esse controversias. Respondetur: Ut actu terminentur omnes controversiæ, quamdiu in hoc mundo versamur, frustra expectamus. Ut enim offendicula[g], sic etiam hæreses[h] oportet esse. Quibus tamen terminandis sufficienter Deum Ecclesiæ suæ providisse dicimus, data Scriptura quæ ad omnium errorum redargutionem[i] perfecte instruere potest hominem Dei. Ubi vero ex verbo Dei sufficienter proposita fuerit veritas, ad alium exitum res perduci non potest, quam illum ab Apostolo notatum, "Si[k] quis sibi videtur Propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, esse Domini mandata. Qui vero ignarus est, ignarus esto."

[f] Johan. cap. 5. ver. 45.
[g] Matth. cap. 18. ver. 7.
[h] 1 Epist. ad Cor. cap. 11. ver. 19.
[i] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 16, 17.
[k] 1 Epist. ad Cor. cap. 14. ver. 37, 38.

VII.

DE MINISTERIALI CONTROVERSIARUM JUDICE ET JUDICIO ECCLESIASTICO.

De judicio definitivo, quod divinum ideoque supremum est et absolutum, hactenus dictum est. Sequitur Ecclesiasticum quod ministeriale et limitatum esse dicimus. Judicium enim proprie Dei esse asserimus: judicii vero determinationem ex verbo Dei penes eos esse, qui legitimam vocationem et publicam authoritatem habent de causis controversis cognoscendi et pronuntiandi. Quum autem "Spiritus[a] prophetarum prophetis subjecti sunt," judicium de unius cujus libet prophetæ doctrina ad plurium prophetarum cœtum pertinere intelligimus. Similiter controversia difficiliore oborta, causæ cognitionem ad synodum ecclesiasticam referendam esse dicimus: ubi certo ordine et solenni processu disquisitione facta, exemplo Apostolici concilii[b], et sententiis collatis publicum judicium ex Dei verbo de re proposita ferendum sit. Quo in genere concilium Œcumenicum supremum Ecclesiæ tribunal agnoscimus: nimirum in judicio ministeriali et enuntiativo. Nam quod ad absolutum judicium attinet, non alium summum judicem quam Spiritum Sanctum per Prophetas et Apostolos nobis loquentem; neque aliam ullam sententiam, quæ legis loco sit, præter Spiritum Sanctum admittimus. Omnem vero Ecclesiæ autoritatem subordinatam esse dicimus, sic quidem ut potestatem judicandi habeat, non absolutam tamen, sed limitatam et ad regulam Scripturæ astrictam. Nec vero aliter se res habet in foro; ubi sententia judicis *παρανομος* est ipso jure nulla: quemadmodum confirmat

[a] 1 Epist. ad Cor. cap. 14. ver. 32. [b] Act. Apost. cap. 15. ver. 6.

Jacobus Cujacius[c], et ex ipso jure tam civili quam canonico manifestum est. Nam in jure civili nota est illa Modestini sententia, "Si[d] expressim sententia contra juris rigorem data fuerit, valere non debet: et ideo sine appellatione causa denuo induci potest. Non jure profertur sententia, si specialiter contra leges vel senatusconsulta vel constitutiones fuerit prolata:" et Macri, "cum[e] contra sacras constitutiones judicatur, appellationis necessitas remittitur." Cari, Carini et Numeriani Imperatorum, "Dubium[f] non est, id, quod contra jus gestum videtur, firmitatem non tenere et sine appellatione posse rescindi." Denique Alexandri Augusti, "Sententiam[g] contra manifesti juris formam datam nullas habere vires, palam est: et ideo in hac specie nec provocationis auxilium necessarium fuit:" ubi glossa, "Non valet ergo sententia lata contra jus constitutionis." Eadem quoque sententia a Gratiano inter canones relata est, "Si[h] sententia contra jus scriptum feratur, nullas vires obtinet, nec contra eam est necessarium auxilium provocationis." Cum qua convenit et illa Gregorii, "Sententia[i] contra leges canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, ipso non potest jure subsistere." Et Alexandri III. "cum[k] aliqua causa appellatione remota committitur et sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet: nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam." Sensus est, ut in recitationibus ad hoc caput notat Cujacius, "sententiam quæ iniquitatem continet manifestam, veluti sententiam latam expressim contra jus publicum, etiamsi ab eo dicta est cui causa delegata fuerit, adjecta hac clausula, appellatione remota, rescindendam esse." Videmus igitur judices sic constitutos esse *ὑπηρέτας τοῖς νόμοις*, quemadmodum ex Aristotele antea notatum, ut judicii eorum firmitas a legum

[c] Cujac. ad librum 2. Decretal titul. 27. cap. 1.

[d] Digest lib. 49. Tit. de appellat. l. 19. [e] Digest. lib. 49. Tit. 8.

[f] Cod. lib. 7. Tit. 64. quando provo. non est necess. le. 5.

[g] Ibid. le. 2. [h] Gratian. caus. 2. quæst. 6.

[i] Gregor. in Registr. lib. 2. epist. 6. cap. 45. Et habetur in lib. 2. Decret. titul. 27. De sententia et re judicata, cap. 1.

[k] Decretal. lib. 2. De sentent. et re judicata, cap. 9. et tomo 3. conciliorum, part. 2. pag. 1374. edit. Binianæ.

judicio pendeat: nec ideo nullam judicandi autoritatem illis tribui, si absoluta et irreformabilis illis denegetur. Neque enim si *judex a quo* (ut loquuntur jurisconsulti) *a judice ad quem* distinguatur, consequens est ut inferiori illi judici, a cujus sententia provocari possit, omnis potestas judiciaria adimenda sit. Et ipse Bellarminus defendit, "concilium[l] esse verum judicium et episcopos veros judices," licet addat in fine capitis, "a pontifice posse retractari illud judicium;" et alibi sentiat, "generale[m] quoque concilium posse errare neque esse infallibile ejus judicium ante confirmationem Pontificis." Quare de conciliorum autoritate disputaturus, has duas quæstiones inter se distinguit. "Possentne Concilia Episcopalia judicare controversias, tum fidei tum morum, quæ in Ecclesia pro tempore oriuntur," et "Sintne certa et infallibilia Conciliorum judicia?" Prius illud facile admittimus. De posteriore vero respondemus: judicium ecclesiasticum ministeriale tantum esse, non absolutum; ideoque Episcopos non posse absoluta sua autoritate judicare quicquam, sed autoritate et judicio verbi Dei. Cum vero eorum judicium ita limitatum sit, non absolute aut simpliciter infallibile et irreformabile agnosci posse, sed conditionaliter, ut eatenus infallibiliter judicent quatenus a norma verbi non recedunt, et in Scripturis exponendis dictamen Spiritus Sancti, non ἰδίαν[n] ἐπίλυσιν sequuntur, quemadmodum Apostolus monuit.

Pontificiorum vero sententiam ut intelligamus, duo explicanda sunt: I. Quantam autoritatem judicio Ecclesiæ tribuant. II. Quid Ecclesiæ nomine hic intellectum velint, vel in qua persona illam summam Ecclesiæ autoritatem residere autument.

Quid ad primum attinet: in eo a nobis dissentiunt Pontificii, quod Ecclesiæ potestatem non limitatam, sed absolutam, indeterminatam et infallibilem attribuunt; ejusque autoritatem in controversiis definiendis non minus certam esse statuunt, quam ipsius sacræ Scripturæ. Hinc

[l] Bellarmin. de concil. lib. 1. cap. 18.

[m] Bellarmin. de concil. lib. 2. cap. 11.

[n] 2 Petr. cap. 1. ver. 20, 21.

Bellarminus a concilio Hierosolymitano in Actibus Apostolorum, ex quo aliis conciliis Ecclesiasticis similem autoritatem astruere nititur, tria notanda esse monet. "1. In[o] eo concilio non ex Scripturis, sed ad suffragia Apostolorum definitam esse quæstionem. 2. Apostolorum sententiam non fuisse permissam examini discipulorum, sed simpliciter imperatum fuisse, ut obedirent: unde colligit nostros, qui conciliorum sententiam examinari volunt ab unoquoque homine privato, cum Scripturis manifestissime pugnare. 3. Concilii Apostolici definitionem veram legem fuisse obligantem in conscientia." Hinc intelligimus quam absolutam potestatem Conciliis tribuendam statuat Bellarminus. Idem asserit, "Spiritum[p] Sanctum certo inveniri in Ecclesia, id est, in concilio Episcoporum confirmato a summo Ecclesiæ totius Pastore, sive in summo Pastore cum concilio aliorum pastorum:" et addit, "verbum[q] Ecclesiæ, id est, concilii vel Pontificis docentis ex cathedra, non esse omnino verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo verbum Dei, id est, prolatum assistente et gubernante Spiritu Sancto." Hinc illud a Stapletono toties inculcatum, "Vocem determinantis Ecclesiæ esse divinam," quod in Triplicatione adversus Whitakerum sic ab eo explicatum est: "Vocis[r] ecclesiasticæ autoritas ideo divina est, non solum quia ea quæ ex ore Dei prodierunt, de facto loquitur (commune quippe hoc omnibus piis est) sed quia ut ex ore Dei loquatur, singularem a Deo commissionem accepit, et divini Spiritus assistentia infallibili donatur. Sic vera ratio et quæ a priore ducitur cur Ecclesiæ determinanti credam, ea est; quod legitimam autoritatem et gratiam infallibiliter determinandi habet." Nec prætermittendus etiam est noster Christophorus de Sacrobosco, cujus verba sunt ista: "Respondeo[s], Ecclesiæ autoritatem esse infallibilem, et hoc, cum cætera adsint, sufficere ad officium judicis.

[o] Bellarmin. de concil. lib. 1. cap. 18.
[p] Bellarmin. de verbo Dei, lib. 3. cap. 3.
[q] Ibid. cap. 10.
[r] Stapleton. Tripli. adv. Whitaker, cap. 15.
[s] De Sacrobosco Defens. Decret. Trident. part. 1. cap. 6.

Scripturæ vero aliquid deest, quo minus judex esse queat. Quantum autem ad comparationem, dico Ecclesiæ autoritatem parem esse autoritati Scripturæ. Et ratio est, quia unus et idem Deus, qui regebat Apostolos et Prophetas, ne errarent scribendo, dirigit Ecclesiam ne labatur in interpretando." Parum dixit "Ecclesiæ autoritatem parem esse autoritati Scripturæ:" dixisset cum Alberto Pighio, "non[t], solum non inferiorem, non solum parem, imo et quodammodo superiorem et notiorem Ecclesiæ autoritatem autoritate Scripturarum." Id certe defendendum sibi sumpsit, Thomas Bozius, ubi (ne forte quid sibi vellet, minus intelligeremus) quæstionis statum sic informat; "cum[u] dicimus, quodnam horum plus habeat auctoritatis, est sensus, ob quam causam magis sit adhibenda fides credendis, vel quod scripta sint, vel quod Ecclesia dicit ea credenda." Addit deinde, "Christum Deum in Ecclesia residere, et esse; et idcirco vocem doctrinamque Ecclesiæ esse divinam. Quicquid habet boni ac perficit Scriptura, quicquid pleni ac solidi, id habere ab Ecclesia, quæ implet eum, qui implet omnia: sensum Scripturæ non inhærere literis, et notis, sed ipsi Ecclesiæ. Mutum fere, languidumque esse scriptum nisi adsit Ecclesiæ mens. Deum denique esse in Ecclesia magis quam Scriptis, ac veritatem, veritatisque testimonium eodem modo." Atque hinc defensori Johannis Pistorii Ecclesia non solum "propheta" est[x] sed etiam "plusquam propheta[y]," imo "major omnibus prophetis"[z]. Parum aberat quin ipso etiam Spiritu Sancto majorem dixerit. Et an non hoc quoque dicit, "cum Spiritum Sanctum Ecclesiæ vicarium" dicit[a]. Id vero Martinus Becanus viderit, qui sacratissimo Regi nostro Jacobo hæresis Macedonianæ labem conatus est aspergere, quod in monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges et Principes, "Christi vices explere, quem venturum promiserat, Spiritum Sanctum," affirmaverit. Vicarius enim "proprie loquendo minor est, seu inferior eo, cujus est vica-

[t] Pighius. Hierar. Eccles. lib. 1. cap. 2.
[u] Bozius de signis Eccles. lib. 16. cap. 10.
[x] Sic enim loquitur, pag. 415. [y] Circa pag. 224.
[z] Circ. pag. 286. vel 289. neque enim liber est ad manum.
[a] Vid. pag. 416.

rius," ait[b] Becanus: et Bellarminus in Apologia contra eandem Præfationem, "cum[c] ordinarie," inquit, "inferior sit, qui alterius vices gerit eo cujus vices gerit; certe si Spiritus Sanctus Christi vices gerit in Ecclesia regenda, Christo inferior erit." Tamen "illum[d] vicarium Domini Spiritum" a Tertulliano dictum aliquando audivimus: "neglexerit[e] officium Dei villicus, Christi vicarius, Spiritus Sanctus," inquit idem: facileque admittit Becanus, "Spiritum Sanctum improprie saltem vocari aliquo modo posse vicarium Christi:" modo Petrum, vel Romanum Pontificem, proprie ejusdem vicarium esse teneamus. At Spiritum Sanctum vel proprie vel improprie Ecclesiæ vicarium agnoscendum ante hoc tempus ne fando quidem auditum est. Itaque si Becano novum commentum videtur, Spiritum Sanctum esse vicarium Christi: quid hoc videbitur, Spiritum Sanctum esse vicarium Romani Pontificis; et si prius illud ad Macedonianam hæresim videatur accedere, alterum hoc quantulum quæso aberit a Montanismo? quid ni enim Montanus Romanensium jure merito haberi possit Pontifex: si non solum propheta sit, et plusquam propheta, imo major omnibus prophetis, ipso Mose, Elia, Johanne Baptista; sed etiam Spiritum Sanctum habeat vicarium. Cujusmodi ego illis Paracletum

Non equidem invideo: miror magis ———

Nam quod Ecclesiæ nomine in hisce quæstionibus, non alium quam Romanum Pontificem intellectum volunt, ut jam ad alteram partem explicationis sententiæ Pontificiæ accedam, confirmat Gregorius Valentianus, his verbis, "cum[f] dicimus propositionem Ecclesiæ esse conditionem necessariam ad assensum fidei, nomine Ecclesiæ intelligimus ejus caput, id est Romanum Pontificem per se, vel una cum concilio, ex prædicta auctoritate propositiones fidei fidelibus declarantem." et "si quando oriantur controversiæ de fide, Ecclesia non potest in iis definiendis a

[b] Becan. init. 2da partis repetitionis Præfat. Neg.

[c] Bellarmin. Apol. cap. 8. pag. 121. [d] Tertull. de veland. virg. cap. 10.

[e] Tertull. de præscript. Hær. cap. 28.

[f] Greg. valen. tom. 3. Commentar. in Thomen. disp. 1. quæst. 1.

veritate aberrare. Hæc autem Ecclesiæ infallibilis auctoritas ad definiendum non est in singulis fidelibus, quippe qui sine controversia possunt errare singuli, neque est etiam in omnibus omnino fidelibus. Frustra enim data illis esset, cum fieri vix possit, in fidei causis, ut ab omnibus illis sigillatim sententia dicatur. Sed residet illa summa Ecclesiæ auctoritas in Christi Vicario, summo Pontifice; sive una cum episcoporum concilio, sive absque concilio res fidei definire velit." Et cum Melchiore Cano statuit; "eandem prorsus auctoritatem infallibilem ad definiendum esse illam, quæ Pontifici summo, et quæ Ecclesiæ Catholicæ, et quæ Conciliis tribuitur. Neque enim putandum est auctoritatem unam infallibilem habere Pontificem; alteram Ecclesiam; alterum Concilium. Id non ita est. Quinimo illa ipsa auctoritas, quæ in uno Pontifice residet, auctoritas etiam dicitur esse Ecclesiæ; quippe cum Ecclesia nimirum quoddam quasi corpus sit, cujus caput est Pontifex, ut proinde in ea quoque esse merito censeatur illa auctoritas, quæ in ipsius est capite. Atque eadem item Pontificis auctoritas, Conciliorum auctoritas esse dicitur, quatenus eorum acta, et determinationes ille confirmavit. Itaque Conciliorum auctoritas, ut est quidem infallibilis, non alia quædam auctoritas est per se distincta ab auctoritate Pontificis, sed eadem plane, uno quodam modo usurpata ex multis, quibus potest Pontifex suam infallibiliter definiendi auctoritatem exercere." Hæc Gregorius Valentianus. Similiter Bellarminus statuit; "Summum[g] Pontificem cum totam Ecclesiam docet, in his quæ ad fidem pertinent nullo casu errare posse. Generalia Concilia sæpe errasse, quando caruerunt summi Pontificis suffragio. Totam denique firmitatem Conciliorum legitimorum esse a Pontifice; non partim a Pontifice, partim a Concilio." Stapletonus quoque inquit "Potestas[h] et infallibilitas papalis est potestas et gratia personalis personæ Petri et successorum ejus a Christo data." Et post: "Majoritas discretionis et maturioris judicii, si de scientia rerum sacrarum intelligatur; non solum Concilium, sed et theo-

[g] Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 3.

[h] Stapleton. Prelect. princ. doctrinal. contr. 6. quæst. 3 in explic. articuli. 5.

logorum collegium, imo unus aliquis theologus Pontificem facile superabit. Si autem de judicio fidei, et determinatione sensus Scripturæ, quem credere oporteat, intelligatur; non est concilium supra Papam, sed unus Papa Petri successor, cui uni Christus indefectibilitatem fidei impetravit, supra omnes est." Postremo, thesis a Theologis Bavaricis in colloquio Ratisbonensi, septimæ sessionis initio, exhibita fuit hujusmodi." "Sacra Scriptura non est judex omnium controversiarum fidei et religionis Christianæ: sed hoc munus pertinet ad Pontificem Romanum, eoque hodie fungitur Clemens VIII. Petri successor, Christi Vicarius. Cujus definitio toti Ecclesiæ, cum authoritate proposita, in controversis religionis quæstionibus decidendis infallibilis est, sive cum Concilio, sive absque Concilio definiat." Ita videmus quæ, quanta, qualis a Pontificiis Ecclesiæ tribuatur authoritas: et quicquid tandem de Ecclesiæ et Conciliorum authoritate gloriantur, huc demum recidere, ut ex scrinio pectoris Pontificii jura petantur omnia. Summa est "Scripturam regulandam ex Ecclesiæ præscripto, non contra, hanc ex illa" ut inquit Summæ Conciliorum author, Bartholomæus Carranza, nec enim edita esse sacra scripta, "ut[i] præessent fidei religionique nostræ, sed subessent potius." "Quod Ecclesia docet, expressum Dei verbum esse, quod contra sensum et consensum Ecclesiæ docetur, expressum Diaboli verbum esse," sic Hosius in fine libri de expresso Dei verbo. Itaque "si tollamus auctoritatem præsentis Ecclesiæ, et præsentis Concilii (Tridentini) in dubium revocari posse totam fidem Christianam. Omnium enim dogmatum firmitatem pendere ab auctoritate præsentis Ecclesiæ," Bellarmini est ista vox[k]. Uno denique verbo, Papam Achitophelem esse alterum, cujus responsa eo sint loco habenda, "ac[l] si quis consuluisset verbum ipsum Dei."

Atque hæc de judicio ecclesiastico tum Catholicorum tum Romanensium est sententia: in qua explicanda diutius immorati sumus, quod "gravissimam hanc quæstionem"

[i] Pighius Eccles. hierar. lib. 1. cap. 2.

[k] Bellarmin. de Effect. Sacram. lib. 2. cap. 25.

[l] 2 Sam. cap. 16. ver. 23.

esse dicat Bellarminus, et "ex[m] ea quasi dependere omnes controversias" et istorum certe "omnia sunt hominum tenui hoc pendentia filo;" atque ex hoc uno positæ sunt fortunæ causæ Pontificiæ: ut mysteria hæc prodidisse, sit ipsa fundamenta structuræ Babylonicæ detexisse. Totam vero illam molem, quantacunque sit, non super petram, ut illi jactitare solent, sed super arenam ædificatam esse: indeque fieri non posse, quin collabatur Babylon illa, et "casus[n] ejus sit magnus" sequentia demonstrant argumenta.

* * * * * * *

[m] Bellarm. de verb. Dei, cap. 3.

[n] Matth. cap. 7. ver. 35.

VIII.

JUDICIUM ECCLESIASTICUM LIMITATUM ESSE, NON ABSOLUTUM ET SIMPLICITER INFALLIBILE: NEC AB EJUS AUTHORITATE DOGMATUM RELIGIONIS FIRMITATEM PENDERE.

Solvuntur argumenta Bellarmini ex Vetere Testamento desumpta libro tertio de verbo Dei, capite quarto.

Dicit Bellarminus, "Primum testimonium habetur ex capite decimo octavo Exodi: ibi enim legimus, quod cum cœpisset populus Dei redigi ad quandam formam ecclesiasticæ reipublicæ, sedebat Moses tanquam princeps et caput illius ecclesiæ, et ad omnia dubia circa legem Domini exorta respondebat: et cum constituisset minores magistratus qui populum judicarent, semper tamen sibi servabat dubia circa religionem, nimirum ut intelligeremus, unum esse debere commune tribunal, a quo omnes petant divinæ leges interpretationem, et cui omnes simpliciter acquiescant." Respondetur: Non sequitur, quia judicis extraordinarii, qui in rebus dubiis ab ipso Deo[a] responsa accipiebat sententia erat infallibilis, eique tuto acquiesci potuit: ergo sententia judicum ordinariorum eadem est ratio. Nam ut demus Bellarmino, Mosen fuisse Pontificem, et quidem summum in quo probando is frustra sudat, ipse tamen fateri cogitur, summum Pontificem ordinarium unum tantum esse potuisse, et illum fuisse Aaronem; Mosen vero fuisse "extraordinarium a Deo specialiter constitutum." Moses quoque summus fuit Princeps politicus; et ut talis, magistratus illos minores constituit (de quibus ex Exod. cap. 18. Bellarminus) qui controversias politicas discepta-

[a] Exod. cap. 18. ver. 15. 19.

rent. An vero hanc consequentiam admittit Jesuita, inferiores magistratus, quorum erat officium civiles controversias dirimere, difficiliores causas referebant[b] ad Mosen magistratum summum, cujus sententiæ ut infallibili simpliciter erat acquiescendum: ergo etiam nunc summus Reipublicæ magistratus in ferenda sententia de jure politico errare non potest.

II. Deuteronomii capite decimo septimo, lex generalis fertur: "Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter causam et causam, lepram et lepram et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequensque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur." Hic, inquit Bellarminus, "valde clare non remittuntur dubitantes ad spiritum suum, sed ad judicem vivum, id est, summum Sacerdotem." Respondetur: Neque vero a nobis remittuntur dubitantes vel ad spiritum privatum, vel ad judicem aliquem mortuum: sed ad publicum judicium Spiritus Sancti in Verbo suo nobis loquentis, et Verbi ministros, qui non privatam Scripturæ interpretationem, quam cum Apostolo[c] explodimus, ex suo ingenio textui inferant, sed sensum cum mente Spiritus Sancti congruentem ex publicis ejusdem archivis, id est, ex ipso textu diligenter expenso et cum aliis Scripturis studiose collato expromant. Neque vero dum ad legem et testimonium homines remittimus, et Deum consulendum dicimus, mortuos[d] adire jubemus: nisi forte Spiritum Dei viventis mortuum judicem, et sermonem ejus vivum[e] et efficacem et quovis gladio ancipiti penetrantiorem, rem sine anima; et

[b] Exod. cap. 18. ver. 26.
[c] 2 Petr. cap. 1. ver. 20.
[d] Esai. cap. 8. ver. 19, 20.
[e] Epist ad Hebr. cap. 4. ver. 12.

viva[f] eloquia literam[g] mortuam cum Costero appellare libeat. Est itaque hic inepta et calumniosa (ne dicam blasphema) Bellarmini conclusio. Fallit quoque nos, ut in loco Deuteronomii valde clare remitti dubitantes affirmat, ad judicem vivum, id est, summum sacerdotem. Nam neque judex cujus ibi facta mentio, sacerdos intelligitur utcumque libitum sit Gretsero, per sacerdotem et judicem unum eundemque intelligere, neque ad unum aliquem sacerdotem remittuntur dubitantes, sed ad plures: prius clare patet ex versu duodecimo, ubi disertis verbis sacerdos distinguitur a judice: "vir autem ille qui commiserit superbe, ut non auscultet sacerdoti stanti ad ministrandum ibi Jehovæ Deo tuo, aut judici, utique morietur vir ille."

In textu Hebræo, quemadmodum etiam in Græco et Chaldæo et Latino vetere, quem citat Cyprianus, conjunctio disjunctiva cernitur: pro qua in vulgata editione Latina Clementis VIII. jussu edita, conjunctio copulativa legitur. Ex qua ipsa tamen distinctionem hanc colligit Alphonsus Tostatus: ita scribens: "iste[h] judex alius erat quam ipse sacerdos magnus; quod notat ista copulativa ET," nec minus clare in illa depravata editionis Latinæ lectione, quam Bellarminus est secutus, sacerdos a judice distinguitur: "qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio; ex decreto judicis morietur."

Alterum illud patet ex versu nono, ubi legitur: "et adibis sacerdotes Leviticos," vel ut est in editione vulgata Latina, "Venies ad sacerdotes Levitici generis" quanquam Bellarminus fide Jesuitica citet singulariter; "venies ad sacerdotem Levitici generis." Id quod etiam facit in libro de Romano Pontifice, ubi clarissimum testimonium esse asserit (postquam ipse verba textus apertissime corrupisset) "quod[i] dubia de religione exorta ad summum Pontificem judicanda referuntur." Similiter quoque in Apologia adversus monitoriam præfationem Regis nostri invictissimi, perorationi regiæ respondens, hunc locum

[f] Act. Apost. cap. 7. ver. 38.

[g] Coster. Enchirid. de sacr. Scriptur. lib. 1.

[h] Tostat. in Deuteron. quæst. 6.

[i] Bellarmin. de Roman. Pont. lib. 4. cap. 1.

citat; ubi probandum sibi sumit, "utriusque Testamenti tabulas ad Sacerdotis Summi judicium nos remittere" et ne vitioso exemplari usum putemus Bellarminum, sed consulto in corrumpendo textu causæ suæ inserviisse intelligamus: alibi, ubi ipsi visum est commodum, ex hoc ipso loco colligit, in dubiis recurrendum esse "ad Sacerdotum concilia." Nempe hoc facit, ubi probandum erat: "Episcopos[k] in conciliis, non consiliarios, sed judices." Libro vero de Romano Pontifice ubi probare voluit, "quod Papa sit summus judex in controversiis fidei, et morum dijudicandis:" mutata quæstione, mutari quoque placuit et Scripturam. Porro dubiis circa legem divinam exortis remittendos esse homines ad ministros legis, quis nostrum negat? illud modo controversum est, quanta sit ministerialis hujus judicii authoritas: utrum limitata et ad regulam legis adstricta, an ita absoluta ut citra ulteriorem disquisitionem conscientiæ hominis pii illi acquiescere et possit et debeat? quod ut intelligamus diligenter tenenda est differentia inter forum externum et internum, forum (ut appellant) contentiosum et forum conscientiæ. In foro exteriori, quod Reipublicæ paci et Ecclesiæ unitati procurandæ servit, certos judiciorum gradus constituit Deus: atque ut litibus et controversiis aliquis tandem poneretur terminus, unum supremum esse voluit, a quo provocare non liceret. Quanquam vero cujusque judicis sit officium, recte et incorrupte judicare; et quæ in externo peraguntur foro, ad pacem Ecclesiæ et Reipublicæ, ac perinde ad pacandas conscientias referantur; ea tamen est humani judicii infirmitas, ut a norma legis et justitiæ nonnunquam aberret. "Neque[l] hujusmodi judicium," inquit Gregorius de Valentia, "seu sententia judicis, si revera sit injusta, vim obligandi in foro conscientiæ habet: ut recte tradunt Innocentius et Panormitanus[m] et Sylvester[n] et Sotus[o] et alii. Nam

[k] Bellarmin. de concil. lib. 1. cap. 18.

[l] Gregor. de Valent. Comm. in Thom. lib. 3. disput. 5. quæst. 4.

[m] In cap. Quia plerique, Extra de immunitate Ecclesiæ.

[n] In verbo sententia, q. 11.

[o] Lib. 3. de justitia et jure, quæs. 4. artic. 5.

sententia judicis non habet vim, nisi quatenus vere decernit id, quod est justum. Itaque quando hoc vere non decernit, non obligat, etiamsi alioqui esset lata servato juris ordine et secundum allegata et probata." Ita in loco notato determinat Dominicus Sotus; "nullam sententiam quæ contra leges justas profertur, obligare in conscientia: conclusio (inquit) est manifesta, et juris etiam doctoribus confessa; ut apud Innocentium et Panormitanum[p] videre est: quia cum sententia nullum habeat robur, nisi quia est juris declarativa, ubi non est recti juris interpres, nulla est in conscientia." Ex hisce fundamentis respondemus ad locum Deuteronomii: ad rationem judiciorum fori externi legem spectare; neque legislatoris mentem fuisse, ut sententia lata in foro externo, perinde etiam valeret in foro conscientiæ, nisi conditionaliter, quatenus nimirum a norma divinæ legis non abscederet. Quod ad exterioris fori judicia lex hæc pertineat, manifestum est notatione causarum judicio subjectarum (illis verbis, inter sanguinem et sanguinem, inter litem et litem, inter plagam et plagam) quarum aliquæ criminales sunt et sine omni controversia spectant ad cognitionem fori civilis. Quod autem judicium non fuerit certitudinis absolutæ sed conditionalis; ideoque non simpliciter obligaret conscientiam, sed quatenus divinæ legis (quæ sola conscientiam obligat) præscriptum sequeretur: duobus ex ipso textu petitis argumentis evinci potest. Primum est, quia hoc in loco tam ad politicum judicem remittitur causarum controversarum cognitio, quam ad sacerdotem: nec aliter judicis sententiæ obtemperandum esse statuitur, quam ipsius sacerdotis. At judicem politicum in jure dicendo labi non posse; ejusque sententiam absolute veram esse atque irreformabilem, ne ipse quidem dixerit Bellarminus. Is vero, ut vim hujus argumenti declinet duas opponit exceptiones. 1. "Nomine judicis posse hic intelligi principem sacerdotum. Nam in Hebræo est: ascende ad sacerdotem et judicem, quasi diceret, ad concilium sacerdotum, et eorum principem, summum sacerdotem." Respondetur: At ingenui dispu-

[p] In cap. Quia plerique, de immun. Ecclesiæ.

tatoris erat, non quid posset, sed quid debeat responderi, proponere. Non debuisse autem hoc modo responderi neque ita intelligi locum oportuisse; testem damus ipsum Bellarminum, ubi observandum monet, "duas[q] hoc loco personas distingui, sacerdotis et judicis, hoc est pontificis et principis." Refutatur etiam hæc interpretatio ex versu duodecimo, ubi in textu quoque Hebræo, tam sacerdotis quam judicis nomen singulari propositum est numero: et inter utrumque conjunctio non copulativa, sed disjunctiva est interposita. "Vir autem ille, qui per superbiam non auscultaverit sacerdoti stanti ad ministrandrum ibi Jehovæ Deo tuo, aut judici; utique morietur vir ille." Refutatur etiam ex capite decimo nono ubi tam judices quam sacerdotes plurali positi sunt numero: his verbis, "sistent se duo viri quorum fuerit controversia, coram Jehova; ante sacerdotes et judices qui erunt in diebus illis." Ubi conjunctio ו, disjunctive etiam reddi potest; ut in superiori loco cap. 17. ver. 9. collat. cum ver. 12. quæ significatio particulæ hujus frequenter alias occurrit ut Genes. cap. 26. ver. 11. Exod. cap. 1 ver. 10. et cap. 21. ver. 15. 17. etc. Refutatur denique ex 2 Chron. cap. 19. ver. 8. ubi rex Josaphatus hæc ipsa suprema judicia (ut ex versu decimo constat) collapsa restauraturus, Hierosolymis constituisse dicitur "tum Levitas et Sacerdotes," tum etiam "primores paternarum familiarum Israelis, ad judicia Jehovæ, et ad lites." Et in versu undecimo primarius judex in omni negotio Jehovæ id est, ecclesiastico constituitur Amarias sacerdos: Zebadias vero filius Ismaelis antecessor in domo Judæ (id est in regno seu republica Judaica) in omni negotio regio, hoc est, regni, sive politico. atque hæc adversus primam Bellarmini exceptionem. 2° dicit; "si intelligamus nomine judicis politicum principem, hic esse distincta officia. Sacerdoti enim tribui sententiam definitivam, Judici autem executionem in contumaces." Idque probat ex versu duodecimo "qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto judicis morietur." Ex quibus verbis colligit, tum hic, tum libro quarto de Romano Pontifice. "Sacerdoti

[q] Bellarmin. de Rom. pontif. lib. 4. cap. 1.

sententiæ pronuntiationem, judici politico executionem demandari." Respondetur. Inepte judici adimit Jesuita, quod judicis maxime est proprium, sententiæ pronuntiationem quam in causis criminalibus, cujusmodi hic commemorantur, "inter sanguinem et sanguinem," ad sacerdotem pertinere, non ad judicem politicum, impudentem admodum esse oportet qui affirmet. In textu certe Hebræo (Græco quoque et Chaldæo) eadem definiendi authoritas tribuitur sacerdoti et judici: sic enim habent verba Mosis: "Vir enim ille qui fecerit per superbiam, ut non auscultet sacerdoti stanti ad ministrandum ibi Jehovæ Deo aut judici; utique morietur vir ille," vel ut vetus editio Latina qua Cyprianus[r] usus est legit: "et homo quicunque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem, aut judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille." Nec aliud sonaret textus ipsius editionis Vulgatæ, si bona fide fuisset a Jesuita productus. Ita enim tum in textu quo Alphonsus Tostatus et Cardinalis Caietanus uti sunt, tum in postrema Clementis VIII. editione legitur: "qui autem superbierit, obedire nolens sacerdotis imperio, et decreto judicis, morietur homo ille." Ubi Franciscus Lucas Brugensis in Romanarum Correctionum observationibus inquit "legenda est conjunctio ET, non præpositio EX." Bellarminus tamen, ut persuadere posset, ad sacerdotem sententiæ pronuntiationem, ad judicem politicum executionem spectare; contra Hebræorum Græcorum et Chaldæorum codicum fidem, depravatam Latinorum exemplarium lectionem sequi maluit; atque ita locum extare, "ex[s] decreto judicis morietur," vel "ex[t] sententia judicis morietur."

Sic igitur primum argumentum pro genuina legis hujus sententia allatum, a Bellarmini exceptionibus vindicavimus. Sequitur alterum ductum a restrictione illa in textu expressa, qua sacerdotes ad legem astringuntur, ut non absoluta authoritate quicquam judicarent, sed legem Domini in judicando sequerentur. Unde concludimus eorum

[r] Cyprian. Epist. 55. 62. 65. 69. Op. pag. 81. 103. 112. 120.

[s] Bellarmin. verb. Dei. lib. 3. cap. 4.

[t] Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 1.

judicium non absolutum fuisse, sed limitatum; et quantæcunque authoritatis fuerit in foro externo, in interno nonnisi legis divinæ authoritate suffultum valere debuisse. In editione vulgata Latina, quam nemo Pontificiorum (siquidem sanctioni Tridentinæ stare velit) rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat; ita locus est redditus: "Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus." In eandem quoque sententiam legitur in Hebræo textu, ne vim argumenti pendere putet Bellarminus ab authoritate solius editionis vulgatæ Latinæ, quanquam vel ea sola ad Papistas revincendos sufficerit. "Secundum os legis quam docuerint te, et secundum judicium illud quod dixerint tibi, facies." "Juxta os legis," inquit Hieronymus ab Oleastro, "id est, prout lex dixerit; habet enim lex vocem suam et loquelam juxta illud Pauli ad Romanos 'scimus autem quod quæcunque lex loquitur his qui sub lege sunt, loquitur:' unde illi supremi judices, non debebant pro suo arbitrio judicare, sed ore legis loqui et pronuntiare sententiam." Neque enim hic legem possumus intelligere aliam quam divinam, illam cujus sacerdotes constituti sunt ministri, nisi forte *νομοφύλακας* in *νομοθέτας* libeat convertere. Sed ut res extra omnem ponatur controversiam, in prophetiis Ezechielis habetur luculenta sententiæ hujus interpretatio: "In[u] lite autem ipsi insistunto juri, secundum jura mea judicanto illam, legesque meas et statuta mea cum omnibus solennitatibus meis observanto." Hinc Strabus in Glossa ordinaria Deut. 17. "nota," inquit, "non dicitur tibi, ut obedias, nisi juxta legem docuerint:" et Nicolaus Lyranus, "Hic dicit glossa Hebraica: si dixerit tibi quod dextera sit sinistra, vel sinistra dextera, talis sententia est tenenda. Quod patet manifeste falsum: quia sententia nullius hominis, cujuscunque sit authoritatis, est tenenda, si contineat manifeste falsitatem vel errorem; et hoc patet per hoc quod præmittitur in textu: judicabunt tibi judicii veritatem. Postea subditur: et docuerint te juxta legem ejus; ex quo patet, quod si dicant falsum, vel declinent a lege Dei manifeste,

[u] Ezech. cap. 44. ver. 24.

non sunt audiendi." Hæc Lyranus. Similiter Alphonsus Tostatus contra eandem Rabbinorum glossam disputans, "valde," inquit, "deficiunt in hoc, quia nulli homini contra per se notam veritatem dicenti credendum est: maxime quia hoc includit contradictionem. Item sequeretur quod si dicerent esse credendos Deos alienos, credendum esset eis, et sic mandando contra aliqua legalia: sed in litera ponitur contrarium: quia dicitur quod illi judices duas conditiones habere debent. Prima, quod judicent secundum veritatem: quia dicitur quod judicabunt tibi judicii veritatem. Secunda conditio, quod non judicent contra legem: ideo dicitur; et docuerint te juxta legem ejus. Ergo videtur, quod si judicaverint contra veritatem, vel contra legem, quod non est eis assentiendum." Hieronymus ab Oleastro ex lectione Hebraica eandem deducit conclusionem: "non est judicibus liberum judicare ut volunt, sed juxta leges: et illis parendum præcipit, cum secundum eas judicaverint." Postremo, Cardinalis Cajetanus annotat, positam hic esse "conditionem ex parte legis divinæ: ut videlicet conformis sit doctrina eorum divinæ legi. Unde et Hebraice habetur: Super os legis quod docebunt te, et super judicium quod dicent tibi, facies. Nisi enim divinæ legis ori congruat tam quod docent quam quod judicent sacerdotes et judex in ambiguis, divina non est fultum authoritate." Bellarminus tamen contra opponit, illud "et docuerint te juxta legem ejus," non sonare conditionem sed assertionem, sive promissionem. "Non enim Dominum voluisse dicere, 'sta judicio sacerdotis, si docuerit te secundum legem,' sed voluisse securum reddere populum, qui sacerdotis judicio acquiescit. Quod facit cum affirmat judicaturum eum secundum legem suam." Respondetur: in textu Mosis nulla extat hujusmodi assertio vel promissio; sed mandatum tantum, ut id fiat, quod legis ministri secundum os, id est, ex præstituto legis, docuerint esse faciendum: ex quo, quid illi debuerint facere, non quid semper facturi sint, potest colligi. Ut omittam Jesuiticam assertionem manifestæ repugnare experientiæ, quæ docuit sacerdotes aliquando "vim fecisse legi Dei, et prophanasse res sanctas ejus, inter sanctum et prophanum non discrevisse, et inter impurum et

purum discrimen non ostendisse, ignorasse[x] intelligentiam et docere[y] nescivisse, fecisse denique ut[z] impingerent multi in legem." At conditionem hic intelligendam non esse, sed promissionem, tribus ratiunculis probare nititur Bellarminus. 1. "Aliter fuissent homines magis dubii et perplexi quam antea." Respondetur: negamus id esse consequens. Nam quod ad forum externum attinet, supremo hoc judicio, sublata ulteriore provocatione, terminanda erat controversia. Quod vero ad internum, non magis dubiæ et perplexæ redduntur conscientiæ, sed dubitatione et perplexitate liberantur, audita a Sacerdotibus sententia legis Domini: ea enim "sapientiam[a] affert imperito:" dubitationem et perplexitatem non auget. 2. "Non opus fuisset ire ad sacerdotem, si ipsi potuissent ex lege Domini per se judicare causam suam." Respondetur: neque vero in causis quas ipsi possent ex lege Domini per se judicare, remittuntur hic ad sacerdotes vel judicem: sed quando occulta erat ipsis res in judicio ferendo. Neque enim qui in genere legem intelligebant, statim rationem decisionis omnium specialium casuum inde poterant depromere. Non omnes legis divinæ æque gnari erant, nec erat ea omnibus ita perspicua ut sacerdotibus, quibus ex speciali vocatione legis divinæ ministerium erat commissum. Par igitur erat, ut ejusmodi dubiis emergentibus, clarior legis explicatio a sacerdotibus peteretur. Adde etiam quod in foro externo (ad cujus controversias hanc legem spectare ostendimus) utcunque ea intelligentia præditi fuissent homines privati, ut ex lege causas suas per se judicare possent: nihilominus tamen opus fuisse ut ad publicum judicium recurreretur, quo controversiæ inter partes litigantes terminarentur, quæ sententia privati hominis, quantumvis peritissimi, componi non poterant. 3. "Non sacerdos fuisset judex, sed ipsi; quippe qui de sententia Sacerdotis judicaturi erant." Respondendum cum Junio nostro; "aliam esse judicii privati rationem quod privatus apud se sentit, aliam vero judicii quod publica authoritate, interdum etiam cogente, instructum est." Qui

[x] Ezech. cap. 22. ver. 26.
[y] Esai. cap. 56. ver. 10, 11.
[z] Malach. cap. 2. ver. 8.
[a] Psalm. 19. ver. 8.

ab inferioris magistratus sententia ad superiorem judicem provocat, de sententia lata aliquo modo judicat; nec inde tamen sequitur alterum illum, a quo facta est provocatio, non fuisse judicem: imo et de supremi judicis sententia, utrum ea legibus conformis sit, an secus, privato judicio statuere apud se potest juris peritus; nec ideo tamen alter supremus judex esse desinet. In foro interno nihil erit absurdi, si homines privati ad conscientiam melius informandam inquirant in rationes prolatæ a sacerdotibus sententiæ, et ad normam legis divinæ, cui illi sunt adstricti, sic quidem, ut ab ea aberrantes omnino conscientias hominum obligare non possint, examinent. Quo nomine Berœenses commendatos legimus, quod Pauli concionibus auditis, "receperint[b] quidem sermonem cum omni alacritate" sed simul "quotidie Scripturas scrutati fuerint an hæc ita se haberent." Neque hujusmodi judicio vel Christus ipse vel Apostoli sese subduxerunt: neque sacerdotes ita judicare debuerunt, ut de prolata a se ex lege Dei sententia aliorum judicium opus esset extimescere.

III. "Verba[c] sapientum sicut stimuli, et sicut clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras." Hoc loco, inquit Bellarminus, "Solomon docet, non esse ulterius inquirendum, sed acquiescendum penitus, quando sententia data est a summo pastore, adjuncto præsertim consilio sapientum. Quod si hæc dicuntur de sacerdote veteris Testamenti, quanto magis dici possunt de sacerdote Testamenti novi, qui longe majores promissiones a Deo accepit." Respondetur: per unum pastorem intelligi summum sacerdotem Veteris Testamenti, Bellarmini somnium est, contra scopum contextus, et veterum interpretum sententiam ineptissime confictum. "Chaldæus exprimit Mosem hoc loco, qui pavit solus, inquit, populum domus Israel in deserto. Sed nos multo melius, aut potiore jure de Deo, et Christo, Patres secuti, exposuimus:" ait in commentariis ad hunc locum Johannes Lorinus Jesuita. Similiter pastorem unum, Deum exposuit Emmanuel Sà ejusdem societatis

[b] Act. Apost. cap. 17. ver. 11. [c] Eccles. cap. 12. ver. 12.

theologus, ut et Cajetanus, Lyranus, R. Salomo Jarchi, Alcuinus et his antiquiores Hieronymus Olympiodorus, et Salonius, qui ad hanc quæstionem, "Qui sunt illi magistri per quorum consilium data sunt sapientium verba, aut quis est unus ille pastor, a quo data sunt?" sic respondet, "Magistri sunt sancti prophetæ et apostoli, pastor unus est Deus, a quo data sunt omnia verba sapientum: quia ipse docuit magistros, id est, prophetas et apostolos." Anselmus Laudunensis in Glossa interlineari, non male dictum hoc de pastore uno cum altero illo componit, "Magister[d] vester unus est, Christus." Post quem Hugo Carensis Cardinalis ita locum exposiut, "data sunt a pastore uno, id est Christo, qui solus verus pastor est animarum: unde 'Ego[e] sum Pastor bonus' et 'Magister[f] vester unus est, Christus.'" Id igitur voluit Salomon, verba Prophetarum data esse ab uno eodemque populi sui Pastore Deo[g] filioque ejus Jesu Christo, bono illo pastore et curatore animarum nostrarum[h] quem sapientum omnium per omnes ætates magistrum unicum agnoscimus: et præter quem, novi Testamenti sacerdotem alium ignoramus. Similia sunt quæ de "consilio sapientum," quod summo suo pastori adjungit, argutatur Bellarminus, quod enim in Hebræo est בעלי אספות, non tam "magistrorum consilium" quemadmodum ex editione vulgata Latina citat Bellarminus, significare potest, quam "magistros conciliorum" seu congregationum. Proprie vero redditur, "domini collectionum." quod vel ad ipsos sapientes referre possumus, vel potius ad eorum verba. Ad Sapientes referri poterit, in hanc sententiam: "Verba sapientum sunt tanquam aculei, et tanquam clavi plantati (sive fixi) sunt verba auctorum collectionum, ut ita dicti fuerint, quasi ῥαψῳδοι. לפי שאוספים דברי החכמות בספריהם eo quod collegerint verba sapientiæ in libris suis: ut habet in Michlol, radice אסף, R. David Kimchi. Si vero ad sapientum verba referamus: dicentur ea, phrasi Hebraica, "domini collectionum," id est, lectissimæ, seu summe excel-

[d] Matt. cap. 23. ver. 10.
[e] Johan. cap. 10. ver. 11.
[f] Matt. cap. 23. ver. 10.
[g] Psalm. 23. ver. 1. et 80. ver. 2.
[h] Johan. cap. 10. ver. 14. 1 Petr. cap. 2. ver. 25. et cap. 5. ver. 4.

lentes collectiones; quibus alias omnes quasi famulari oporteat, quo sensu etiam sermones[i] sapientiæ נגידים h. e. antecessores sive principes dicti sunt.

IV. "Hæc[k] dicit Dominus Deus exercituum, interroga sacerdotes legem." "Labia[l] sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est." Ex his verbis colligit Bellarminus "non esse privatorum hominum judicare de sententia legis Domini, sed sacerdotis; qui cum sit angelus, id est, nuncius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei." Respondetur. Ad sacerdotem pertinere ex officio explicare sententiam Dei; inter nos non est controversum. Id quæritur, an apud eum certo inveniri possit Spiritus Sanctus; possitne in Dei sententia explicanda labi; sitne judicium ejus absolutum et simpliciter infallibile? Hoc in Haggæo non habetur: ubi non unus quispiam ex sacerdotibus de lege interrogandus proponitur, sed plures. Cum summo tantum sacerdoti judicium infallibile tribuendum contendat Bellarminus. Malachias quoque in loco citato, quodnam sacerdotum sit officium ostendit: sed quam probe illi officio suo functi fuerint, verbis immediate sequentibus declarat. "At[m] vos recessistis ab illa via, fecistis ut impingerent multi in legem; corrupistis fœdus Leviticum, ait Jehova exercituum." Unde intelligimus, utcunque sacerdos interrogandus sit de lege, is de sententia legis ex officio respondere teneatur: frustra tamen aliquando legem requiri ex ore ejus, nec semper in labiis ejus inveniri scientiam. Ut populo Dei semper tutum non sit ab ore sacerdotis pendere; et absque ulteriori examine omnia ejus pronuntiata simpliciter amplecti: ne cæco ducente cæcum ambo[n] in foveam cadant. Quod enim hinc inferre vult Bellarminus "non esse privatorum hominum judicare de sententia legis Domini:" si de judicio loquatur, quod fit ex officio ministeriali, et publica authoritate (de quo jam quæritur) libenter concedimus. Sin autem ulterius hoc extendere voluerit, ut privatorum non sit sen-

[i] Prov. cap. 8. ver. 6.
[k] Aggæ. cap. 2. ver. 12.
[l] Malach. cap. 2. ver. 7.
[m] Malach. cap. 2. ver. 8.
[n] Matt. cap. 15. ver. 14.

tentiam legis Dominicæ cognoscere ne privato quidem judicio (de quo in proxima quæstione disputandum erit) negamus hoc ullo modo ex Haggæo vel Malachia posse colligi. Nec enim sequitur: sacerdos de lege interrogandus est, et lex requirenda est ex ore ejus: ergo solius sacerdotis de lege interroganda est, nec aliunde quærenda est lex quam ab ore ejus. Non magis profecto quam illud: sacerdotum est scire legem Dei; non igitur privatorum hominum. In sacerdotibus quidem requiritur major sapientiæ mensura: non tamen propterea in privatis requirenda est nulla. Sacerdotum est ex officio speciali et authoritate publica de sententia legis judicare: hinc tamen non esse consequens, aliis non esse permittendum, ut pro ratione vocationis suæ privato judicio sententiam legis Dominicæ recognoscant. Imo vero ipsi aliquando sacerdotes "a[o] laicis discerent ut qui noverint ea quæ ad officium pertinent sacerdotum," monendum putavit, ad locum Haggæi, B. Hieronymus: tantum abest ut omne de rebus sacris judicium a laicis ad sacerdotes putarit ablegandum.

V. Sic loquitur ad sacerdotes rex optimus Josaphat: "omnem[p] causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in urbibus suis, inter cognationem et cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendite eis ut non peccent in Dominum. Amarias autem sacerdos et pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit: porro Zebadias filius Ismahel, qui est dux in domo Judæ, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent." Vides hic, inquit Bellarminus, "quam clare rex distinguat officium pontificis ab officio regis, et soli pontifici tribuat judicium de dubiis legis." Respondetur: 1. Officium pontificis ab officio regis distinguendum esse; cui quæso est obscurum. Quanquam hic certe, ubi Amarias præficitur "negotiis Jehovæ," et Zebadias "negotiis regiis" non fit distinctio officii pontificis ab officio regis, sed causarum ecclesiasticarum a causis politicis. Utrisque vero cognoscendis a rege, ut utriusque tabulæ custodes, præfectos esse judices,

[o] Hieron. op. tom. 3. pag. 1697.

[p] 2 Paralipom. cap. 19. ver. 10, 11.

et consistorium tam ecclesiasticum quam politicum authoritate regia esse constitutum, sacra testatur historia[q]; ne forte putet Bellarminus, ita ad pontificem res ecclesiasticas spectasse, ut earum inspectio et ordinatio ad regis officium nullo modo pertinuerit. 2. Soli pontifici tributum esse judicium de dubiis legis, qui dicere potest Bellarminus? cum hoc ipso in loco scribat, ad plures sacerdotes sic locutum esse Josaphatum "omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum ostendite iis ut non peccent in Dominum:" quanquam nec ad solos sacerdotes sic locutus est, uti innuit Bellarminus, sed ad Levitas etiam, et "primores paternarum familiarum Israelis" quibus judicia in supremo consessu Hierosolymitano, ex præscripto legis[r], æque ab eo demandata sunt: ut manifeste constat ex textu. Certe soli Amariæ non magis tributum esse judicium in negotiis Jehovæ, quam Zebadiæ in negotiis regni: judiciis hisce præfuit uterque, sed ut præses, non ut absolutus et unicus judex. 3. Quod præcipue in controversia est positum id hoc argumento nequaquam attingit Bellarminus: neque enim jam quæritur, an judicium aliquod ecclesiasticum sit admittendum, vel penes quos illud esse debeat, sed quale illud sit, et quantæ authoritatis: limitatumne sit (ut nos affirmamus) an absolutum et irreformabile, ut contendunt Pontificii. Et quidem judicibus istis præcepisse Josaphatum legimus, ut agerent "cum[s] timore Jehovæ, cum fide et cum animo integro," curarentque ne vel ipsi vel populus rei fierent Jehovæ, et incumberet fervens ira ipsis et fratribus suis: quod frustra ille metuisse videri posset, si in sententia ferenda judices isti, ex Dei promissione, omnino labi non possent. De infallibilitate vel sacerdotum vel pontificis in judicando (quæ Bellarmino fuit confirmanda) ne verbum quidem in textu legitur.

[q] 2 Paralipom. cap. 19. ver. 5. 8.
[r] Deuteron. cap. 17. ver. 9, 10.
[s] 2 Paralipom. cap. 19. ver. 9.

IX.

SOLVUNTUR ARGUMENTA BELLARMINI EX NOVO TESTAMENTO PETITA LIBRO TERTIO DE VERBO DEI, CAPITE QUINTO.

I. "Tibi[a] dabo claves regni cœlorum, Et, quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis: quicquid vero solveris in terra, erit solutum in cœlis." Hinc argumentatur Bellarminus, "cui claves regni cœlorum sunt traditæ, generali promissione addita, ut non quemcunque modo, sed quodcunque solverit in terra, solvendum sit in cœlis: ab eo nodi omnes, seu legum, dispensando, seu peccatorum et pœnarum, relaxando, seu dogmatum et controversiarum, explicando, solvi possunt. Petro autem ejusque successoribus hoc modo claves sunt traditæ. Ergo." Respondetur: De assumptione videbimus in controversiis de Romano pontifice, ubi, Deo volente, ostendetur, neque soli Petro traditas esse claves regni cœlorum, sed communiter cum aliis, neque solos Romanæ urbis Episcopos in hoc munere ei successisse. Ad majorem propositionem jam respondemus eam omnino negandam esse. 1. Quia per claves, et ligandi solvendique potestatem, non aliud intelligitur, quam ecclesiastici ministerii potestas, in peccatis incredulorum et impœnitentium retinendis, credentium et resipiscentium solvendis; qua illis quidem clauditur, his vero aperitur regnum cœlorum. Illud enim quodcunque non ad quidvis, sed ad peccatum referendum, ex Johanne, cap. 20. ver. 23. apparet: ubi clavium potestas sic a Christo explicatur, "si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; si quorum retinueritis, retenta sunt." 2. Quia etiamsi locus iste ultra subjectam materiam extendendus esset, non tamen de abso-

[a] Matt. cap. 16. ver. 19.

luta aliqua potestate loquitur, aut judicio simpliciter infallibili; sed de potestate limitata, et ad Dei voluntatem in verbo suo patefactam, cujus ministri præcones tantum sunt et internuncii, restricta. Nec enim in illa, de qua proprie hic agitur, vinculi peccatorum solutione vel ligatione, vel sacerdotes vel pontificem suum errare non posse, affirmare audent pontificii: nec quod ligatur vel solvitur in terris, in cœlis quoque ligari vel solvi agnoscant, nisi supposita conditione clavis non errantis. Nec enim simpliciter ullius pontificis sententia, vel justificare potest impium, vel condemnare justum.

II. "Si[b] Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti ethnicus et publicanus." Hinc disputat Bellarminus: "si qui Ecclesiam, id est, Ecclesiæ pastores non audit, debet esse ut ethnicus et publicanus; sequitur pastorum esse ultimum judicium: at verum prius. Ergo et posterius." Respondetur: Si per ultimum judicium, intelligatur absolutum, infallibile et irretractabile judicium; negatur consequentia. 1. Quia Bellarminus ipse, priore admisso (hoc in loco) non tamen admittit posterius, libro secundo de conciliis, capite undecimo, ubi hoc argumento disputat; concilium generale, ante confirmationem Summi Pontificis posse errare, neque esse "infallibile ejus judicium: quia sententia ejus concilii non est ultimum judicium Ecclesiæ, et tamen si non posset errare, esset ultimum et irretractabile judicium," quibus verbis aperte conclusionem hic positam evertit: et ultimum judicium non in pastorum congregatione, sed in Romano Pontifice collocat. 2. Quia antecedens de Ecclesia particulari a Christo est dictum, de qua tamen falsum est consequens: quod nec ipsi pontificii negare possunt. Agnoscit enim Bellarminus, et res ipsa loquitur, "hic Dominum loqui de injuriis, quas unus ab aliquo patitur:" earum vero cognitionem privatis admonitionibus frustra tentatis, ad Ecclesiæ cognitionem deferri jubet. "Non autem potest fieri, ut deferantur ad congregationem omnium fidelium," inquit Bellarminus: addo et ego: nec potest fieri ut quotidianarum offensarum cog-

[b] Matth. cap. 18. ver. 17.

nitio deferatur ad congregationem omnium pastorum, cum generalia Concilia et rarius cogantur, et de quibusvis privatis offendiculis cognoscere omnino non possint. Superest igitur, ut ad publicum judicium ecclesiæ particularis, in qua partes litigantes degunt, post privatas admonitiones res deferenda significetur; at ecclesiæ particularis non esse ultimum et irreformabile judicium agnoscunt adversarii. 3. Quia antecedens ad censuras et correctiones ecclesiasticas in causis criminalibus a Christo applicatur, (ut constat ex textu:) in quibus tamen non alios solum prælatos, sed ipsum etiam pontificem quandoque labi posse, fateri coguntur pontificii. 4. Quia quod de ministeriali et limitato judicio (cujusmodi est omne ecclesiasticum) est dictum, ad absolutum et infallibile contra jus et fas trahitur. Nec enim quia Christus Ecclesiam audiendam dicit, sequitur magis, Ecclesiæ judicium absolutum esse et infallibile, quam quia Paulus dicit, "obedite[c] ductoribus vestris, et obsecundate," idcirco singularum ecclesiarum pastores ab errore itidem esse immunes.

III. "Super[d] cathedram Mosi sederunt Scribæ et Pharisæi: quæcunque dixerint vobis, servate, et facite; secundum opera eorum nolite facere." Notat hic Bellarminus, "non obstante mala vita prælatorum sequendam esse eorum doctrinam: semper deberi honorem sacerdotio et pontificatui, etiam si forte persona quæ in cathedra sedet, sit minus bona:" denique "quod Dominus de cathedra Mosis dicit, intelligi a fortiori de cathedra Petri." Respondetur: Concedimus doctrinam eorum, qui sedent in cathedra seu Mosis seu Petri (vel Christi potius, ut probe monuit Chrysostomus[e]) sequendam esse, debitumque eorum vocationi honorem esse deferendum, quantumvis vita doctrinæ non respondeat. Sed negamus hoc perinde locum habere debere, ubi iidem sedent in cathedra sua, hoc est, non Mosis et prophetarum, non Christi et apostolorum doctrinam, sed suas inventiones tradunt. Nec enim per cathedram Mosis ordinaria successio intelligenda venit: (negat

[c] Epist. ad Hebr. cap. 13. ver. 17. [d] Matth. cap. 23. ver. 2, 3.
[e] Chrysost. in Johan. Hom. 86. op. tom. 8. pag. 518.

enim ipse Bellarminus[f] Mosem fuisse pontificem ordinarium, cui succederetur) sed doctrina legis (ut recte exponit Hieronymus, in commentariis ad hunc locum) quam doctores sedentes, ut ex Christi exemplo liquet[g], solebant explicare. Hinc vero Christus infert, "omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite." Ergo, inquit, hoc est, quia in cathedra Mosis sederunt, ideo servate quæ dixerint vobis: qua illatione duo significata esse, notat Jansenius, "primum[h], obedientiam deberi his qui ex authoritate docent et jubent, non habito respectu vitæ ipsorum, sed respectu authoritatis qua funguntur, et propter Deum cujus sunt legati. Secundo non esse illis obediendum, si quid male præcipiant, aut doceant: nam si eis est obediendum, quoniam in cathedra sedent Mosis; non est ergo obediendum, quando contra eam cathedram aliquid vel docent, vel præcipiunt. Dicit tamen absolute Dominus, omnia, et addit aliud universale signum, dicens, non quæ, sed quæcunque dixerint: ut perfectam indicaret eis exhibendam obedientiam; sed quæ semper præsupponit, obediendum esse magis Deo quam hominibus: quemadmodum et Paulus dicit, 'Filii[i] obedite parentibus per omnia.'" Hæc Jansenius. Similiter Johannes Ferus: "addit[k] hic Christus quatenus malis prælatis obediendum sit. 'Omnia, inquit, quæ dicunt vobis, servate et facite.' Sed præmisit: 'super cathedram Mosis sedent.' Neque enim voluit Christus ut omnia Pharisæorum dogmata susciperent, sed quatenus legi consonarent. Unde et supra[l] cum docuisset eos legi contraria in aliquibus docere, post aliqua interposita subintulit: cavete a fermento Pharisæorum." Et certe loqui hic Dominum de authoritate et obedientia non absoluta, sed limitata; et nihil minus voluisse, quam Scribarum et Pharisæorum judicium infallibilis fuisse veritatis, et sim-

[f] Bellarmin. de concil. lib. 3. cap. 4.

[g] Matth. cap. 5. ver. 2. et cap. 26. ver. 55. Luc. cap. 4. ver. 20. Johan. cap. 8. ver. 2.

[h] Jansen. comment. in concord. Evangel. cap. 120.

[i] Epist. ad Coloss. cap. 3. ver. 20.

[k] Ferus. comment. in Matth. lib. 3. cap. 23.

[l] Matth. cap. 15. ver. 5.

[m] Matth. cap. 16. ver. 6.

pliciter sequendum, duo argumenta necessario evincunt. Primum quod alias sequeretur singulorum pastorum sententiam esse infallibilem. Nec enim de uno aliquo Scribarum et Pharisæorum principe Dominus hic loquitur, cujus hoc proprium esset privilegium: sed de Scribis et Pharisæis, qui per singulos vicos dispersi, singulis sabbatis Mosem populo in synagogis prædicabant[n]: hos vero in doctrina tradenda errare non posse, manifeste falsum est. Nec privilegium illud vel ipsi Concilio Œcumenico tribuere audet Bellarminus, sed pontificis solius proprium esse contendit. Secundo, quod Christus in sequentibus aperte ostendit, Scribas et Pharisæos ejusmodi duces fuisse, quibus tuto fidi non posset: quippe "qui[o] præcluderent regnum cœlorum hominibus," et erroneas doctrinas populo proponerent; cujusmodi erat illa de juramentis a Christo refutata. "Væ[p] vobis duces cœci, qui dicitis, quisquis juraverit per templum, nihil est: quicunque autem juraverit per aurum templi, debitor est. Stulti et cœci utrum enim majus est, aurum an templum, quod sanctificat aurum." Sic etiam mandatum Dei de honorandis parentibus per Pharisæorum et Scribarum traditionem abrogatum[q] esse idemque in aliis multis ejusdem generis accidisse ostendit: et "a fermento[r] Pharisæorum cavendum" monet; doctrinæ utique fermento, ut diserte exponitur. Quomodo ergo hic Christus ait, omnia quæ dixerint, servanda esse? Respondet Alphonsus Tostatus: "quod illa, de quibus Christus redarguit Pharisæos et Scribas, non includuntur sub generalitate prædicta. Ut si expresse, inquit, prædicarent illi contra legem Moysi, manifestum est quod non erat tenenda doctrina eorum; licet diceretur, quod ad omnia, quæ ipsi prædicarent, tenerentur: quia præsupponitur, quod prædicaturi essent isti veram doctrinam. Simile dicitur Deuteronomii capite decimo septimo, quod non esset declinandum ad dextram aut ad sinistram eorum, quæ dicerent judices, qui essent in loco sancto: et tamen si illi expresse dicerent contra legem Dei, deviandum erat ab eis."

[n] Luc. cap. 5. ver. 17. Act. Apost. cap. 15. ver. 21.
[o] Matth. cap. 23. ver. 13.
[p] Matth. cap. 23. ver. 16, 17.
[q] Marc. cap. 7. ver. 13.
[r] Matth. cap. 16. ver. 6. 12.

Et Johannes Maldonatus in commentariis ad hunc locum: "cum jubet servare, ac facere, quæ Scribæ et Pharisæi, dum in cathedra Mosis sedent, dicunt, non de ipsorum, sed de legis ac Mosis doctrina loquitur: perinde enim est, ac si dicat, omnia quæ lex, et Moses, vobis dixerint, Scribis et Pharisæis recitantibus, servate ac facite, secundum autem opera eorum nolite facere, ut Hilarius et Hieronymus videntur intellexisse." Quo referendum et illud Augustini "sedendo[s] super cathedram Moysi, legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere." Summa est: per "omnia" in dicto Christi, intelligenda esse "omnia legi Dei consentanea," ut recte in notationibus monuit Emanuel Sà Jesuita: nec aliud eum voluisse, quam ea observanda esse, quæ Scribæ et Pharisæi præciperent "ex præscripto legis, id est ex cathedra Mosis:" (ut ab Aria Montano notatum est[t]:) ideoque ad authoritatem limitatam, non ad absolutam et simpliciter infallibilem locum hunc pertinere.

IV. "Simon[u] Petre, pasce oves." Hinc tale argumentum extruit Bellarminus: Cui singulariter commissum est, ut doceat omnes Christianos: ejus singulare est officium docere totam Ecclesiam, constituendo ac decernendo, quid ab omnibus sit credendum. Nec enim potest Pontifex per conciones; nec semper solet per scripta commentaria, omnes homines docere. At Petro, et successoribus ejus, singulariter est commissum, ut doceant omnes Christianos. Ergo. Respondetur ad assumptionem: 1. Falsum est Petro commissum esse hoc pascendi officium singulariter: communiter ei cum cæteris Apostolis commissum est. Petro quidem esse commissum pascendi officium ex hoc loco probatur: sed soli commissum esse nunquam probabitur. Dicimus igitur cum Johanne Urbano, Petro singulariter esse dictum ut pasceret oves Christi, sed non ut singulariter pasceret. 2. Falsum est, omnes Christianos docendos fuisse a Petro, magis quam a Paulo vel aliis

[s] Augustin.

[t] Ar. Montan. Elucid. in Matth. cap. 23.

[u] Johan. cap. 21. ver. 16.

apostolis. Omnibus enim apostolis conjunctim commissa est cura universi gregis; et inter quosvis populos indefinite officium suum exercere poterant singuli. Ut actu tamen omnes docerentur, id distributis operis factum est: officiumque pascendi omnes et singulos, nec ad Petrum nec ad unum aliquem ex illo numero pertinebat: quo factum, ut Paulus prædicaverit "Evangelium[x], non ubi nominatus esset Christus, ut ne super alienum fundamentum ædificaret," sed ubi nondum a quoquam annuntiatum esset de eo. Nec obstat, quod opponit Bellarminus; illud "Oves in dicto Christi significare omnes Christianos: qui enim non vult pasci a Petro, non esse ovem Christi:" nec enim aliud Christus dicit Petro, quam quod cuivis apostolorum dici poterat. Indefinite oves dicit, (ad eas respectu habito, in quibus ad ovile suum colligendi Petri usurus erat opera:) omnes, et singulas non dicit. Nec magis ex ovium Christi numero excludendus est, qui nolit pasci a Petro, quam qui nolit pasci a Paulo. Non tamen, si pro Christi ove non sit agnoscendus, qui vel olim Pauli legationem, vel hodie doctrinam Evangelii scriptis ab eo Ecclesiæ traditam, rejiceret, inde erit consequens, omnes et singulos Christianos ad curam pastoralem Pauli pertinere. 3. Falsum est, uni alicui Petri successori singulariter commissum esse, ut omnes Christianos doceant: nec ad hoc probandum quicquam habet ponderis, quod solum profertur a Bellarmino, "quod dicitur Petro, dici etiam successoribus: nec enim providere voluisse Christum Ecclesiæ ad annos viginti quinque tantum, sed quousque mundus duraret." Respondetur: Quod dicitur Petro, tum ad reliquos apostolos, tum ad omnes qui post eos ecclesiastico ministerio funguntur, accommodari potest: quomodo ab ipso Petro, ad presbyteros accommodatum est, "pascite[y] Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes non coacte, sed libenter." Et a Paulo ad Ephesinæ ecclesiæ præfectos, "attendite[z] vobisipsis et toti gregi, in quo vos Spiritus

[x] Epist. ad Rom. cap. 15. ver. 20, 21. [y] 1 Petr. cap. 5. ver. 2.
[z] Act. Apost. cap. 20. 28.

Sanctus constituit episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisivit." Concedimus igitur non ad pauculos aliquot annos providere voluisse Christum Ecclesiæ: sed negamus eo modo providisse, quo fingit Jesuita. Rationem, qua pascendis ovibus rationalibus providit, eam esse dicimus, quam ex Jeremiæ capite tertio, notavit hoc in loco ipse Bellarminus: "Dabo vobis pastores juxta cor meum, qui pascent oves scientia et doctrina." Pastores enim eum et doctores Ecclesiæ dedisse legimus, "ad[a] coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi:" unum aliquem Pastorem, qui universalis omnium Christianorum doctor esset, dedisse non legimus. In hoc certe loco ejusmodi commentitii pastoris ne umbra quidem apparet.

V. "Rogavi[b] pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos." Hinc argumentatur hunc in modum Bellarminus. "Si Romanus Pontifex errare non potest ex cathedra docens; certe judicio ejus acquiescendum est, et ipse esse debet summus judex. At Romanum Pontificem ex cathedra docentem, non posse errare, ex hoc loco deducitur." Respondetur. Negamus assumptionem ex hoc loco ullo modo deduci posse: quia diversum est utriusque tum objectum, tum subjectum. Quod ad objectum attinet: quando quæritur de Romani Pontificis firmitate in fide: eo sensu accipi id vult Bellarminus[c], ut immunis intelligatur non a personali, sed a judiciali errore; nec aliud ex citato loco hic deducit, quam pontificem "ex cathedra docentem, errare non posse." At de cathedra, et errore judiciali in textu nullum verbum: pro personali Petri fide orat Christus ne eam amitteret, quantumvis tentaretur a Diabolo. Eam enim defectionem precibus suis avertit Christus: ad quam a Satana solicitandus erat Petrus, "Simon[d], Simon, ecce Satanas appetit vos quos ventilaret sicut triticum: sed ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua." At non ad errorem

[a] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 11, 12.

[b] Luc. cap. 22. ver. 32.

[c] Bellarmin. de Rom. Pont. lib. 4. cap. 4.

[d] Luc. cap. 22. ver. 31.

aliquem ex cathedra docendum, Petrum jam solicitaturus erat Satanas: sed ut personalem fidem per publicam Christi abnegationem ex corde ejus penitus excuteret, laborabat. Illud vero quam ἀνακολουθον! Oppugnaturus est Satanas fidem tuam personalem, sed cathedram tuam ego sic tuebor, ut nulli judiciali errori futura sit obnoxia. Quod ad subjectum attinet, sive personam pro qua gratia hæc a Christo est impetrata. Petrum eum esse ex textu scimus, Romani Pontificis hic nec vola cernitur nec vestigium. Bellarminus Dominum hic pro universali ecclesia non oravisse, hoc argumento contra Parisienses quosdam confirmat. "Dominus[e] pro illo rogat, cui ait, 'et tu aliquando conversus.' At hoc certe non potest Ecclesiæ toti convenire, nisi dicamus totam Ecclesiam aliquando esse pervertendam, ut postea iterum convertatur." An vero non pari ratione subsumi posset: "hoc certe non potest Romanis Pontificibus convenire, nisi dicamus singulos Romanos Pontifices aliquando esse pervertendos, ut postea iterum convertantur."

VI. "Legimus[f] cum orta esset quæstio gravis de fide, an servanda esset lex Mosis a gentibus conversis, non fuisse remissos unumquemque ad spiritum suum, sed ad concilium Hierosolymæ habitum, cui Petrus præerat; et Petrum omnium primum in concilio loquutum, deinde Jacobum sententiam Petri confirmasse, et sic quæstionem solutam illis verbis; 'visum est Spiritui Sancto et nobis,' quibus ostendunt sententiam concilii, cui præest Petrus, sententiam esse Spiritus Sancti. Et ibidem in fine capitis legimus Paulum quocunque ibat, præcipere solitum, ut servarent decretum illius concilii, id est, ut acquiescerent et non vellent ipsi de sententia concilii judicare." Hæc Bellarminus: Respondetur. 1. In controversiis fidei non esse remittendum quemque ad spiritum suum, ut liberum illi sit sequi quicquid privatus Spiritus suggesserit, facile concedimus. Ad publicum enim Spiritus Sancti in Scriptura loquentis judicium recurrendum esse dicimus: indeque probandos[g]

[e] Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 3.

[f] Bellarmin. de Verb. Dei, lib. 3. cap. 5.

[g] Johan. cap. 4. ver. 1.

spiritus omnes an ex Deo sint. Nec conciliorum authoritatem abrogamus, sed difficiliores quasque controversias ad eorum cognitionem deferendas esse agnoscimus: ut eas non ex absoluto suo judicio, sed ex sententia Spiritus Sancti componant et definiant. 2. Petrum concilio Hierosolymitano præfuisse nunquam ex Actis Apostolorum probabit Bellarminus. Quod enim ait, "Petrum omnium primum in concilio loquutum," ipsius somnium est. Lucas dicit, πολλῆς[h] συζητήσεως γενομένης, facta jam multa disceptatione, surrexisse Petrum: omnium primum in concilio loquutum nusquam dicit. Quod vero addit, "Jacobum sententiam Petri confirmasse;" id Petri principatum infirmat potius quam juvat. Nec enim superioris sententia ab inferioribus confirmari dicitur: nec Præsidis sententiam alii dicuntur sequi, sed principis sententiæ ejus, qui primus sententiam illam proposuit. Præsidis vero est, aliorum omnium auditis sententiis postremo loco rem totam concludere, qua ratione Jacobus potius, quam Petrus, Hierosolymitani concilii præses fuerit agnoscendus. Post Petrum enim locuti dicuntur Barnabas et Paulus, post illos vero Jacobus, qui in oratione sua non solum Petri sententiam confirmavit, solenni illa formula concludens, "διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσι ἐπὶ τὸν Θεόν, quamobrem ego censeo non esse obturbandos eos ex gentibus qui ad Deum se convertunt:" sed etiam alia addit a Petro prorsus prætermissa: scribendum scilicet ad gentes, "ut abstineant a pollutis per simulacra, et scortatione, et suffocatis rebus, et sanguine." Atque in hanc sententiam factum est decretum, et soluta quæstio, his ipsis verbis: "Visum est Spiritui Sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus vobis onus præter necessaria ista; ut abstineatis ab iis quæ sunt immolata simulacris, et sanguine, et suffocatis et scortatione: a quibus si vobis caveritis, bene agetis.' Ex quibus colligere esset promptius, "sententiam concilii, cui præest Jacobus, sententiam esse Spiritus Sancti:" quam, quod Bellarminus colligit; sententiam concilii, cui præest Petrus, sententiam esse

[h] Act. Apost. cap. 15. ver. 7.

Spiritus Sancti. 3. Nos vero libenter concedimus sententiam concilii, cui præest vel Petrus, vel Jacobus, vel Apostolorum quivis alius, sententiam esse Spiritus Sancti: sed eandem esse rationem conciliorum, quibus præest Pontifex Romanus vel aliorum conciliorum eandem authoritatem esse, quæ Apostolicorum; quis sanæ mentis concesserit? 4. Quod Paulus ecclesiis "tradebat servanda instituta quæ decreta fuerant ab Apostolis et Presbyteris Hierosolymitanis" (quod in quibusdam Latinis exemplaribus ad finem hujus capitis, in Græcis vero pariter ac Latinis, capite decimosexto, versu quarto, legitur): jure id factum merito agnoscimus. Nam et decreta illa sententiæ sacræ Scripturæ consentanea fuisse novimus, et in Apostolorum concilio certo inveniri potuisse Spiritum Sanctum, qui duceret ipsos in omnem veritatem, inter nos positum est extra omnem controversiam. Hinc vero concludi non potest, in aliorum episcoporum conciliis quantumvis a Romano Pontifice confirmatis, certo inveniri hunc Spiritum: quod probandum suscepit Bellarminus. Id tantum concludi potest, tum demum illorum judicio acquiescendum, quando ipsis non aliud visum fuerit quam quod Spiritui Sancto visum est. Id vero non aliunde quam ex sacrarum literarum monumentis, quibus Spiritus Sancti sententia consignata est, certo intelligi posse confirmamus.

VII. "Ascendi[i], inquit Paulus, Hierosolymam cum Barnaba, et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus; seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem. Quinam autem essent illi;" inquit[k] Bellarminus, "quibuscum contulerat, inferius explicat, dicens fuisse Petrum, Jacobum et Joannem. Quem locum explicantes Tertullianus, Hieronymus et Augustinus, diserte affirmant, Ecclesiam non esse Paulo credituram, nisi ejus Evangelium a Petro confirmatum fuisset. Ergo Petri erat tunc, et proinde successoris ejus munus de doctrina fidei judicare." Ita Bellarminus. Respondetur: 1. A Petri authoritate tunc, ad Papæ autho-

[i] Epist. ad Gal. cap. 2. ver. 1, 2.
[k] Bellarm. de verb. Dei, lib. 3. cap. 5.

ritatem nunc, negamus sequi argumentum. 2. Cum in textu Apostoli de Petro nihil dictum sit singulariter; et verba ipsa clament, non cum uno Petro sed cum pluribus aliis Paulum contulisse Evangelium, nominatim vero cum Jacobo et Johanne (quibus æque cum Petro, columnarum tributum est nomen[l]): cum etiam Tertullianus, Hieronymus et Augustinus in locis a Bellarmino citatis, ab uno Petro confirmatum fuisse Pauli Evangelium non dicant, sed aliorum Apostolorum qui cum eo erant, disertam mentionem fecerint (id quod ex ipsorum locorum inspectione manifeste constat): ex eo, quod cum aliis fuit commune, Jesuita nimis crasso sophismate unius Petri privilegium concludit, quasi ejus fuisset præ aliis tunc (et proinde successoris ejus præ aliis nunc) de doctrina fidei judicare. 3. Collatio Pauli cum cæteris Apostolis instituta fuit, non quod illis major authoritas a Christo data esset quam Paulo; nec quod opus haberet doctrinam fidei ab illis discere, quam ipse per annos septendecim prædicaverat; nec quod alias Ecclesiæ liberum fuisset Evangelium idem a Paulo magis quam a Petro aut aliis Apostolis prædicatum vocare in quæstionem. In hujus enim epistolæ vestibulo profitetur ipse authoritatem annunciandi Evangelii accepisse se, "non[m] ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum, ac Deum Patrem." Et doctrinam ejus didicisse, "non[n] ab homine, sed per revelationem Jesu Christi:" cujus fidem tantum abest, ut ab hominis alicujus vel Angeli judicio pendere existimaret, ut audacter pronuntiare nihil fuerit veritus; "etiam[o] si nos, aut angelus e cœlo evangelizet vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto." Sed instituta fuit hæc Pauli cum aliis Apostolis collatio, consensus testandi causa; ad Pseudapostolorum ora obstruenda, qui eo nomine doctrinam ejus suspectam reddere conati sunt, quod diversa esset ab ea quam alii Apostoli, et ii nominatim, qui "existimabantur esse columnæ, profiterentur." Hanc suspicionem hominum mentibus injectam ut eximeret, cum Apostolis conferendum putavit "ne[p] quo modo frustra curreret aut cucurrisset,"

[l] Epist. ad Gal. cap. 2. ver. 9.
[m] Epist. ad Gal. cap. 1. ver. 1.
[n] Ibid. ver. 12.
[o] Ibid. ver. 8.
[p] Ibid. cap. 2. ver. 2.

hoc est, ne alias Evangelii cursus impediretur, et fructus, ut alibi[q] appellat, prædicationis ejus interciperetur; ne irriti denique essent labores ejus, ut cum Christo posset conqueri: "frustra[r] laboro, inaniter et vane vires meas consumo." "Nihil" vero præterea "secum contulisse" præcipuos illos Apostolos, quos invisit Hierosolymis, hoc est, nec majorem authoritatem quam qua antea instructus fuerat contulisse, nec quid illi prædicandum esset edocuisse: affirmat ipse versu sexto capitis secundi.

VIII. "Aliis[s] datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii interpretatio sermonum, alii prophetia:" ex hoc loco, collato cum altero, "omnis[t] prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit," ita argumentatur Bellarminus. "Is solus agnoscendus est judex veri sensus Scripturæ, in quo certo inveniri potest Spiritus Sanctus. At in nullo homine privato certo inveniri potest: in pastoribus vero ac doctoribus, ac præcipue in generali concilio, a summo Pontifice approbato, congregatis certo invenitur. Hi igitur soli judices agnoscendi, non autem homo ullus privatus." Propositionem probat, ex illo loco secundæ epistolæ Petri unde colligit, "non posse sine spiritu interpretandi bene Scripturam exponi." Priorem assumptionis partem hoc argumento confirmat. "Si omnibus fidelibus non detur spiritus interpretandi Scripturas, et non sciamus quibus detur, nullus homo privatus certus esse potest, se habere hunc spiritum. At omnibus fidelibus non datur spiritus interpretandi Scripturas, neque scimus quibus datur. Prius membrum probat ex loco, 1. Epist. ad Corinth. cap. 12. ver. 10. posterius pro confesso sumit. Posteriorem principalis assumpti partem hoc confirmat argumento. Si de ecclesia dubium esse non potest, quin habeat Spiritum Dei, et filios suos sine errore doceat: tum in pastoribus ac doctoribus, præcipue in generali Concilio congregatis, certo invenitur hic spiritus. Nec enim aliter ecclesia loquitur, quam per horum os. At de Ecclesia dubium esse non potest, quin habeat Spiritum Dei, et filios suos sine errore doceat, est enim "columna[u] et

[q] Epist. ad Rom. cap. 1. ver. 13.
[r] Esai. cap. 49. ver. 4.
[s] 1 Epist. ad Cor. cap. 12. ver. 8.
[t] 2 Petr. cap. 1. ver. 20.
[u] 1 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 15.

firmamentum veritatis. Hæc est analysis argumentationis Bellarmianæ: ad quam respondemus. Primum quidem, quod de privatorum hominum judicio concludit, ad hunc locum non pertinere: ubi de judicio, quod publicam authoritatem obtinet, instituitur disputatio. Hic vero si per judicem, ejusmodi intelligat, cujus authoritas sit absoluta, quique in sensu Scripturæ enuntiando nunquam labi possit; cujusmodi intelligendum voluit in ea conclusionis parte, quæ Ecclesiam spectat per os pastorum ac doctorum loquentem: id totum concedimus quod de hominibus privatis concludit. Nec quisquam est tam obtusus et hebes, ut privatos homines in sensu Scripturæ indagando nunquam errare posse affirmet. Sin autem omne judicium privatis hominibus velit detrahere, ut nec a vulgo fidelium doctrinam ad salutem necessariam ex Scripturis intelligi, nec ab iis qui dono interpretationis proditi sunt, difficiliorum locorum explicationem certo cognosci posse existimet: respondemus ad id quod assumptum est tum in principali syllogismo, tum in ejus prosyllogismo: Apostolum in duodecimo capite prioris epistolæ ad Corinthios, a Bellarmino citato, ita distinguere dona Spiritus Sancti, ut alia fidelium omnium sint communia, alia quorundam propria. Priora versu tertio indicantur: ubi Apostolus ait, "neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum." Unde intelligimus in omnibus fidelibus certo inveniri Spiritum Sanctum: ejusque ductu dogmata ad salutem necessaria eos amplexari. Itaque quæ hujus generis in sacris literis occurrunt, posse eos certo agnoscere, et quantum ad suas ipsorum conscientias confirmandas sufficit, dijudicare. Alterius generis dona versu quarto et sequentibus ab Apostolo recensentur: quæ non privato illius in quem collata sunt usui, quam communi aliorum utilitati inserviunt. In quibus sunt illa a Bellarmino ex Apostolo repetita: "sermo sapientiæ, sermo scientiæ, interpretatio sermonum" (non Scripturarum utique, quo dictum hoc accommodare videtur Bellarminus, sed "linguarum:" est enim in originali textu ἑρμηνεία γλωσσῶν) prophetia, etc. Hujusmodi vero dona omnibus fidelibus non dari concedimus: negamus tamen, quod sine probatione sumit Bellarminus, non scire nos quibus illa dentur. Nam,

ut recte respondet vir doctissimus Jacobus Kimedoncius, quandoquidem constat, aliquibus in Ecclesia spiritum dari explicandi Scripturas; si nesciri potes quibusnam detur, donum reddetur inutile, et prophetia in nihilum redigetur, contra admonitionem[x] Apostoli. Quibus autem detur ille spiritus, opus ipsum manifestat: sicut opere ipso declaratur, quibus vel sermo sapientiæ, vel facultates edendarum virtutum, vel genera linguarum, vel alia dona per eundem spiritum sint concessa. Atque hæc de priore parte argumentationis Bellarmianæ: qua privatis hominibus judicium omne conatus est detrahere. Veniendum jam ad posteriorem, qua illud solis pastoribus et doctoribus ac præcipue in generali concilio congregatis, nititur vindicare. Ubi notandum primo fallacem esse conclusionem Bellarmini: quando innuit in pastoribus et doctoribus certo inveniri Spiritum Sanctum, ac si certum esset illos quoque docere sine errore. Nec enim alio spectare potest illud Bellarmiani argumenti extremum: porro Ecclesia (de qua se dubium esse non potest quin habeat Spiritum Dei, et filios suos sine errore doceat) "non aliter loquitur, quam per os pastorum ac doctorum, ac præcipue in generali concilio congregatorum:" quasi etiam per os pastorum ac doctorum sine errore filios suos doceret Ecclesia: licet hoc præcipue faceret in generali Concilio. Atqui privilegium docendi sine errore uni Pontifici Romano tribuendum contendit Bellarminus: alios pastores ac doctores in docendo errare posse fatetur: vel ipso igitur Bellarmino judice, fallacem conclusionem hic nectit Bellarminus. Quod vero ad assumptionem attinet, concedimus Ecclesiam, ut et singula Christi membra, ex quibus illa constat, habere Spiritum Dei: sed tantam habere mensuram Spiritus, ut nulli prorsus errori, quamdiu in hoc mundo versatur, sit obnoxia, pernegamus; nec id voluit Apostolus, quum Ecclesiam "columnam et firmamentum veritatis" appellavit, filios eam suos sine errore docere. De pastoribus enim ac doctoribus eo loco non loquitur, sed de fidelium cœtu.

[x] 1 Epist. ad Thess. cap. 8. ver. 20.

X.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ PERFECTIONE CONTRA NON SCRIPTAS TRADITIONES.

STATUM controversiæ de sacrarum Scripturarum perfectione, ita explicat Bellarminus : " Nos[a] asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam sive de fide, sive de moribus : et proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum; id est, divinas et apostolicas traditiones. At ipsi (nostros intelligit) docent in Scripturis omnia contineri ad fidem, et mores necessaria ; et proinde non esse opus ullo verbo non scripto." Et recte quidem ille; nisi quod fraudem nectat in vocula illa, expresse. Cum enim ipse quatuor proponat[b] modos, quibus dogmata fidei probari soleant : 1. Ex testimonio expresso Scripturæ. 2. Per evidentem deductionem ex iis quæ habentur expresse in Scripturæ. 3. Ex verbo Dei per Apostolos non scripto, sed tradito. 4. Per evidentem deductionem ex verbo Dei tradito : a nobis ut tertius et quartus modus rejicitur, ita secundus æque ac primus asseritur.

Duo sunt igitur quæ adversus Pontificios defendimus. Primum, in sacris Scripturis contineri omnia dogmata ad salutem necessaria, alterum non modo nihil admittendum tanquam ad salutem necessarium, quod Scripturarum destituatur testimonio : sed etiam nihil omnino pro certo et genuino religionis dogmate admittendum, quod sacrarum literarum authoritate probari non possit.

Argumenta vero quibus hæc sacrarum Scripturarum confirmatur perfectio, sunt hujusmodi.

[a] Bellarmin. de verb. Dei. lib. 4. cap. 3.
[b] Bellarmin. de Purgat. lib. 1. cap. 15.

I. "Non[c] addetis ad verbum hoc quod præcipio vobis, nec auferetis ex eo," et "quicquid[d] præcipio tibi, hoc facito, nec addito quicquam, nec imminuito." "Ne[e] addas verbis ejus, ne te redarguat, et mendacii convincaris." Hinc conficitur argumentum pro perfectione Scripturarum. Cui nihil est addendum, id integram complectitur doctrinam, nec aliunde est supplendum. Sacræ Scripturæ nihil est addendum. Ergo.

Bellarminus ad hoc argumentum duas responsiones proponit. 1. In locis Deuteronomii, "non agi de verbo scripto sed tradito viva voce: non enim Mosem dicere, ad verbum quod scripsi, sed quod ego præcipio." Respondetur. At præcepta illa omnia sunt scripta in libro legis: nam "omnia verba legis," quam Israelitis præcepit Moses, "scripta esse in libro isto" constat[f]. Similiter legimus "venit[g] Moses et narravit populo omnia verba Jehovæ, omniaque judicia et respondit totus populus voce una; omnia verba quæ locutus est Dominus, faciemus." Et sequitur statim "itaque scripsit Moses omnia verba Jehovæ," et "acceptum librum illum fœderis legit audiente populo: et dixerunt illi, quicquid dixerit Jehova, faciemus et auscultabimus." Item, "edixit[h] Jehova Mosi, scribe tibi verba hæc; quia ex præstituto horum verborum pango tecum fœdus, et cum Israele." Hinc Moses, cum dixisset "si[i] servaveris ea, quæ tibi hodie præcipio, faciet te Jehova Deus tuus sublimem supra omnes gentes terræ: seipsum explicans addit: "nisi[k] servaveris ea omnia, quæ scripta sunt in hoc libro." Est igitur illa commentitia[l] Bellarmini distinctio inter *verbum quod scripsi*, et, *quod ego præcipio*. 2. "Veram[m] expositionem ejus loci esse, quod Deus velit, integre et perfecte servari mandata, ut ipse præcepit, et nullo modo ea depravari falsa interpretatione. Itaque

[c] Deuteron. cap. 4. ver. 2.
[d] Ibid. cap. 12. ver. 32.
[e] Prov. cap. 30. ver. 6.
[f] Vide Deuteron. cap. 27. ver. 26. collat. cum Epist. ad Galat. cap. 3. ver. 10.
[g] Exod. cap. 24. ver. 3.
[h] Exod. cap. 34. ver. 29.
[i] Deuteron. cap. 28. ver. 1.
[k] Deuteron. cap. 28. ver. 58.
[l] Confer. etiam Josu. cap. 1. ver. 9. et cap. 23. ver. 6.
[m] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 4. cap. 10.

non vult dicere, non servabitis aliud, quam id quod nunc præcipio : sed in hoc quod præcipio, nihil mutabitis addendo, vel minuendo, sed integre facietis, ut jubeo, et non aliter." Respondetur : Sicut vero peccaret minuendo qui diceret in lege præcipi nonnulla superflua : ita etiam necesse est ut peccet addendo, qui dicat in lege desiderari aliqua præcepta, aliunde supplenda, atque hoc ipsum voluisse legislatorem ; "non servabitis aliud, quam id quod ego præcipio," apparet ex occasione legis. Cum enim severe interdixisset Israelitis Deus, ne a gentibus ritus aliquos mutuarentur, quos ad cultum suum transferrent, subjungit "unamquamque[n] rem quam ego præcipio vobis, eam observantes facite; ne addite ei neque detrahite ex ea," hoc est, "quod præcipio tibi, hoc tantum facite Domino:" quomodo etiam loci sententiam expressit editio Vulgata Latina: quam cum Pontificiorum "nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat," mirum est Bellarminum legislatori contrariam sententiam affingere ausum. "Non est necesse; ut quod ego præcipio tibi, hoc tantum facias :" aliud enim quam quod ego præcipio, potes facere; modo in hoc ipso quod præcipio nihil mutes. Veram tamen esse hanc glossam, quæ tam aperte corrumpit textum, hac ratione confirmat Bellarminus, "quia alioqui peccassent Prophetæ et Apostoli, qui tam multa postea addiderunt." Respondetur : Non illi aliqua postea addiderunt, sed Deus, qui hominibus hanc legem posuit, non sibiipsi.

II. "Etiamsi[o] nos, aut angelus e cœlo annunciaverit vobis, præter id quod annunciavimus, anathema esto. Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico; si quis annunciaverit vobis, præterquam quod accepistis, anathema esto." Duplicem hic solutionem affert Bellarminus et utramque, si illi credimus, solidam. I. "Quod Apostolus non loquatur de solo verbo scripto, sed de omni verbo, sive scripto, sive tradito." Respondetur : At verbum traditum non aliud erat a scripto, ideoque frustra affertur hæc distinctio. Cum enim scriptionis scopus fuerit, ut agnosceretur earum rerum, quæ viva voce ab Apostolis acceptæ fuerant, ἀσφάλεια :

[n] Deuteron. cap. 12. ver. 32. [o] Epist. ad Galat. cap. ver. 8.

eaque ratio in universa doctrina apostolica locum habeat; consequens est, ut eadem scriptis fuerint comprehensa, quæ viva voce fuerunt tradita[p]. 2. "Quod per illud PRÆTER Apostolus intelligat CONTRA: et proinde non prohibeat nova dogmata, et præcepta, modo non sint contraria jam traditis; sed prohibeat dogmata, et præcepta contraria, et aliena." Respondetur: At cum Apostolus loquatur hic de omni verbo sive scripto sive tradito, ut Bellarminus agnoscit, si Apostolus non prohibeat hic nova dogmata: sequeretur nova dogmata in Ecclesia admitti posse, quæ nec scripta nec tradita fuerint ab Apostolis. At id absurdum est, et ab ipsis Pontificiis explosum: et a Bellarmino his verbis refellitur, "nihil[q] est de fide, nisi quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Non enim novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis; et propterea dicitur, 'Ædificata supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum;' igitur illa omnia, quæ Ecclesia fide tenet, tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis aut scripto aut verbo." Tamen alteram hanc solutionem suam aliquot hic argumentis corroborare nititur Bellarminus. 1. "Quia Apostolus ipse multa alia postea docuit: et post hanc epistolam scripsit Johannes Apocalypsiam, et Evangelium suum." Respondetur: Non alia docuit postea Paulus, sed eadem prorsus: et Johannes licet alios libros scripsit, et alias rerum futurarum Prophetias edidit, non tamen aliud Evangelium, aut nova aliqua Fidei dogmata tradidit. 2. "Ex proposito Apostoli; ait enim contra eos, qui docebant servanda esse legalia, cum ipse docuisset non esse servanda, igitur cum dicit *præter* intelligit *contra*." Respondetur: Si pseudapostoli docuerunt non solum *præter* sed etiam *contra* Pauli evangelium: non sequitur tamen per *præter* intelligendum esse *contra*. Utraque enim ratione valide refellebatur illa pseudapostolorum ἑτεροδιδασκαλία. Sic, ut Israelitæ ædificarent excelsa Baali, et liberos suos in

p Luc. cap. 1. ver. 4. Epist. ad Philip. cap. 3. ver. 1.

q Bellarm. de verb. Dei, lib. 4. cap. 9.

valle Hinnomi traducerent Moleco; quis dubitat fuisse *contra* Dei præceptum? et Deus tamen eo argumento id convellit, quod *præter* præceptum ipsius factum id fuerit. "Etsi[r] non præceperam eis," inquit, "neque ascenderat in cor meum ut facerent abominationem hanc." Adde quod Apostoli instituto magis quadrabat illud *præter*, quam *contra:* quandoquidem evidens erat, et omnibus perspectum novam illam doctrinam a Paulo nunquam fuisse traditam: quam tamen cum inveherent pseudapostoli, Evangelium a Paulo traditum nequaquam videri volebant evertere, sed supplere. Neque enim justificationem per legem, quam urgebant pseudapostoli, contrariam esse justificationi per fidem, quam Paulus annuntiavit, agnoscebant illi magis quam hodie Pontificii. 3. "Ex alio loco, ubi Apostolus sic utitur voce" *præter*, sive *παρὰ* pro *contra*, "observate[s] eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam accepistis faciunt." Respondetur: Vox *præter* generalior est, et comprehendit sub se illam *contra*: indeque pro materiæ subjectæ ratione, ita specialiter explicatur. Cum tamen nativa vocis significatio longe latius pateat: est illa in latitudine sua relinquenda, et ad specialem notionem accomodanda quidem, sed minime restringenda.

III. "A[t] puero sacras literas novisti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu." Si sacræ literæ non continerent omnia ad salutem necessaria: tum non possent hominem sapientem reddere ad salutem. At possunt, teste Apostolo. Ergo.

IV, "Tota[u] Scriptura divinitus est inspirata, et utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus." Duo his respondet Bellarminus: primum, "Scripturam sufficienter instruere, et perficere hominem Dei, quia multa expresse continet, et quæ non continet, ostendit unde sint petenda." Respondetur: At neutro illo respectu potest dici perficere hominem Dei, nam ut perficiat, non sufficit ut multa contineat,

[r] Jerem. cap. 32. ver. 35.
[s] Epist. ad Rom. cap. 16. ver. 17.
[t] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 15.
[u] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 16.

sed ut omnia. Et "ostendit unde ea sint petenda, quæ non continet:" non ipsa perficit hominem Dei, sed alio perficiendum remittit. Non magis profecto quam dici potest discipulus ab eo perfecte instructus; qui magistrum ostenderit, a quo perfecte instrui possit: aut æger ab eo perfecte sanatus, qui medicum ipsi indicaverit. Deinde perfectio de qua loquitur Apostolus ejusmodi est, quæ ex universa Scriptura sit petenda, *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος*; at illa quam comminiscitur Jesuita, tantum a particularibus quibusdam penderet sententiis, quæ ostendant, unde sint petenda quæ Scriptura non continet. Cujusmodi tamen sententiæ vestigium nunquam in Scriptura ostendit Jesuita. Postremo perfectio ab Apostolo notata Scripturæ tribuitur tanquam insigne quoddam privilegium. At si in ipsa non posset perfectio illa inveniri, sed extra ipsam esset quærenda: eoque respectu perfectio ei tribueretur, quod ostenderet unde haberi posset perfectio, nihil magnificum de Scriptura sacra prædicaretur. Hoc enim ex quibusvis scriptis peti posset: in quibus modo legerentur generales illæ sententiæ, "obedite præpositis vestris, consule Ecclesiam," et alia multa. Pergit tamen Bellarminus, et secundo loco dicit, "Paulum eo loco ne hanc quidem sufficientiam Scripturæ tribuere, idque ex duobus colligit, primo ex illo; *omnis Scriptura:* secundo ex illo *utilis est.* Nam cum dicit *omnis Scriptura*, non solum toti corpori Scripturarum, sed etiam singulis libris tribuit eam laudem, quod utiles sint ad docendum, arguendum, cum ipsi tamen fateantur, non sufficere quemlibet librum sacrum." Respondetur: Quasi vero necesse esse, illud omnis *πᾶσα γραφὴ*, accipere distributive: ac non potius collective; ut idem valeat quod *ὅλη* sive tota, quemadmodum *πᾶς*[x] *ὁ λαὸς* idem notat quod *ὅλος*[y] *ὁ λαὸς*, et a vulgato interprete Latino, *πᾶν*[z] *τὸ σῶμα* redditur, totum corpus; et *πᾶσα*[a] *ἡ ἀγέλη*, totus grex, et *πᾶσα*[b] *ἡ πόλις*, tota civitas, et cætera. Hoc autem in loco intelligendum esse totum collectivum, non omne distributivum: inde mani-

[x] Act. Apost. cap. 3. ver. 9.
[y] Act. Apost. cap. 2. ver. 47.
[z] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 16. Epist. ad Coloss. cap. 2. ver. 19.
[a] Matt. cap. 8. ver. 32.
[b] Matt. cap. 8. ver. 34.

festum est, quod illud ab Apostolo commemoratum Scripturæ eulogium sic toti corpori conveniat, ut ad singulas ejus partes nullo pacto accomodari possit. Nam quod Bellarminus ait "in quolibet libro has omnes utilitates inveniri," idque exemplo secundæ epistolæ Joannis confirmare nititur: operam plane ludit. Nam illud πᾶσα γραφὴ distributive acceptum, non solum libros comprehendit; sed etiam singulas sacrarum literarum sententias: in quibus frustra Bellarminus omnes has utilitates quæsierit. Deinde ut eas omnes vel in singulis libris vel in singulis etiam sententiis invenerit, adhuc tamen nihil effecerit. Non tantum dicit Apostolis Scripturam esse utilem ad docendum, arguendum, sed etiam ad hæc omnia ita esse utilem, ut "Dei hominem ad omne opus bonum perfecte possit instruere." An vero ex secunda epistola Johannis, aut libro Ruth, aut aliis Sacræ Scripturæ particulis ita perfici possit homo Dei, viderit Bellarminus.

Tribus tamen argumentis probare conatur is, Apostolum de singulis libris loqui, non conjunctim de toto Scripturarum corpore. 1. "Ex ipso modo loquendi. Nam judicio omnium Latine scientium quod dicitur de omni Scriptura divinitus inspirata, dicitur de singulis libris qui sunt divinitus inspirati." Respondetur: Quidni etiam de singulis librorum membris, cum non libri solum, sed singulæ etiam sententiæ comprehendantur sub "omni Scriptura divinitus inspirata;" si quidem illud *omne* distributive accipiamus. Sed judicio omnium Græce scientium, non necesse est ut πᾶσα γραφὴ omnem Scripturam significet distributive, sed totam scripturam collective (ut ex superioribus satis constat) nec Latinum suam *omne* collective accipi negaverit, opinor, Bellarminus in Latino suo interprete, "Jacob[c], convocata omni domo sua, ait." Et alibi passim. 2. "Ex eo quod cum hæc epistola scriberetur, nondum exstabat Apocalypsis, nec Evangelium Johannis; et forte aliquid aliud deerat ex corpore Scripturarum. Non loquitur igitur de toto et solo corpore Scripturarum." Respondetur: Loquitur de toto Scripturarum

[c] Genes. cap. 35. ver. 2.

corpore quod tum exstabat: et ex eo perfecte instrui posse hominem Dei asserit. Id quod nunquam refellet Jesuita, nisi possit ostendere nova aliqua religionis dogmata in Apocalypsi vel Evangelio Johannis primum tradita, quæ reliquo Scripturarum corpori prius deerant. De novis enim rerum futurarum prædictionibus, aut clariori dogmatum prius traditorum explicatione, non loquimur. 3. "Ex Apostoli ratiocinatione, nam ex hoc principio universali volebat concludere in particulari, Scripturam Testamenti Veteris, quia divinitus inspirata erat, utilem fuisse ad docendum, arguendum. Sic enim ait: ab 'infantia sacras literas nosti (id est, Testamentum Vetus: nam cum esset infans Timotheus, nondum exstabat Testamentum Novum, ut patet, et adversarii admittunt) quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu, ubi Apostolus paucis verbis tribuit Scripturæ Testamenti Veteris id totum, quod paulo post multis verbis tribuit omni Scripturæ. Et ne Timotheus de eo dubitaret, probat Apostolus subjungens: Omnis Scriptura divinitus inspirata, etc." Respondetur: Negamus Apostolo propositum fuisse "concludere in particulari, Scripturam Testamenti Veteris utilem fuisse ad docendum, arguendum," aut id ullo modo deduci posse ex illis verbis, "ab infantia sacras literas nosti." Nam illud ἀπὸ βρέφους, ab infantia, contra omnem rationem restringitur ad ipsum tempus infantiæ: quum universum vitæ curriculum notet jam inde ab infantia deductum. Nec putandum in illo ipso infantiæ termino, sacras literas universas, ne quidem Veteris Testamenti, novisse Timotheum: sed ab ineunte ætate notitiam illam inchoasse, deinceps vero attendendo lectioni[d] eandem subinde continuasse et perfecisse.

Deinde ut ab Apostoli proposito aberrat Bellarminus, ita etiam in analysi peccat argumenti, quo propositum suum confirmat Apostolus. Thema ejus est "sacras literas posse sapientem reddere ad salutem Dei hominem," ubi universum systema sacrarum literarum, Veteris saltem Testamenti, intelligendum; minime inficias ibit Bellarminus. Jam si Bellarmini expositionem admittamus, per

[d] 1 Epist. ad Tim. cap. 4. ver. 13.

omnem Scripturam intelligi non universum Scripturarum corpus, sed singulos libros separatim et per se consideratos: non ex universali concludetur particulare, sed ex particulari potius concludetur universalius; et quidem vitiosissime concludetur. Nam vel hoc modo instituendum erit argumentum, unusquisque liber particularis, seu Veteris seu Novi Testamenti, potest hominem sapientem reddere ad salutem; ergo universa Scriptura Veteris Testamenti hoc potest efficere. Et tum error erit in antecedente. Vel hoc modo: nullus est particularis liber Scripturæ canonicæ, in quo non tradatur aliquid, quod ad salutarem sapientiam spectet; ergo universa Scriptura Veteris Testamenti potest hominem sapientem reddere ad salutem: et tum infirmum erit consequens.

Atque hæc de primo Bellarmini argumento quod subjectum pronuntiati Apostolici, "Omnis Scriptura," attingit. Sequitur secundum, quod ad prædicatum "utilis est" pertinet. Hic vero monet, "Apostolum non dicere, solam Scripturam sufficere, ad docendum, arguendum et proinde ad hominem perficiendum et absolvendum: sed ad hæc omnia prodesse et juvare." Respondetur: *Solam* Scripturam cum dicit, vel simpliciter excludit universa alia, cujuscunque sunt generis (ut internam illustrationem Spiritus Sancti, externum verbi ministerium, etc.) quo sensu nec Apostolus dicit, neque sentimus, "solam Scripturam sufficere;" neque etiam ipsi Pontificii vel traditiones conjunctas cum Scripturis suffecturas audent dicere. Vel ea tantum excludit, quæ ejusdem sunt cum Scriptura generis, et cum Scriptura in præsente quæstione conferuntur; cujusmodi sunt traditiones non-scriptæ, quas in genere principiorum doctrinalium eodem dignitatis gradu, quo ipsas Scripturas venerantur Pontificii. Et hac ratione Scripturam non prodesse tantum et juvare, quod solum admittit Bellarminus, sed etiam sufficere ad docendum, arguendum, ex Apostolo concludimus. 1. Quia verba illa, "Omnis Scriptura divinitus inspirata est" et cetera, continent confirmationem hujus sententiæ, "ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt sapientem reddere (id enim notat Græcum σοφίσαι, pro quo vulgata editio Latina supposuit, instruere) ad salutem:"

et paucis verbis id totum de sacris literis hic dicitur, quod multis verbis, deinceps de omni (seu tota) Scriptura prædicatur; quemadmodum paulo superius agnovit ipse Bellarminus. At si ad ista prodessent tantum sacræ Scripturæ, præstare vero sufficienter non possent: non idem utrobique fuisset datum, adeoque plus foret in Apostoli conclusione, quam in præmissis. Longe enim aliud est "sacras literas posse hominem sapientem reddere ad salutem," aliud ad hoc prodesse et juvare. 2. Apostolus non tantum dicit Scripturam esse utilem: sed etiam sufficienter esse utilem docet illis verbis, quibus pondus argumenti nostri innititur; ut "perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus."

V. "Lex[d] Jehovæ est integra," sive (ut Pagninus cum Aria Montano convertit) "perfecta, restituens animam: testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito." Si sapientia religionis in Scriptura sufficienter non fuisset tradita: non posset Scriptura jure dici perfecta. Quod enim sufficienter præstare nequit id cui ordinatum est, in suo genere non est perfectum. At Scriptura sacra quæ legis nomine significatur, perfecta est. Ergo.

VI. Scrutamini[e] Scripturas, quia videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt quæ testantur de me." Si Scripturæ non continerent omnia ad salutem necessaria: fallerentur illi, qui putarent se in ipsis vitam æternam habere posse. At minime falluntur. Ergo.

VII. "Perstiti[f] in hunc usque diem," inquit Paulus, "testificans ista tum parvis tum magnis; nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt." Si extra sacram Scripturam multa religionis dogmata invenirentur; non probe functus fuisset Paulus officio suo, qui nihil extra Scripturas auditoribus suis proponere voluit. At fideliter functus ille officio suo: totumque Dei consilium[g] auditoribus suis annuntiavit. Ergo.

VIII. "Ut[h] in nobis discatis, supra id quod scriptum

[d] Psal. 19. ver. 8.
[e] Johan. cap. 5. ver. 39.
[f] Act. Apost. cap. 26. ver. 22.
[g] Act. Apost. cap. 20. ver. 27.
[h] 2 Epist. ad Cor. 4. cap. ver. 6.

est, non sapere, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν." Si intra limites Scripturarum universa sapientia religionis non contineretur: "liceret alicui supra id quod scriptum est sapere." At non licet. Ergo.

IX. Argumentum ex nomine Testamenti, quod Scripturæ tribuitur. "Humanum[k] licet fœdus seu Testamentum sancitum nullus abrogat, aut aliquid ei superaddit, ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται." Testamentum vel fœdus legitime factum, plenam testatoris voluntatem complectitur; sic ut nihil ulterius ei sit addendum. Ejusmodi est Scriptura sacra. Ergo.

X. Argumentum ex nomine canonicæ Scripturæ, quod indicat fidei et religionis canonem, id est, regulam et normam in ea contineri, qua de re ita Andradius, "Minime[l] illorum mihi displicet sententia, qui canonicos libros ideo appellari dicunt; quia pietatis, fidei, et religionis canonem, hoc est, regulam atque normam e cœlis summo Dei beneficio ad nos delatam continet amplissimam." Si Scriptura sit regula religionis et fidei, tum nihil in religione admittendum, quod extra ejus mensuram sit positum. At verum prius. Ergo. Bellarminus respondet dupliciter. 1. "Scripturæ[m] proprium finem et præcipuum non fuisse, ut esset regula fidei, sed ut esset commonitorium quoddam utile, ad conservandam et fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam. Nempe ut variis documentis, exemplis, adhortationibus, nunc terrendo, nunc instruendo, nunc minando, nunc consolando adjuvaret nos in hac peregrinatione." Respondetur: Sacram Scripturam regulam credendi certissimam tutissimamque esse, agnovit[n] ipse Bellarminus, quod ad præsens institutum sufficit. Fueritne is proprius et præcipuus Scripturæ finis: et an Scriptura etiam data sit ut esset commonitorum quoddam (quod nos non negamus) ad rem omnino non facit. Esto, præcipuus totius Scripturæ finis sit "adjuvare nos in hac peregrinatione:" hujus tamen finis pars quædam principalis

[k] Epist. ad Galat. cap. 3. ver. 15. [l] Andrad. defens. fid. Trident. lib. 3.
[m] Bellarm. de verb. Dei, lib. 4. cap. 12.
[n] Ibid. lib. 1. cap. 2.

est ipsam regulam fidei et morum præscribere. Indeque canonicæ potius quam commonitoriæ recepta ab omnibus appellatione dictæ sunt Scripturæ. Denique dabit nobis veniam Bellarminus, si ab Apostolo qui sint præcipui Scripturæ fines, quam ex ipso malimus discere. Illi vero sunt quatuor commemorati[o]: διδασκαλία, doctrina fidei; ἔλεγχος, errorum circa fidem redargutio; παιδεία, doctrina morum; et ἐπανόρθωσις, errorum circa fidem correctio.

Sed audiamus rationes quibus probat Jesuita, non esse finem præcipuum Scripturæ, ut sit regula fidei. 1. "Tunc continere deberet omnia, et sola illa, quæ ex se ad fidem pertinent: sicut videmus factum esse in symbolo, quod vere dicitur, et est compositum, ut sit brevis quædam regula fidei, id est, quæ non ideo scripta sunt, quia necessario credenda erant, sed necessario creduntur, quia scripta sunt: ut patet de omnibus historiis Evangelii et Actuum Apostolorum, et de salutationibus Pauli in Epistolis aliisque id genus rebus." Respondetur: Quod omnia continere deberet concedimus, et continere defendimus: quod autem sola illa continere deberet, quæ ex se ad fidem pertinent, frustra requirit Bellarminus; cum enim probandum susceperit, non esse finem præcipuum Scripturæ, ut sit regula fidei: argumentum id tantum concludit, non esse eum solum et unicum Scripturæ finem. Nos vero in Scriptura contineri dicimus non solum nudam regulam fidei et morum; sed etiam quæ ad declarationem et illustrationem et specialem applicationem illius regulæ faciunt: quo historiæ omnes sacræ et id genus aliæ res omnino referendæ sint. Quid quod ne ipsum quidem symbolum, quantumvis brevissimum, ea sola contineat, quæ ex se ad fidem pertinent. Cum non solum Christi proponat passionem, quæ ex se ad fidem pertinet; sed etiam eam factam notet sub Pontio Pilato, quod pertinet ad historiam. 2. "Scriptura non est unum opus continuum, quale esse deberet regula fidei: sed continet varia opera, historias, conciones, vaticinia, carmina, epistolas." Respondetur

[o] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 16.

cum Junio: Ut in materiali regula totam regulam videmus esse regulam, sed non totum regulæ: ita et Scripturam unam esse rerum credendarum faciendarumque regulam; licet modus tradendæ et applicandæ regulæ, multiplex propter infirmitatem nostram et variam conditionem Ecclesiæ in ea quoque proponatur. Quia (ut dictum est) in Scriptura non solum continetur nuda fidei et morum regula: sed etiam *ἐνδείξεις καὶ ἐφαρμόσεις*, expositiones, applicationes, et repetitiones regulæ. Ut omittam (quod addit Kimedoncius) jurisconsultorum neminem negaturum corpus Justinianæum in hunc præcipue finem esse editum, ut regula esset juris civilis; qui a præter leges civiles contineat multas historias et res sacras. Atque hæc de prima Bellarmini responsione. 2. Dicit, "Scripturam etsi non sit facta præcipue, ut esset regula fidei; esse tamen regulam fidei non totalem, sed partialem. Indeque illi accidere, ut non omnia mensuret; et propterea aliquid sit de fide, quod in ipsa non continetur." Respondetur: Ita regulam imperfectam tradidisset nobis Deus: et quæ consequenter non esset omnino regula. Perit enim hæc tota ratio, ubi non est adæquatio regulæ, et ejus rei cujus est regula: ut si admittamus fidem latius patere quam Scripturam, fatendum quoque sit necesse, Scripturam fidei regulam esse non posse quo referenda illa definitio, quæ in Græco Varini Phavorini Camertis lexico legitur; *Κανὼν ἐστι νόμος ἀπαράβατος, καὶ μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενος.* Ut quum Bellarminus dicat, Scripturam esse regulam fidei et tamen sine additione non posse quicquid est de fide mensurare: in id incidat absurditatis, quod a Basilio magno in Eunomio hæretico notatum est, "*τὴν αὐτὴν καὶ κανόνα λέγει, καὶ προσθήκης φήσιν ἀκριβεστέρας δεῖσθαι,*" quemadmodum a doctissimo Whitakero est observatum.

XI. Argumentum a conditionibus regulæ fidei. "Regula[p] Catholicæ fidei certa, notaque esse debet: nam si nota non sit, regula nobis non erit, si certa non sit, ne regula quidem erit." Ita Bellarminus, assumens inde contra

[p] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 1. cap. 2.

Swenkfeldianos, "Sacris Scripturis, quæ Propheticis et Apostolicis literis continentur, nihil esse notius, nihil certius;" contra vero privatam spiritus interni revelationem "sæpe fallacem, semper incertam" esse: illas igitur, non hanc, pro fidei regula agnosci debere. Similiter et nos contra traditiones assumimus: fallaces eas esse et admodum incertas, ideoque pro regula non esse admittendas. Nam nec ipsi Pontificii certum catalogum hujusmodi traditionum possunt pertexere: et quæ apud veteres ex Apostolicâ traditione repetuntur, interdum falsa, interdum varia et sibi invicem repugnantia deprehenduntur.

XII. Argumentum ex iis Scripturæ locis sumitur, in quibus damnantur traditiones. Christus contra "traditiones[q] seniorum," ex professo disputat, sententiam Esaiæ adversus eas citans; "frustra me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum." Paulus, "Æmulator[r] existens paternarum mearum traditionum." "Videte[s] ne quis deprædetur vos per philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum," et "Redarguito[t] eos præcise, ut sani sint in fide, non attendendo fabulis Judaicis, et mandatis hominum aversantium veritate." Respondet Bellarminus: "Christum[u] et Apostolos non reprehendere traditiones, quas acceperant Judæi a Mose et Prophetis: sed quas acceperant a quibusdam recentioribus, quarum aliquæ inanes, aliquæ perniciosæ erant, et contra Scripturas. Hæc autem nihil facere adversus traditiones pontificias, quæ Christum et Apostolos auctores habent, et Scripturis divinis consonæ sunt." Respondetur: A Christo et Apostolis non reprehendi traditiones a Mose et Prophetis acceptas, quæ, præter scriptas, nulla erant, facile concedimus: sicut nec a nobis reprehenduntur traditiones, quæ Christum et Apostolos auctores vere habent, cujusmodi, præter scriptas, nullas ostendere possunt Pontificii. Sed ut hi traditiones suas non scriptas Christo et Apostolis, ita et Judæi suas Mosi et Prophetis similiter af-

[q] Matt. cap. 15. et Marc. cap. 7.
[r] Epist. ad Galat. cap. 1. ver. 14.
[s] Epist. ad Coloss. cap. 2. ver. 8.
[t] Epist. ad Tit. cap. 1. ver. 14.
[u] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 4. cap. 10.

finxerunt. Hebræi enim præter תורה שבכתב legem quæ in scripto est, traditam quoque a Mose תורה שבעל פה legem quæ in ore est, defendunt: ut videre est in R. Mosis Maimonidæ procemio in opus quod inscripsit משנה תורה: quomodo etiam in initio פרקי אבות legitur. משה קבל תורה מסיני ומסרה ליהושע ויהושע לזקנים וזקנים לנביאים ונביאים מסרוה לאנשי בנסת הגדולה. hoc est, " Moses accepit legem de Sinai, et tradidit eam Josuæ, Josua vero senioribus; seniores Prophetis; Prophetæ a tradiderunt eam viris synagogæ magnæ." Nec damnantur tantum a Christo traditiones, quæ contra expressas Scripturas erant invectæ: sed etiam quæ expressa illarum authoritate erant destitutæ, cujusmodi erant illæ commemoratæ traditiones; illotis[x] manibus non vesci; calicum, urcæorum et lectulorum lotiones, etc. Quod vero aliquas earum inanes fuisse objectat Bellarminus: si hujus generis nullas in illa pontificiarum traditionum farragine reperiri ausit dicere, omnium longe impudentissimum eum oporteat.

[x] Marc. cap. 7. ver. 3, 4.

XI.

RESPONDETUR TESTIMONIIS SCRIPTURARUM QUIBUS DEMONSTRARE CONATUS BELLARMINUS ESSE ALIQUAS VERAS TRADITIONES.

I. "Multa[a] habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo." "Sunt[b] autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros." "Constat[c] igitur," inquit Bellarminus, "multa Dominum fecisse, quæ non sunt scripta, nam istos libros, qui exstant una manus capere potest,—et præterea illa, quæ promittebat Dominus se dicturum, dixit haud dubie post resurrectionem suam, ut Lucas testatur, 'per[d] dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.' At de gestis et verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt Evangelistæ. Non autem est ullo modo credibile, Apostolos, qui illa viderant et audierant, non tradidisse Ecclesiis: nec enim invidi, aut obliviosi erant, ut nollent, aut non possent ea dicere." Hæc Bellarminus. Respondetur: Locus Evangelii qui diserte loquitur de factis Christi, ὅσα[e] ἐποίησε ὁ Ἰήσους, inepte transfertur a Bellarmino ad dogmata, de quibus præsens instituitur controversia. Neque enim necessarium esse dicimus ut omnia facta et miracula Christi καθ' ἓν (ut loquitur Evangeliographus) proponantur, neque traditiones Pontificiorum hunc defectum supplere ullo modo possunt; quippe quæ aut omnino aut admodum parce hoc argumentum attingunt: certe quotquot extant, "unam manum capere posse," non negaverit (opinor) Bellar-

[a] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 4. cap. 5.
[b] Johan. cap. 16. ver. 12.
[c] Johan. cap. 21. ver. 25.
[d] Act. Apost. cap. 1. ver. 13.
[e] Johan. cap. 21. ver. 25.

minus. Quod attinet ad locum Evangelii Johannis cap. 16. ver. 12. "Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione Evangelicæ sententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant:" ut habet Augustinus, tractatu nonagesimo septimo, in hunc locum Johannis. "Sed[f] hæc cum ipse tacuerit," inquit idem, "quis nostrum dicat, ista vel illa sunt? Aut si dicere audeat, unde probat? quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cum dixerit etiam vera quibus voluerit sine ullo testimonio divino affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere noluit? quis hoc nostrum faciat, et non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica nec Apostolica excellit authoritas." Dicet fortasse Bellarminus ea omnia, quæ Christus dicenda habuit, in traditionibus ecclesiasticis contineri: licet in particulari non intelligamus, hæc vel illa esse ex eorum numero, quæ tunc Dominus noluit discipulis suis dicere. Sed quomodo probabit, ea esse alia, quam quæ in ipso verbo scripto continentur? quomodo probabit per traditionem, non autem per Scripturam ea ad posteros esse propagata? quis enim feıat tam ineptam consequentiam. Christus non omnia simul discipulis proponere, sed multorum explicationem in commodius tempus differre voluit: illa igitur multa sunt alia, quam quæ in scriptis Prophetarum et Apostolorum sunt comprehensa. At "illa quæ promittebat Dominus se dicturum, dixit haud dubie post resurrectionem suam," quando per dies quadraginta apparens discipulis, locutus est eis de regno[g] Dei. Sed illud suum haud dubium, quo certo argumento extra dubium ponit Bellarminus, neque enim omnino, "promittebat[h] Dominus se dicturum ista:" sed quum venerit Spiritus veritatis, illum de suo accepturum, et renuntiaturum eis. Quod referendum ad tempus, non quod resurrectionem, sed quod ascensionem potius

[f] August. in Johan. Tract. 96. op. tom. 3. par. 2. pag. 734.

[g] Act. Apost. cap. 1. ver. 3. [h] Johan. cap. 16. ver. 12.

et missionem Spiritus Sancti secutum est. "At[i] de gestis et verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt Evangelistæ:" an vero defectum illum supplere possunt traditionarii. Proferat, si potest, Bellarminus ex cabala pontificia plenam historiam gestorum et verborum Domini post resurrectionem. Interim nugari desinat. Christus per quadraginta dies cum discipulis suis versatus, locutus est eis de regno Dei, teste Luca; ergo locutus est de iis rebus quæ nusquam in toto Bibliorum corpore scriptæ extant. Præclarum scilicet argumentum, et Jesuita dignum.

II. In capite undecimo primæ epistolæ ad Corinthios Paulus duas quæstiones tractat, unam de modo orandi in ecclesia; alteram de modo sumendæ Eucharistiæ, ex utraque pro traditionibus aliqua observat Bellarminus, et ex prima quidem duo præcipua. 1. Ex versu secundo, "laudo vos, quod per omnia mei memores estis; et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis." Ubi notat Jesuita Apostolum primam quæstionem exordiri a traditione: ista enim præcepta de modo orandi, et sumendæ Eucharistiæ, nusquam scripta inveniri. Respondetur: Ex traditionis voce nihil concludi potest: nemo enim negat universa religionis nostræ dogmata viva voce Christianis ab Apostolis fuisse tradita. In eo posita est controversia, utrum traditiones istæ Propheticis et Apostolicis literis hodie non extent consignatæ. De non scriptis traditionibus instituitur quæstio, non de sanctis illis traditionibus quæ literis mandatæ sunt, cujusmodi illa est ab Apostolo commemorata. "Tradidi[k] vobis imprimis quod et accepi, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundum Scripturas: et sepultum fuisse, et excitatum tertio die, secundum Scripturas." Hujusmodi traditiones, quæ Scripturarum nituntur authoritate, afferant Pontificii: nos repugnantes non sunt habituri. Instat vero Bellarminus, præcepta quorum hic meminit Apostolus, "fuisse de modo orandi, et sumendæ Eucharistiæ: eaque nusquam scripta inveniri." At "authoritatem[l] qui-

[i] Johan. cap. 16. ver. 13, 14.
[k] 1 Epist. ad Cor. cap. 15. ver. 3, 4.
[l] Cicer. de Div. lib. 2.

dem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adjungere." Ubi enim, quæso, dicit Apostolus, traditiones istas fuisse de modo orandi, et sumendæ Eucharistiæ? In sequentibus quidem hoc argumentum tractat: sic tamen ut Corinthios non laudet, sed reprehendat potius, quod ista de quibus illic agit non observarint. At in hoc loco de ejusmodi traditionibus loquitur Apostolus, observabant vero Corinthii traditiones, quarum hoc in loco meminit Apostolus: et hoc illis laudi dat, "laudo vos, fratres quod omnia mea meministis, et sicut tradidi vobis, traditiones retinetis." Deinde ut illa de modo orandi, et sumendæ Eucharistiæ, de quibus agit in sequentibus, intelligerent: an non illa tamen hoc ipso in loco scriptis ab Apostolo mandata sunt? Quid igitur ista faciunt pro non-scriptis traditionibus? Denique si per modum orandi, et sumendæ Eucharistiæ, ritus quosdam intelligat Bellarminus eo pertinentes: norit præsentem controversiam non de ritibus, sed de dogmaticis esse institutam. Sin vero ad ipsam doctrinam hoc referre velit: probet eam doctrinam nec a Paulo nec ab alio aliquo Spiritus Sancti organo in sacris literis ullibi fuisse traditam; et tum aliquid effecerit.

Videamus jam secundum argumentum quod ex hac Apostoli disputatione deducit, his verbis ab illo propositum, "quia adhuc aliquid deerat præceptis traditis, addit, ut etiam hoc servent, ut viri in Ecclesia orent capite aperto, mulieres capite velato, et ut ostendat multum tribuendum esse traditioni et consuetudini Ecclesiæ, etiam sine scripto, concludit: si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus nec Ecclesia Dei, itaque vult reprimi contentiosos ex Ecclesiæ consuetudine." Hæc Bellarminus. Respondetur: Aliquid præceptis ante traditis defuisse, nusquam indicat Apostolus: fide Bellarmina hoc totum nititur. Præceptum de virorum et mulierum habitu in sacris conventibus, præterquam quod rituale est (eaque ratione ad præsentem quæstionem non pertinet) hoc ipso in loco ab Apostolo scriptis est consignatum: ideoque pro non-scriptis traditionibus nihil omnino potest facere. Quod vero ex versu decimo sexto colligit, multum tribuen-

dum est traditioni et consuetudini Ecclesiæ, etiam sine scripto; velleque Apostolum, ut ex Ecclesiæ consuetudine reprimantur contentiosi: responde cum Junio, falsum id esse. Non enim vult Paulus reprimi contentiosos ex Ecclesiæ consuetudine; sed missos fieri, et Ecclesiam sese reprimere, ne occasione illorum stulte funem contentiosum trahat. Et illud ipsum quod dicitur, non esse consuetudinem Ecclesiæ ut contendat, (neque enim agit Apostolus de consuetudine simpliciter, sed de ejusmodi consuetudine, contentiose scilicet agendo,) non est moris seu consuetudinis ἀγράφου, sed divini et naturalis et scripti juris[m].

Atque hæc de duobus argumentis, quæ ex primæ quæstionis tractatione deducit Bellarminus. Ex secundæ tractatione, totidem quoque proponit: ex exordio unum, ex conclusione alterum, nam I. Apostolum hanc etiam quæstionem a traditione exordiri ait, "Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis." Respondetur: Hæc ipsa traditio non solum a Paulo hoc ipso in loco, sed etiam a Matthæo, Marco et Luca in Evangeliis scripta extat. Frustra igitur pro stabiliendis traditionibus non scriptis adducitur. 2. Apostolum ait concludere, "cætera cum venero disponam," quid autem disposuerit, inquit Bellarminus, nusquam scriptum invenitur. Respondetur: Chrysostomus in hunc locum ait Apostolum loqui "ἢ περὶ τούτου τοῦ πράγματος, ἢ περὶ ἑτέρων τινῶν, οὐ σφόδρα κατεπειγόντων, vel de ulteriori declaratione ejusdem rei quam proposuerat, vel de aliquibus aliis non valde urgentibus." Et verbum διατάξομαι (quo hic et capite decimo sexto utitur Apostolus) proprie refertur ad ea quæ ad ritum et ordinem ecclesiasticum spectant. De dogmatibus vero, non de ritibus et ordine politiæ ecclesiasticæ instituitur controversia. Contra vero dicit Bellarminus, "merito censent Catholici eum non solum disposuisse, quæ ad ritus et cæremonias pertinebant, sed etiam tradidisse alia graviora; ut de ordinatione ministrorum, de sacrificio altaris, de aliorum sacramentorum

[m] Vide Epist. ad Galat. cap. 5. ver. 20. Epist. ad Phil. cap. 2. ver. 3. et alibi passim.

[n] Chrysos. in 1. Cor. Hom. 28. op. tom. 10. pag. 252.

forma et materia." Respondetur: Hoc vero est hariolari, non disputare; stolide nugari, non acute adversarium refellere. Nisi forte ita esse nos hebetes existimet Bellarminus, ut quævis Pontificiorum somnia pro indubitatis oraculis suscipienda arbitremur. "Atqui hæretici non possunt ullo modo contrarium ostendere:" inquit Jesuita. Respondetur: Atqui probatio incumbit affirmanti: et orthodoxi, quos hæreticos appellat Pseudo-Catholicus, respondentium hic partes sustinent, non opponentium. Personam vero mutare disputantis, sophistæ est, et hominis ad inopiam rationis redacti. Nec verum tamen, non posse nos ullo modo contrarium ostendere: nam ut ea quæ paulo ante dicta sunt omittamus; constat Corinthios accepisse ante hoc tempus ab Apostolo Evangelium[o], adeoque ditatos fuisse "ἐν[p] παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει." Quomodo ergo quæ graviora sunt Evangelii ignorasse, si, ut hodie religionis pontificiæ prora et puppis est altaris sacrificium, ita olim fuisset Apostolicæ: an putat Bellarminus Apostolum tanti momenti mysterium non fuisse inprimis traditurum: aut doctrinam eorum quæ ad salutem erant necessaria tamdiu fuisse dilaturum? Imo respondeat Bellarminus, existimetne sacrificium altaris pertinere ad traditionem non-scriptam, necne? Si existimet: cur ergo abutitur testimoniis verbi scripti pro sacrificio hoc stabiliendo, in sua de Missa disputatione. Si non existimet, quorsum affert hanc instantiam ad non scriptas traditiones confirmandas? Certe ut daremus Apostolum non solum ritualia, sed etiam dogmatica hoc loco intellexisse: adhuc tamen Bellarmino probandum superesset, illa dogmata fuisse ejusmodi, quæ in nullo libro sacri canonis reperiri possunt; quod universa Jesuitarum ratio nunquam probatum dabit.

III. "Itaque[q] fratres, tenete traditiones quas accepistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram." Respondetur: Argumentatio inconsequens. Quædam religionis dogmata viva voce ab Apostolo tradita sunt Thessalonicensibus, quæ in epistola ad eos scripta non sunt comprehensa: ergo

[o] 1 Epist. ad Cor. cap. 15. ver. 1. [p] 1 Epist. ad Cor. cap. 1. ver. 5.
[q] 2 Epist. ad Thessal. cap. 2. ver. 15.

quædam viva voce ab eo sunt tradita, quæ nuspiam in universo sacrarum Scripturarum corpore scripta extant. At contra, duo objicit Bellarminus. 1. "In hoc ipso capite Apostolus dicit, se illis prædicasse de Antichristo, et præter alia docuisse, quando esset venturus: 'Et nunc,' inquit, 'quid detineat, scitis,' et, 'num retinetis, quia cum essem vobiscum, hæc dicebam vobis.' Hoc autem nusquam scriptum est, quando scilicet sit Antichristus venturus. Quare beatus Augustinus, libro 20. cap. 19. Civit. Dei, dicit, illos scivisse quod Apostolus docuerat viva voce, nos autem non posse id scire, qui Apostolum non audivimus. Ergo non omnia scripta sunt quæ Apostolus dixit." Respondetur: Si id nos scire non possumus, quod Apostolus Thessalonicences docuit viva voce, quod ex Augustino deducit Bellarminus, certe nec per Scripturam nec per Traditionem ejus rei notitia ad nos pervenit: et per consequens hoc argumento non solum insufficientia Scripturarum sed etiam Traditionum confirmaretur, hoc est, nimium, ideoque nihil, concluderetur. Necesse est igitur ut horum alterum admittat Bellarminus, vel quædam religionis dogmata esse, de quibus nec per Scripturam nec per Traditionem constare nobis possit; et tum evertit suam ipsius sententiam, Scripturam cum Traditione conjunctam totalem esse fidei regulam: vel quod Apostolus viva voce de tempore venturi Antichristi Thessalonicenses docuit, ad substantiam doctrinæ religionis non pertinere; et tum nihil affert quod nostram causam lædat. In Scripturis enim omnia Christianæ religionis dogmata, non omnes aut rerum præteritarum historias, aut futurarum prophetias, contineri defendimus. 2. Augustinus ad illa Apostoli verba, "Et[r] nunc quid detineat scitis," ita inquit, "quoniam scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus." Id nimirum intelligit, se dicti Apostolici de eo, quod Antichristi revelationem morabatur, sententiam minime assecutum esse: quod apertius postea proponit illis verbis. "Ego

[r] Augustin. de Civ. Dei, lib. cap. 19. op. tom. 7. pag. 597.

prorsus quid dixerit, me fateor ignorare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere de hac re potui, non tacebo." Nusquam vero dicit, quod illi affingit Bellarminus, nos non posse id scire. Imo quid videatur verosimilius, paulo post aperit his verbis: "Illud quod ait Apostolus, tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat: non absurde de ipso Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit: tantum qui modo imperat, imperet; donec de medio fiat, id est, de medio tollatur." Bellarminus quoque dicit, "Paulus[s] non ausus aperte scribere de eversione Romani imperii, quod tamen aperte illis coram explicuerat, sic loquitur, et sensus est: scitis, quid impediat adventum Antichristi, dixi enim vobis Romanum imperium impedire, quia non sunt adhuc impleta ejus peccata; et non ante veniet Antichristus, qui hoc imperium propter sua peccata tollat e medio. Ideo qui tunc tenet Romanum imperium, teneat, id est, regnet, donec de medio fiat, id est, aboleatur; et tunc revelabitur ille iniquus. Ita exponunt Græci Patres, et Latini." Hæc Bellarminus. At idem ibidem hoc ipsum probare conatur ex Daniele et Apocalypsi: quomodo ergo hic inter *ἄγραφα* recenset? Et certe, ex illo Apocalypseos, *unus est*, omnino intelligendum esse locum hunc Pauli, "Et quid detineat scitis," non male notavit[t] Franciscus Ribera. In Apocalypsi per septem capita bestiæ coccineæ dicuntur significari septem montes, super quos sedet mulier, (urbs illa magna, quæ habet regnum super reges terræ[u],) nempe,

Septem[x] urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi:

Tum reges septem[y], regna[z], sive summi principatus ejusdem urbis *ἑπταλόφου*: ut in disputatione de Antichristo plenius demonstrabitur. "Quinque[a] ceciderunt, unus est, alius nondum venit:" inquit prophetia. Qui Apostolorum

[s] Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 3. cap. 5.
[t] Riber. Comment. in Apocalyp. cap. 17.
[u] Apocal. cap. 17. ver. 9. 18.
[x] Propert. lib. 3. Eleg. 11. 57.
[y] Apocal. cap. 17. ver. 10.
[z] Vid. Esai. cap. 23. ver. 15. Dan. cap. 7. ver. 7.
[a] Apocal. cap. 17. ver. 10.

temporibus summam rerum obtinebat, status erat Imperatorius: qui in Apocalypsi ὁ εἷς ἔστιν, et in epistola ad Thessalonicenses eodem plane modo ὁ κατέχων ἄρτι nuncupatur. Sic enim versu septimo masculino genere effertur, habito respectu ad personam seu principatum aliquem qui tum extabat; quod versu sexto τὸ κατέχον neutro genere est dictum. Sextum vero illud caput, seu Imperatorum Romanorum regimen, quod tum regnabat, e medio tollendum prædicitur: antequam, succedat septimum, et novo Romæ erecto principatu, retegatur filius ille perditionis. Ita videmus pro non scriptis non facere illud Apostoli: "et nunc quid detineat scitis." Multoque minus illud alterum a Bellarmino ibidem objectum. Ex versu quinto, "Num retinetis, quia cum essem vobiscum, hæc dicebam vobis." Quis enim dixerit hæc referri debere ad aliqua non scripta; et non ad ea quæ proxime scripta sunt in hac ipsa epistola.

Et de prima quidem Bellarmini adversus responsionem nostram exceptione, dictum est plus satis: sequitur secunda, his verbis ab eo proposita. "Sive scripta postea fuerint, sive non, quæ Apostolus docuerat, non multum refert, quantum ad argumentum quod ex hoc loco colligimus: nam Apostolus non promittit se, vel alium ea scripturum, quæ ore tradiderat, sed simpliciter præcipit, ut non minus observent quæ acceperant sine scripto quam quæ per epistolam." Respondetur: Nempe argumento suo probare voluit Bellarminus quod nullus adversariorum negat. Apostolum quæ ore tradiderat non minus observari voluisse, quam quæ per epistolam. Illud est quod negamus: ea quæ Thessalonicensibus eo tempore, quo nondum consignatus fuit Novi Testamenti canon, erant παράδοτα nobis esse traditionem: quandoquidem ea omnia scripto jam ab Apostolis sunt tradita.

IV. "O Timothee[b], depositum custodi," et "formam[c] habe sanorum verborum, quæ a me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis." Et "tu[d] ergo, fili mi, confortare in gratia quæ in Christo

[b] 1 Epist. ad Tim. cap. 6. ver. 20. [c] 2 Epist. ad Tim. cap. 1. ver. 13, 14.
[d] 2 Epist. ad Tim. cap. 2. ver. 1, 2.

Jesu: et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere." In his locis, inquit Bellarminus, "nomine depositi, non potest intelligi Scriptura, sed thesaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum divinorum, id est, tam sensus Scripturarum, quam aliorum dogmatum:" quam totam doctrinam propogari volebat per traditionem. Respondetur: agnoscimus Apostolum non agere de codicis et membranarum custodia (neque erat opus ut id multis argumentis evincere conaretur Bellarminus) sed de sanæ doctrinæ in animis fidelium conservatione: eamque non solum in libris recondi, sed etiam viva voce prædicari, et aliis communicari, adeoque per traditionem (quandoquidem ita velit Bellarminus) propagari voluisse. Nec enim de modo tradendi pugnamus nos cum Pontificiis: sed de doctrina tradenda. Eam nos universam, quocunque demum propagetur modo, sacris literis comprehensam esse defendimus. Bellarminus alia dogmata non scripta ad hanc "sanorum verborum formam (cujus capita ab Apostolo proponuntur[e] duo: fides et charitas) pertinere asserit, sed asserit tantum: nullam enim voculam ex tribus his a se citatis locis producit, qua assertio illa vel in speciem stabiliri possit.

V. Ultimum testimonium ex secunda et tertia epistola Johannis profert Bellarminus "multa habens scribere vobis, nolui per chartam et atramentum." Ex his enim, inquit, "intelligimus, multa ab Apostolo Johanne dicta esse discipulis et per discipulos Ecclesiæ universæ, quæ tamen scripta non sunt." Respondetur: Nempe a Johanne in duobus hisce epistolis: nec enim aliud ex hoc habetur testimonio. Arguta vero argumentatio. Multa sunt dogmata quæ in duabus brevissimis epistolis a Johanne non sunt scripta: ergo multa etiam sunt dogmata quæ in universis libris Prophetarum et Apostolorum nusquam scripta extant. Apage puerilem sophisticam.

[e] 2 Epist. ad Tim. cap. 1. ver. 13.

XII.

SOLVUNTUR RATIONES PRÆCIPUÆ PRO NON-SCRIPTIS TRADITIONIBUS A BELLARMINO ALLATÆ[a].

I. "Vel totus canon Scripturarum simul sumptus est sufficiens, vel singuli libri per se sunt sufficientes, at neutrum vere affirmari potest." Prius membrum (de posteriore enim non est controversia) ita confirmat Bellarminus, "multi libri vere sacri et canonici perierunt: igitur non habemus nec habuimus a 1500 annis sufficientem doctrinam, si tota sita est in Scripturis." Respondemus primum cum Jacobo Kimedoncio, aliud esse totum canonem sufficere ad doctrinam, quod nos dicimus; aliud totum ad hoc necessarium esse, ut sufficiens sit doctrina, quod minime sentimus. Quemadmodum signa innumera a Christo et Apostolis edita, sufficiunt ad Evangelii confirmationem: nec tamen omnia ac singula præcise ad hoc necessaria fuisse dicimus: ita Scripturarum canonicarum corpus ad doctrinam sufficit et sufficeret, etiamsi vel Scripturarum adhuc extantium parte aliqua carere nos Dominus voluisset. Non sequitur igitur, si aliquot libri canonici periissent, in iis quos ad Ecclesiæ usum superstites esse voluit divina providentia, sufficientem doctrinam non contineri. Deinde cum Thoma Stapletono dicimus, "aliqua[b] canonica periisse, valde esse improbabile." Hoc enim, ut ait idem, "contra illam Dei providentiam facit quæ in rebus ad salutem vel necessariis vel plurimum conducentibus nunquam deest: quum res hujusmodi potissimum sit canonicarum Scripturarum conservatio." Eodem referri possunt pleraque omnia argumenta, quibus Sacræ Scripturæ fontium integritas est asserta: nec contrarium

[a] Bellarm. de verb. Dei, lib. 4. cap. 4. 8.

[b] Stapleton Defen. Eccles. anth. contra Whitaker. lib. 2. cap. 2. s. 10.

evincunt loca illa Scripturæ, quæ contra nos urgentur a Bellarmino.

Ut probet ex Testamento Veteri multos libros perisse, tres textus citat. "Gesta[c] autem priora, et novissima scripta sunt in libro Samuel videntis, et in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis. Et "Reliqua[d] autem opera Salomonis scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis;" et "Loquutus[e] est Salomon tria millia parabolarum, et fuerunt carmina ejus quinque millia." Respondetur: De primo respondet Paulus Burgensis, "Sicut[f] primus liber Regum rationabiliter attribuitur Samueli, eo quod ipse fuit principalis propheta contemporaneus Sauli: simili modo possunt attribui secundus et tertius Regum Nathan prophetæ, seu Gad, qui fuerunt contemporanei prophetæ regi David, et etiam Salomoni." De secundo similiter sentiunt docti, principium tertii libri Regum intelligi, a tribus his Prophetis conscriptum. De tertio dici potest, Salomonem locutum esse tria millia parabolarum (id enim habet textus) quemadmodum etiam locutus esse dicitur de plantis, jumentis, volucribus, reptilibus, piscibus; non autem legi, quod ista scripserit: de scriptis vero, non de sermonibus Prophetarum nunc institutam esse quæstionem. Si istas responsiones admittere nolit Bellarminus: probet tandem, libros, quos amissos esse dicit, ad Veteris Testamenti canonem aliquando pertinuisse. Neque enim quæcunque scripsit Propheta aliquis, protinus sunt habenda canonica: quemadmodum etiam quæcunque scribit notarius non sunt authentica, sed quæ ut notarius ex officio scribit, ut recte monet Junius. Nec sine ratione existimavit Augustinus "etiam[g] ipsos quibus ea, quæ in authoritate religionis esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse: atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista vero tanquam

[c] 1 Paralipom. cap. 29. ver. 29. [d] 2 Paralipom. cap. 9. ver. 29.

[e] 3 Reg. cap. 4. ver. 32.

[f] Paul. Burg. Comm. in Paral. cap. ult. addit. 2.

[g] August. de civ. Dei. lib. 18. cap. 38. op. tom. 7. pag. 521.

Deo per ipsos loquenti judicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis authoritatem, in qua authoritate custoditur canon."

Atque hæc de Testamento Vetere.

"Ex Testamento Novo," inquit Bellarminus, "certum est, periisse epistolam Pauli ad Laodicenses, cujus ipse meminit ad Colossenses et forte aliam ad Corinthios, cujus mentio fieri videtur, 1. Corinth. cap. 5. in illis verbis; scripsi vobis in epistola. Et facile potest fieri, adhuc aliqua alia periisse. Viderint ergo hæretici, unde resarcient tam insignem defectum." Respondetur: Nempe illa, *forte*, et *videtur*, et *potest fieri* admodum valida sunt argumenta; quibus ad canonis tam insignem defectum agnoscendum hæretici adigantur. Nec enim quidquam hic certi pollicetur Bellarminus, nisi in unico illo de Pauli ad Laodicenses epistola argumento ipso: quod ipsum tamen ne omnino certum crederemus in operum suorum Recognitione idem Bellarminus sic nos monendos existimavit, "Non probo, quod dixi, certum esse, periisse epistolam Pauli ad Laodicenses: quamobrem vero? quia S. Chrysostomus in commentario ejus loci scribit, aliquos existimasse Apostolum loqui de epistola scripta a Laodicensibus ad ipsum, non de epistola scripta ad Laodicenses ab ipso. Et ponderat verba Græca, ubi legitur, ut eam, quæ est ex Laodicea, non autem ut ea quæ est ad Laodicenses. Et ita certe legunt Græci codices: *τὴν ἐκ Λαοδικείας*, quod epistolam Laodicea missam, non ad Laodicenses scriptam manifeste significat. *οὐ τὴν ἀπὸ Παύλου πρὸς Λαοδικέας (ἢ γὰρ ἂν ἔιπε κὰι τὴν ἐν Λαοδικείᾳ) αλλὰ τὴν ἀπὸ Λαοδικέων πρὸς Παυλον*: non qua fuerit Pauli ad Laodicenses (alioqui enim dixisset, et quæ Laodiceæ est) sed a Laodicensibus scripta erat ad Paulum: ut ad hunc locum habet Photius apud Œcumenium. Similiter et Theodoretus: "Quidam existimarunt ipsum etiam scripsisse ad Laodicenses. Itaque fictam etiam epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit eam quæ est ad Laodicenses: sed eam quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem eos vel ea accusasse quæ fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse. Et

ideo dixit hanc quoque epistolam eis esse legendam." Hæc ille. Postremo Cæsar Baronius, causam totam hunc in modum concludit. "Sane[i] nullam eidem tabellario ad Laodicenses fuisse a Paulo datam epistolam, satis constat; dum in ea quam tum scripsit ad Colossenses, salutari mandat eos qui Laodiceæ essent fideles, sic dicens: 'salutate fratres qui sunt Laodiceæ et Nympham, et quæ in ejus domo est ecclesiam.' Si enim ad Laodicenses tunc scripsisset, ipse sua epistola ejusmodi functus esset officio, nec opus habuisset illud Colossensibus delegare. Si vero antea ad Laodicenses Paulus scripsisset; illis utique (ut modo fecit scribens ad Colossenses) ut suas literas legendas traderent Colossensibus, in mandatis dedisset. Libentius igitur Chrysostomo ac Theodoreto inhæremus, quam cæteris, ut nulla a Paulo scripta fuerit epistola ad Laodicenses." Atque hæc de epistola ad Laodicenses: sequitur epistola ad Corinthios, de qua in Recognitione operum ita Bellarminus. "Certius est epistolam unam scriptam ad Corinthios periisse; ut Anselmus, Caietanus, et alii colligunt ex illis verbis 'scripsi vobis in epistola.'" Respondetur: Certius fortasse quam illud alterum nec tamen omnino certum; si quidem Chrysostomum, ut in superiore ita etiam in hoc loco, audire velit Bellarminus. Notat[k] enim ille Apostolum respexisse ad ea quæ superius sunt scripta in hac ipsa epistola: "non potius luctum habuistis, ut de medio tollatur qui est hujusmodi;" et "expurgate vetus fermentum." Chrysostomi quoque sententiam secutus est Theophylactus: et Theodoretus expresse, "non in alia (inquit) sed in hac," dixit enim paulo ante "nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit." Similiter Photius apud Œcumenium[l], "ubi scripsit? Quando dixit, ut non magis luctum habuistis ut tolleretur de medio vestrum hujusmodi non hic aut ille, sed quicunque fuerit ejusmodi. Rursumque: expurgate vetus fermentum non hoc aut illud, sed totum vetus fermentum." Et author commentariorum in epistolas qui tribuuntur Hieronymo: "hoc ipsum in hac epistola

[i] Baron. Annal. Eccles. an. 60. §. 13.

[k] Chrysostom. in 1 Epist. ad Cor. Hom. 16. op. tom. 10. pag. 134.

[l] Œcumen. op. tom. 1. pag. 460.

ita scripsi, non ut a gentibus, sed ab his qui peccant in Ecclesia, separamini."

Ita videmus veteres interpretes, qui Anselmi et aliorum recentiorum authoritatem præponderabunt, illud Pauli ἔγραψα ἐν τῇ ἐπιστολῇ simpliciter accepisse, scripsi in hac epistola: in eam prorsus sententiam, quam in Paraphrasi sua expressit Erasmus, quem Bellarmini Caietano merito possumus opponere. "At ne quid erretis, quod paulo ante jusserim a vobis vitari consuetudinem infami libidine contaminatorum: non hoc sentio quod postulem ut universos hujus regionis impudicos devitetis, nec cum ullo consuetudinem agatis, qui avaritiæ rapacitatisve infamia laboret, aut simulacrorum cultui deditus sit."

II. Secunda Bellarmini ratio sumitur ex discrimine, quod est inter prædicationem, et scripturam Apostolorum "nam si Christo et Apostolis fuisset propositum verbum Dei coarctandi et restringendi ad Scripturam: 1. Rem tanti momenti Christus aperte præcepisset, et Apostoli alicubi testarentur, se ex Domini mandato scribere; quemadmodum ex Domini mandato in toto orbe docuerunt, at id nusquam legimus." Respondetur: Negamus necessario requirendum hic præceptum aliquod externum, suffecisse dicimus internum Spiritus Sancti ductum, qui præcepti vim obtinet: quemadmodum in prædicatione, Paulus et Silas dicuntur prohibiti[m] a Spiritu Sancto loqui sermonem in Asia; et versu sequente, cum tentarent ire versus Bithyniam, "non sivisse eos dicitur Spiritus Jesu:" et Paulus ait se "vinctum[n] Spiritu, proficisci Hierosolymam." Cum vero constet totam Scripturam esse θεόπνευστον[o], Dei instinctu traditam, nec libitu hominis allatam nobis esse, "sed[p] actos a Spiritu Sancto locutos esse sanctos Dei homines:" ulteriorem authoritatem ad rem tanti licet momenti aggrediendam inepte requirit Jesuita. Et cum mysterium Evangelii, "per Scripturas[q] propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei, omnibus gentibus declaratum" testetur Paulus ex eodem

[m] Act. Apost. cap. 16. ver. 6.
[n] Act. Apost. cap. 20. ver. 22.
[o] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 16.
[p] 2 Petr. cap. 1. ver. 20.
[q] Epist. ad Rom. cap. 16. ver. 26.

imperio æterni Dei per Scripturas apostolicas Evangelium gentibus declaratum qui dubitari poterit? Ut cum Augustino prorsus sit dicendum: "quicquid[r] Dominus de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum discipulis tanquam suis manibus imperavit." Mitte quod, ut primus scriptor Moses[s], ita etiam postremus Johannes in uno Apocalypseos libro duodecies jubetur scribere, ut nimis temere dixerit Bellarminus id nusquam nos legere. 2. "Ad prædicandum viva voce non expectarunt Apostoli oblatam occasionem, vel necessitatem, sed sponte sua, et ex proprio instituto perrexerunt: ad scribendum non nisi necessitate quadam coacti animum applicuerunt. Recte enim scribit Eusebius, solum duos ex Apostolis duodecim Evangelium scripsisse, et eos necessitate quadam provocatos. Ex quo manifeste colligitur, Apostolos non de scribendo, sed de prædicando Evangelio primaria intentione cogitasse." Respondetur: Falsa est comparationis hujus tum πρότασις, tum ἀνταπόδοσις. Prioris falsitas ex Actis Apostolorum convincitur: quæ passim docent, Apostolos occasiones prædicandi Evangelii captasse, et opportunitates expectasse[u]. Posterioris falsitas ex epistolis Pauli, Jacobi, Petri, Johannis et Judæ constat: quæ sponte sua, et ex proprio instituto eos non scripsisse, quomodo probabit Bellarminus? Ut de Actis Apostolorum, et quatuor Evangeliis (ex quibus ille ineptissime de universis scriptis apostolicis concludit, quasi in illis solis comprehensum esset Evangelium) nihil dicam. Necessitas prædicandi Evangelium ex æquo imposita est omnibus[x]: et quia ad universas gentes legationem hanc Christus perferri voluit; omnium simul Apostolorum hic requirebat opera. Necessitas quoque scribendi de communi salute quibusdam (specialiter ad hoc a Deo incitatis) incubuit: ut omnibus incumberet nihil erat opus, cum vel unus (si quidem ita Deo visum fuisset) huic muneri abunde sufficere potuisset. Necessitati huic a Deo impositæ, accessit

[r] Augustin de consen. Evangel. lib. 1. cap. ult. op. tom. 3. pag. 26.

[s] Exod. cap. 17. ver. 14. et alibi. [t] Apocal. cap. 1. ver. 11. et alibi.

[u] Vide Act. Apost. cap. 8. ver. 14. 25. cap. 11. ver. 21. 22. cap. 16. ver. 29, 30. cap. 17. ver. 16. 20. 23. item Epist. ad Rom. cap. 15. ver. 22, 23, 24. 1 Epist. ad Cor. cap. 16. ver. 7, 8, 9. [x] 1 Epist. ad Cor. cap. 9. ver. 16.

et voluntas propria, et prudens occasionum oblatarum captatio: quæ in utroque tum scribendi, tum prædicandi munere, simul conjunctæ sunt: sic tamen ut semper sit tenendum, sicut olim Scripturam propheticam, ita nunc apostolicam "non[y] libitu hominis allatam" (quod argumento proposito insinuare videtur Bellarminus) et quæcunque scripta sunt (quacunque primum occasione scripta sunt) "scripta[z] esse ad doctrinam et admonitionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt."

III. "Si doctrinam suam literis consignare ex professo voluissent; cite catechismum, aut similem librum confecissent, at ipsi vel historiam scripserunt, ut Evangelistæ; vel epistolas ex occasione aliqua, ut Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Johannes, et in iis non nisi obiter disputationes de dogmatibus tractaverunt." Respondetur: Quod ad historiam attinet; eam scribendi rationem doctrinæ tradendæ admodum esse idoneam, vel ex Trojani belli scriptore discere potuisset Jesuita,

> Qui[a] quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
> Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

Deinde meminisse debebat, Johannis Evangelium totum fere esse dogmaticum: et reliquis etiam Evangeliographis propositum fuisse, non factorum tantum Christi, sed etiam doctrinæ historiam contexere[b]. Quod vero ad epistolas spectat: "Apostolos in iis non nisi obiter disputationes de dogmatibus tractavisse," assertio est summe audax atque impudens. Et vero cum nemo sobrius negare possit, Apostolos hic doctrinam suam literis consignare ex professo voluisse; et in Epistola ad Romanos (verbi gratia) doctrinam catecheticam reipsa proposuisse. Et aliam tamen scribendi rationem ad hoc requirat Bellarminus, nempe vel catechismum vel aliam aliquam scriptionem, quæ proprius ad catechismi naturam accedat. Quid hic molitur aliud, quam ut Apostolos doceat et ipsi Deo scribendi

[y] 2 Petr. cap. 1. ver. 21.
[z] Epist. ad Rom. cap. 15. ver. 6. 1 Epist. ad Cor. cap. 10. ver. 11.
[a] Hor. Epist. lib. 1. epist. 2. ver. 3, 4.
[b] Act. Apost. cap. 1. ver. 1.

modum præscribat. Scilicet hoc illi Geta monitore indigebant: a quo catechismi scribendi rationem possent discere. Verum "non[c] sunt cogitationes meæ ut cogitationes vestræ, dicit Dominus;" nec "sicut voluit homo, locutus est spiritus; sed sicut voluit spiritus, ita locutus est homo:" ut ex Petro recte monet author operis imperfecti in Matthæum. Quemadmodum vero author ille eo in loco[d] notat, voluisse Spiritum, ut essent Scripturæ "obscuræ quidem, ut cum labore inveniantur," non autem clausæ, ut nullo modo inveniantur: ita notare potuisset Bellarminus, voluisse Spiritum ut veritas quæ est secundum pietatem sacris literis traderetur, non simul quidem et semel (quod in catechismo fit) ne sine labore inveniatur; sed hic atque illic sparsim; "non ut non inveniant eam qui quærunt eam, sed ut non inveniant eam, qui quærere eam nolunt: ut ad illorum quidem gloriam pertineat, qui inveniunt eam, qui desideraverunt eam, et quæsierunt, et invenerunt; ad illorum autem condemnationem qui non inveniunt eam, quia nec desideraverunt eam, nec quæsierunt nec invenerunt. Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Nam si veritas, salus et vita est cognoscentium se, magis debet quæri quam quærere." Hæc præclare author ille: cui adde Augustinum, "Si[e] in Scriptura Sacra tantum essent, quæ facillime intelliguntur (similiter etiam, si simplex tantum confectus fuisset catechismus) nec studiose quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas." Ut verbo dicam, si Bellarminus rationes, quas assignant veteres, cur Deus Scripturas non ubique perspicuas, sed multis in locis obscuras esse voluit (a seipso ex eorum scriptis repetitas[f]) ad rem de qua nunc agitur accomodasset: et diligentius considerasset, quomodo "magnifice[g] et salubriter Spiritus Sanctus Scripturas modificavit;" et quomodo id spectavit, ut "sensus[h] exercitatus caperet

[c] Esai. cap. 55. ver. 8.

[d] Hom. 44. Chrysostom. op. tom. 6. pag. clxxxvi.

[e] Augustin. de vera relig. cap. 17. op. tom. 1. pag. 758.

[f] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 3. cap. 1.

[g] Augustin. de doctrin. Christ. lib. 2. cap. 8. op. tom. 3. pag. 1.–22.

[h] Gregor. in Ezech. Hom. 6.

quod capere non posset otiosus," facile intellexisset, quantumvis religionis Christianæ doctrinam sacris literis perfecte comprehendi Deus voluerit, alias tamen fuisse causas ob quas alio scribendi genere, quam mere catechetico, amanuenses suos uti maluerit.

Atque hæc de tertio discrimine, quod inter prædicationem, et scripturam Apostolorum assignat Bellarminus. Sequitur postremum, cum quo totam hanc rationem concludit his verbis propositum. "Denique vel singuli Apostoli edidissent scriptam doctrinam Evangelicam, cum singuli haberent curam alicujus provinciæ, vel certe omnes simul congregati, antequam discederent in suas provincias, communem aliquem librum edidissent: sicut constat eos communiter symbolum fidei composuisse, quod tamen non scripserunt, sed viva tantum voce tradiderunt." Responde cum Whitakero: "nihil horum esse necessarium: non enim illos latuit, Deum velle sic illorum voluntates manusque regere, ut ii scriberent, quos oporteret, et tantum scriberent, quantum sufficeret, et in tempore omnia facerent." Quod de symbolo affertur, ad rem non facit. Id tantum de eo tenendum; quod ab Augustino notatum est, ejus "verba[i] per divinas Scripturas sparsa esse indeque collecta, et ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret.

IV. Quarta ratio ab Ecclesiæ Catholicæ dignitate desumpta ita urgetur a Bellarmino: "Ut[k] olim Judæi excellebant omnibus nationibus, quia credita erant illis eloquia Dei, ita nunc præstat Ecclesia Christi omnibus sectis, quod ipsa sola, quippe quæ sponsa Christi est, noverit omnia mysteria veræ religionis, et conscia sit secretorum sponsi, et propterea appelletur columna, et firmamentum veritatis: at si omnia essent scripta, et apertissime ut hæretici dicunt, nullum esset privilegium Ecclesiæ. Nam nihil minus scirent hæretici, et pagani, et Judæi de mysteriis fidei nostræ, quam nos ipsi, atque antistites nostri sciunt: neque esset verum, quod ait Irenæus, "in[l]

[i] Augustin. de Symbol. lib. 1. op. tom. 6. pag. 547.
[k] Bellarmin. de verb. Dei. lib. 4. cap. 8.
[l] Iren. lib. 3. cap. 4. op. pag. 178.

solam Ecclesiam tanquam in depositorium dives repositam ab Apostolis scientiam rerum divinarum." Respondetur: Perfectio Scripturarum nihil derogat Ecclesiæ Catholicæ dignitate. Ut enim olim Judæorum primarium erat privilegium "quod[m] eis credita sunt eloquia Dei," quantumvis sacra illa oracula ad exterorum manus pervenire potuissent: ita hoc ipsum hodie Catholicæ Ecclesiæ manet privilegium, quod ei concredita sunt oracula Dei: quantumvis eadem hæreticorum, paganorum et Judæorum lectioni pateant. Est enim Scriptura Sacra, propria Catholicæ Ecclesiæ possessio: et "non[n] Christiani nullum jus capiunt Christianarum literarum," ut recte notat Tertullianus; hæretici denique "Scripturas[o] tenent, sed ad speciem, non ad salutem," ut inquit Augustinus. Deinde ut possessio, ita et vera scientia Scripturarum, Catholicæ Ecclesiæ propria est. Nam ut illud olim Judæorum privilegium erat singulare, quod habebant "*μόρφωσιν*[p] *τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ*, formam sive informationem cognitionis ac veritatis in lege:" ita hoc est hodie Ecclesiæ privilegium, quod "*τύπον*[q] *διδαχῆς*, formam doctrinæ," et "*ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων*, expressam formam sanorum verborum," ex sacra Scriptura norit eruere. Unde Origenes, "hæreticis[r] non dixerim credita esse eloquia Dei pro eo, quod divina apud eos volumina relegi videntur: sed quia nihil in his sentiunt spirituale, nihil Deo dignum, solam apud eos quæ occidit haberi literam dixerim." Denique summum est illud Ecclesiæ Catholicæ privilegium, quod non solum ad eam pertineat externa mysteriorum regni Dei patefactio, sed etiam interna Spiritus Sancti illustratio: qua fit ut filii ejus omnes sint "*διδακτοὶ*[s] *τοῦ Θεοῦ*, docti a Deo;" et "quotquot[t] sunt, cognoscant eum a minimo eorum usque ad maximum eorum." Ut enim de Judæo olim dictum, "indidi[u] verba mea ori tuo:" quod

[m] Epist. ad Rom. cap. 3. ver. 2.
[n] Tertull. de præscript. adv. hæret. cap. 37.
[o] Augustin. de Baptismo contra Donat. lib. 3. cap. 19. op. tom. 9. pag. 121.
[p] Epist. ad Rom. cap. 2. ver. 20. [q] Ibid. cap. 6. ver. 17.
[r] Origen. Comm. in Epist. ad Rom. lib. 2. op. tom. 4. pag. 498.
[s] Johan. cap. 6. ver. 45. [t] Jerem. cap. 31. ver. 34.
[u] Esai. cap. 51. ver. 16.

sane maximum illius erat privilegium: ita ad veros Ecclesiæ filios, et ad eos solos, spectat illud: "hoc[x] erit fœdus meum cum istis, ait Jehova; Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui, ait Jehova, ex hoc tempore usque in sæculum." "Istorum[y] animalis homo non est capax, nec quidem ea potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur," neque omnibus etiam externa communione cum Ecclesia conjunctis, (nedum hæreticis, paganis et Judæis,) patet arcanum[z] Jehovæ, sed illis solis qui reverentur ipsum. Discat vero hic Bellarminus, qua ratione Ecclesia conscia sit secretorum sponsi sui: nam quænam illa sint arcana satis se ostendit ignorare, cum non alibi ea quærat, quam in traditionibus nescio quibus non scriptis. Quas tamen, opinor, in arcanis nequaquam posuisset, si rectius expendisset quod ab ipso scriptum est, "etsi[a] non sint scriptæ traditiones in divinis literis, esse tamen scriptas in monimentis veterum, et in libris ecclesiasticis." Cum vero negari non possit, monimenta illa veterum et libros ecclesiasticos ad hæreticos, paganos et Judæos emanare posse non minus quam divinas literas: quoque consequens non solum verbum Dei scriptum, sed etiam ipsas traditiones, nihil minus scire illos posse quam vestros antistites. Ubi jam igitur illud Ecclesiæ privilegium? Certe fatendum necessario, vel aliam revelationem Dei Ecclesiæ esse factam, quæ nec Scriptura sit nec traditio (quod negant omnes Pontificii ipso quoque Bellarmino astipulante[b]) vel certe (quod res est) ineptum esse totum hoc, quod ab Ecclesiæ Catholicæ dignitate deductum est, argumentum.

V. Quinta ratio sumitur a dignitate mysteriorum multorum, quæ, ut Bellarminus inquit, "silentium requirunt, nec decet ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur, si enim ad videnda tremenda mysteria Missæ non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis

[x] Esai. cap. 59. ver. 21.
[y] 1 Epist. ad Cor. cap. 2. ver. 14.
[z] Psalm. 25. ver. 14.
[a] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 4. cap. 12.
[b] Ibid.

eadem scripta tradere. Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas, quas populo locutus erat[c], et Apostolus ait 'sapientiam loquimur[d] inter perfectos:' et passim veteres, cum de sacramento Eucharistiæ loquuntur, dicere solent: norunt fideles, norunt initiati." Hæc Bellarminus. Respondetur: Hic etiam illud Bellarmino non succurrebat, quod ab eo scriptum esse diximus: "etsi non sint scriptæ traditiones in divinis libris, esse tamen scriptas in monimentis veterum, et in libris ecclesiasticis." Si nihil derogatur mysteriorum dignitati, quod scripta sint in monimentis veterum, et in libris ecclesiasticis: an inde aliquid eorum dignitati detractum existimabitur, si divinis consignarentur literis? Ne illud etiam succurrebat, in sacris literis contineri, et omnibus publicari, mysteria extra omnem controversiam majora et sublimiora, quam ulla sint quæ inter non-scriptas traditiones referantur a Pontificiis: ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, quod rationem hanc a dignitate mysteriorum sumptam totam esse commentitiam evincit. Oblitus quoque est se damnatissimorum hæreticorum hic insistere vestigiis, "qui cum ex Scripturis arguerentur, in accusationem conversi sunt Scripturarum; quasi varie essent dictæ, et quasi non posset ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem: ob quam causam et Paulum dixisse; sapientiam loquimur inter perfectos." Testatur hæc Irenæus[e], cum quo secretis istis Gnosticorum et Papistarum mysteriis, Ecclesiæ traditiones sacra Scriptura comprehensas, et toti mundo manifestatas opponimus. Sic enim ille, "Traditionem[f] Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire:" et post, "hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annunciari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt et apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere." Quod non baptizati ad Cœnæ Dominicæ ante (cujus initiationis sacramentum primum susceptum ipsi non debent esse participes) admi-

[c] Luc. cap. 8. ver. 10.
[d] 1 Epist. ad Cor. cap. 2. ver. 5.
[e] Iren. lib. 3. cap. 2. op. pag. 174.
[f] Ibid. cap. 3. pag. 175.

nistrationem videndam non admittantur, nihil mirum; cum ne baptizatis quidem ad eam videndam patere debeat accessus, qui sacro epulo ipsi non accumbunt. "Πᾶς[g] γὰρ ὁ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων, ἀναισχύντως καὶ ἰταμῶς ἕστηκως, quicunque mysteriorum non est particeps impudenter et inverecunde adstat." Et in ecclesia Romana vetere celebris fuit illa Diaconi denuntiatio: "Si[h] quis non communicat, det locum." Quantumvis in missa nunc Romanæ Ecclesiæ rem aliter se habere novimus. Cur vero quæ initiatis pandebantur, catechumenis ad tempus occultabantur mysteria, docet Augustinus: etsi enim, ait ille, "catechumenis[i] fidelium sacramenta non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possunt: sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur." Quod ad parabolas attinet, certum est nihil in iis contineri, quod non in Scripturis passim extet, aut quod a fidelis populi notitia celari debeat: quemadmodum ex earum explicatione, quam ibi proponit Christus, manifestum est. Neque omnino ista regni Dei mysteria a fideli populo voluit Christus occultari: sed ab infidelibus et reprobis, qui "videntes[k] non vident, et audientes non intelligunt," quorum "crassum[l] factum est cor, et obstructæ aures, et occæcati oculi; ne quando cernant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanentur." Unde illud, "Vobis datum est nosse mysteria regni Dei," Glossa ordinaria ita explicat: "vobis, qui fideles estis: sed Pharisæis incredulis sancta non sunt danda." Postremo sapientia illa, de qua Apostolus loquitur, de alia non est intelligenda, quam quæ sacris literis est comprehensa, quæ hominem Dei possunt "sapientem[m] reddere ad salutem, adeoque perfectum reddere, et ad omne opus bonum perfecte instruere." Hæc vero est Apostoli sententia: iis qui doctrinæ Christianæ rudes sunt, stultitiam fortasse videamur loqui, at inter perfectos, id est, eorum

[g] Chrysost. in Epist. ad Ephes. cap. 1. Hom. 3. op. tom. 2. pag. 23.

[h] Gregor. Dial. lib. 2. cap. 23.

[i] Augustin. in Johan. Tract. 96. op. tom. 3. pag. 2. pag. 735.

[k] Luc. cap. 8. ver. 10.

[l] Matt. cap. 13. ver. 13.

[m] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 15. 17.

judicio, quibus probe perfectum est pietatis mysterium, sapientiam loquimur: inter vos nihil nos scire profitemur, "nisi[n] Jesum Christum, eumque crucifixum," qui "Judæis[o] quidem est offendiculum, Græcis vero stultitia; ipsis autem vocatis, tum Judæis tum Græcis, Dei potentia ac Dei sapientia."

[n] 1 Epist. ad Cor. cap. 2. ver. 2.

[o] Ibid. cap. 1. ver. 23, 24.

XIII.

RESPONDETUR AD EXEMPLA TRADITIONUM NON-SCRIPTARUM A BELLARMINO PROPOSITA.

NECESSITATEM traditionum astruere conatur Bellarminus ex multis[a] quæ ignorari non possunt, et tamen in Scripturis non continentur. Constat autem hoc argumentum exemplorum duodecim inductione: quæ sigillatim excutienda sunt.

I. "Tempore Testamenti Veteris sine dubio non minus fœminæ, quam viri remedium aliquod habebant, quo a peccato originali purgarentur, et tamen pro masculis instituta erat circumcisio secundum multorum opinionem, quid autem esset pro fœminis, nusquam habet Scriptura." Respondetur: Remedium fuit "sanguis[b] Christi, qui purgat ab omni peccato." "Per[c] gratiam Domini Jesu Christi illas servatas esse credimus quemadmodum et nos." Cum "non sit[d] in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari." Veritas sacramenti fœminis æque communis fuit ac viris: sacramentum aliquod peculiare, quod ad fœminas pertineret, ex aliquo Dei verbo seu scripto seu non scripto nunquam ostendet Bellarminus. Nec video, cur ille ejusmodi aliquod necessario statuendum existimet: cum ipse in libro secundo de Sacramentis (quæcunque tandem aliorum, quorum hic meminit, multorum opinio fuerit) contendat, ne masculos quidem "fuisse justos ex eo, quod essent circumcisi, vel incircumcisi; sed ex eo, quod in Christum venturum crederent." Et ad id probandum hunc in modum diserte

[a] Bellarmin. de verb. Dei, lib. 4. cap. 4.

[b] 1 Epist. Johan. cap. 1. ver. 7.

[c] Act. Apost. cap. 15. ver. 11.

[d] Ibid. cap. 4. ver. 12.

ratiocinetur: "an masculorum Deus tantum, nonne et fœminarum, quis ergo credat, Deum dedisse remedium, quod solis masculis prodesset;" ut ad Magistrum Sententiarum, qui mulieres sine sacramento justificatas fuisse docet per[e] fidem et operationem bonam, vel suam si adultæ erant, vel parentum si parvulæ, eum ablegare non sit necesse.

II. "Veteris Testamenti tempore non est ullo modo credibile, non fuisse remedium ullum pro masculis morientibus ante octavum diem, quo solo poterant circumcidi: et tamen nihil extat de hac re in Scriptura." Respondetur: Aliud fuisse remedium, quam id quod modo a nobis est propositum, ex Dei verbo, vel scripto, vel non scripto nunquam demonstrabit Jesuita. Dei pactum erat "ero[f] Deus tuus et seminis tui," ejus pacti signum, Circumcisio, quod signum qui negligeret, "pactum[g] irritum fecisse" dicitur. Neglexisse vero dici non potest, ideoque nec pactum irritum fecisse, qui morte præventus ante tempus a Deo statutum circumcidi non poterat: cum non privatio, sed contemptus sacramenti excludat a gratia. Ita Thomas eandem esse rationem asserit "puerorum[h] qui moriebantur ante octavum diem tempore legis, et eorum qui moriebantur ante circumcisionis institutionem." De quibus idem paulo ante "sicut ante institutionem circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam parvulos, quam adultos; ita etiam et circumcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei."

III. "Gentiles multi salvari poterant, et salvabantur tempore Testamenti Veteris, et vere ad Ecclesiam pertinebant: et tamen nihil prorsus de eorum justificatione a peccato originali, aliisque peccatis in Sciiptura habetur." Respondetur: Imo vero Abrahamo imputatam fuisse fidem legimus ad justitiam, quum esset "non[i] in circumcisione, sed in præputio:" acceptumque ab eo postea "signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei receptæ in præputio, ut esset pater

[e] Lib. 4. distinct. 1.
[f] Gen. cap. 19. ver. 7.
[g] Ibid. ver. 14.
[h] Thom. Aqui. Summ. par. 3. quæst. 70. art. 4.
[i] Epist. ad Rom. cap. 4. ver. 9–12.

omnium credentium in præputio, imputata etiam ipsis justitia; et pater circumcisionis, iis videlicet qui non solum sunt ex circumcisione, sed qui etiam incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio." Imo Bellarminus ipse, ut diximus, ex Apostolo confirmat[k], ne Judæos quidem magis quam Gentiles, ex eo fuisse justos, quod essent circumcisi vel incircumcisi, sed ex eo quod in Christum venturum crederent, id quod etiam ex illis verbis, concludit "an[l] Judæorum Deus tantum, nonne et gentium, immo et gentium: quoniam unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem."

IV. "Necesse est nosse, extare libros aliquos vere divinos: quod certe nullo modo ex Scripturis haberi potest." Respondetur: In Scripturis hoc ipsum expressum habetur: "πᾶσα[m] γραφη θεόπνευστος, tota Scriptura divinitus inspirata est." "Πᾶσα[n] προφητεία γραφῆς, ἰδιάς ἐπιλύσεως οὐ γίνεται· οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, αλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, Nulla prophetia Scripturæ est propriæ explicationis, non enim libitu hominis allata est olim prophetia, sed acti a Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines." Et "sicut[o] charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis, ut in omnibus fere epistolis loquens de istis, in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, ut et reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio." At contra objicit Bellarminus, "etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum et Apostolorum esse divinos, tamen non certo id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti passim legimus ipsum Alcoranum de cœlo a Deo missum, et tamen ei non credimus. Itaque hoc dogma tam necessarium, quod scilicet aliqua sit Scriptura divina, non potest sufficienter haberi ex sola Scriptura. Proinde cum fides nitatur verbo Dei, nisi habemus verbum Dei non scriptum, nulla nobis erit fides." Ut huic objec-

[k] Bellarmin. de Sacram. lib. 2. cap. 14.
[l] Epist. ad Rom. cap. 3. ver. 29, 30.
[m] 2 Epist. ad Tim. cap. 3. ver. 16. [n] 2 Petr. cap. 1. ver. 20, 21.
[o] 2 Pet. cap. 3. ver. 15, 16.

tioni plene satisfiat: retexenda tota est argumentatio, et in particulares syllogismos resolvenda. Esto igitur hic principalis syllogismus.

Vel dandum est aliquod verbum Dei non scriptum; vel concedendum nullam habere nos fidem, qua credamus aliquam esse Scripturam divinam.

At posterius de dogmate tam necessario nullo modo concedi potest.

Dandum igitur est prius.

Probatur prima Propositio:

Si verbo scripto fides nostra hic niti non potest: tum vel dandum est aliquod verbum Dei non scriptum; vel concedendum nullam habere nos fidem, qua credamus aliquam esse Scripturam divinam. Necesse enim est ut fides nitatur verbo Dei.

At verbo scripto fides nostra hic niti non potest: Ergo.

Probatur hujus argumenti assumptio.

Si non potest hoc dogma sufficienter haberi ex sola Scriptura; tum verbo scripto fides nostra hic niti non potest.

At non potest hoc dogma sufficienter haberi ex sola Scriptura.

Ergo verbo scripto fides nostra hic niti non potest.

Probatur denuo Assumptum:

Si ut certo credam, libros Prophetarum et Apostolorum esse divinos, non sufficit ut Scriptura id ipsum dicat; certe non potest hoc dogma sufficienter haberi ex sola Scriptura.

Sed ut certo credam, libros Prophetarum et Apostolorum esse divinos, non sufficit ut Scriptura id dicat: requiritur enim præterea, ut prius credam, Scripturam quæ hoc dicit esse divinam.

Ergo non potest hoc dogma sufficienter haberi ex sola Scriptura.

Hic vero de sufficientia et rebus ad fidem requisitis necessario distinguendum est: vel enim intelligitur sufficientia respectu revelationis externæ, requisitæ ex parte objecti (ut loquitur schola) sive rei credendæ: vel intelligitur omnimoda sufficientia, etiam respectu revelationis internæ, requisitæ ex parte subjecti, id est, ipsius cre-

dentis. Nam ut quis certa fide dogma aliquod complectatur, non sufficit ut rem credendam Deus per verbum suum revelaverit: sed necessario præterea requiritur, ut Deus per Spiritum suum hominis credituri animum moveat ad assensum præbendum rei eo modo revelatæ. Priore modo intellectam, negamus assumptionem. Sufficit enim ut Scriptura id dicat: nec alia aliqua revelatio requiritur ex parte objecti; circa quam solam Scripturæ Sacræ sufficientia a nobis adversus Pontificios defenditur. Nec obstat quod requiritur ut credam Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam: quod enim non credam, id non arguit defectum revelationis requisitæ ex parte objecti (quæ ex alia aliqua revelatione non scripta sit supplenda) sed ostendit, aliud aliquid desiderari, et nominatim internam illustrationem Spiritus Sancti requisitam ex parte subjecti. Quod vero Alcoranum Mahometis de cœlo a Deo sit missum, objectum fidei esse non potest; quia destituitur revelatione divina requisita ex parte objecti: ideoque cum Scriptura Sacra, quæ ejusmodi defectum non habet, iniquissime comparatur. Si posteriore modo intelligatur assumptio, concedenda est; sed neganda propositio hypothetica: nam ex eo quod tu credas, vel non credas, non est consequens vel sufficienter vel insufficienter aliquid haberi ex Scriptura. Ut sufficienter dogma aliquod habeatur ex Scriptura, satis est, ut illud ipsum in Sacrarum Scripturarum volumine comprehensum extet: estque illud ea ratione vere objectum fidei, et necessario credendum, sive a te credatur, sive non. Quandoquidem hominis "infidelitas[f] fidem Dei inanem reddere non possit," itaque longe aliud est quærere, utrum in Scriptura omnia dogmata sufficienter contineantur, quod a nobis affirmatur: aliud, utrum ut fides dogmatibus in Scriptura revelatis a te adhibeatur præter Scripturam ipsam, nihil aliud requiratur; quod nos cum Bellarmino pariter negamus. Nam si Jesuitæ argumentatio aliquid effecerit, id certe effecerit, quod falsissimum esse fatebuntur ipsi adversarii: credendum esse aliquid in religione, quod neque ex Scriptura neque ex Traditione sufficienter haberi, ideo-

[f] Epist. ad Rom. cap. 3. ver. 3.

que aliud verbum Dei admittendum, præter illud quod vel scriptum est vel traditum. Quidni enim hunc in modum instituatur argumentum.

Si ut certo credam, libros Prophetarum et Apostolorum esse divinos non sufficit ut vel Scriptura vel etiam Traditio id dicat: certe, non potest hoc dogma sufficienter haberi vel ex Scriptura vel ex Traditione.

Sed ut certo credam, libros Prophetarum et Apostolorum esse divinos, non sufficit ut vel Scriptura vel etiam Traditio id dicat. Requiritur enim præterea, ut prius credam vel Scripturam vel Traditionem, quæ hoc dicit, esse divinam.

Nam etiam in Alcorano Mahumeti passim legimus ipsum Alcoranum de cœlo a Deo missum, atque hoc ipsum Turcæ constanter tradunt: et tamen huic vel Scripturæ vel Traditioni non credimus. Itaque hoc dogma tam necessarium, quod scilicet sit aliqua Scriptura divina, non potest sufficienter haberi vel ex Scriptura vel ex Traditione. Proinde cum fides nitatur verbo Dei, si nullum habeamus verbum Dei præter scriptum et traditum, nulla nobis erit fides.

Hoc argumentum si solvant pontificii, eadem ratione solverint sophisma a Bellarmino propositum.

V. "Non satis est scire, esse Scripturam divinam, sed oportet scire quæ sit illa, id quod nullo modo potest haberi ex Scripturis. Quomodo enim colligemus ex Scriptura, Evangelia Marci et Lucæ esse vera; Evangelia Thomæ et Bartholomei esse falsa: cum ratio potius dictet magis credendum libro præferenti titulum Apostoli, quam non Apostoli. Et unde colligam, epistolam ad Romanos esse vere Pauli, epistolam ad Laodicenses, quæ nunc circumfertur, non esse Pauli: cum utraque præferat titulum Pauli, et cum Paulus in epistola ad Colossenses, dicat se scripsisse ad Laodicenses, nusquam autem dicit, se scripsisse ad Romanos." Hæc Bellarminus. Argumentum est ejusmodi.

Quæ sit Scriptura divina nullo modo potest haberi ex Scripturis.

Quæ sit Scriptura divina, oportet scire.

Ergo aliquid oportet scire, quod nullo modo potest haberi ex Scripturis.

Respondetur: Neganda est major; multis de causis.

1. Quia suppositis Scripturis ipsis, quod fit in prædicato, et in parte conclusionis inde deducta, tollitur quæstio in subjecto posita, quæ sit Scriptura divina: rationi enim repugnat, ut Scripturis divinis præsuppositis, locus aliquis relinquatur quæstioni, quæ sit Scriptura divina. Nec valent probationes Bellarmini: quia etiamsi daremus id nullo modo colligi posse ex Scripturis, ut conclusionem ex eo principio probandam; non inde tamen sequeretur non esse λῆμμα hoc cum ipsis Scripturis Sacris necessario supponendum: sicut enim in aliarum scientiarum demonstrationibus, necessario dandæ sunt hypotheses quædam, quæ principia sint ἀναπόδεικτα (ut constat[q] ex philosopho) præcognoscenda, non demonstranda: ita in theologicis probationibus hujusmodi aliqua hypothesis necessario danda est; quam frustra eodem modo probari postules, quo reliquas fidei veritates ex eo principio deductas: sic enim disquisitioni nullus futurus esset finis, sed in infinitum fieret progressus: quod absurdum foret. Recte ipse Bellarminus, "Tametsi[r] articulorum fidei veritas non potest nobis esse evidens absolute; tamen potest esse evidens ex hypothesi, id est, supposita veritate Scripturarum. Quod enim a Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum, suppositis Scripturis." Ita et nos asserimus, omnia dogmata fidei et morum ex Verbo Dei scripto evidenter deduci posse, suppositis ipsis Scripturis. Nec tollitur nostra assertio, data instantia, quæ positam hypothesin in quæstionem vocet, stulteque omnino in principio illo et veritatibus inde deductis, idem evidentiæ genus requiritur: cum principium illud ejusmodi evidentiæ nullo modo capax sit, ipsa quoque disiciplinæ theologicæ natura reclamante. Si enim illa hypothesis eodem evidentiæ genere probari posset, quo aliæ veritates fidei probari possent admissa illa hypothesi, nihil obstaret quo minus articulorum fidei veritas nobis esset evidens absolute, nec ea ratione supernaturalis scientia differret a naturali, quod ἀθεόλογον esse agnoscit ipse Bellarminus. 2. Quia utcunque hoc non potest haberi ex Scripturis, eo

[q] Aristot. Analytic. poster. lib. 1. cap. 2. et Metaphys. lib. 4. cap. 1.

[r] Bellarmin. de Eccles. lib. 4. cap. 3.

modo quo alia dogmata per Scripturam mensurata, haberetur tamen ut pars ipsius datæ mensuræ: et licet non potest haberi eo modo, quo aliæ res in Scripturis revelatæ; nihil tamen vetat, quo minus haberi possit ut ipsa Revelatio. Est enim Scriptura ipsa Revelatio: eique revelationi credendum non ob aliam revelationem, sed ob seipsam: ut recte docet[s] Gregorius Valentianus. Itaque ut hoc habeatur, non requiritur alia aliqua revelatio aut verbum Dei non-scriptum, ut fingit Bellarminus, quo ostendatur scriptam illam revelationem pro tali esse acceptandam et credendam: quia tametsi revelatio illa obscura est et inevidens (cujusmodi illa est qua fides niti solet) bene requiri potest persuasio aliqua, quæ eam faciat credibilem, quo pertinent motiva illa, "quibus quivis prudens induci possit, ad acceptandam ejusmodi fidem, quantumvis secundum se inevidentem et obscuram," ut habet in citato loco Valentianus, de quibus, in explicatione quæstionis, unde scis Scripturam esse divinam, plenius disseruimus. 3. Quia licet Bellarmino demus non posse hoc ex Scripturis colligi eo modo et tali evidentiæ genere, quo alia dogmata fidei ex iisdem deducuntur: nullo tamen modo haberi posse ex Scripturis, nimis temere a Bellarmino dictum est, et nullo modo ab hominibus Christianus admittendum. Si enim nullo modo hoc potest haberi ex Scripturis, male ergo statuit ipse Bellarminus Ecclesiam[t] discernere potuisse libros canonicos ex similitudine librorum, de quibus ambigitur, cum illis de quibus non ambigitur: male probavit idem "Sacras[u] Scripturas certissimas atque clarissimas esse, nec humana inventa, sed oracula divina continere:" ex veritate vaticiniorum et prædictionum rerum futurarum, quæ in iis continentur, nec non "ex incredibili quadam, et plane divina conspiratione atque concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt." Male colligunt Christiani doctores ex Scripturarum majestate et puritate et aliis internis notis (de quibus in quæstione, Unde scis?) eas ab aliis humanis scriptis discerni posse.

[s] Greg. Val. Commen. in Thom. lib. 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 1.
[t] Bellarmin. de Verb. Dei. lib. 1. cap. 10.
[u] Ibid. lib. 1. cap. 2.

Denique cum notæ illæ divinitatis librorum canonicorum et interna indicia, quibus ab humanis scriptis discerni possint, (quantum quidem ad inevidentem cognitionem satis est, quali contentam oportet esse fidem in religionis fundamentis percipiendis; ut nobiscum quoque agnoscunt adversarii) in ipsis Scripturis tradantur: quomodo dici potest, nullo modo posse haberi ex Scriptura, quænam sit divina Scriptura. Sororem Marcelli Papæ a Bellarmino fuisse honorandam, an Bellarminus dixisset nullo modo haberi posse ex Scripturis; certe nec Bellarmini nec sororis Marcelli explicata aliqua in Scripturis habetur mentio: cum tamen constiterit, matrem illius fuisse hanc; agnoscet, opinor, aliquo saltem modo necessitatem præstandi hujus officii haberi posse ex illo Scripturæ præcepto, "Honora matrem tuam." Catilinam et Cethegum morte plectendos esse, ex jure scripto nullo modo haberi posse, quis dixerit, etiamsi nec Catilinæ nec Cethegi in eo nominatim reperiri possit ulla mentio: et Mahumetanos fidem rejicientes damnatum iri, ex Scripturis haberi posse, quis iturus est inficias, licet enim Mahumetanos speciatim expressos in Scriptura non invenio: intelligo tamen comprehensos esse sub generali illa sententia, "qui[x] non crediderit condem nabitur." Summa est, ut aliquid vel ex jure scripto vel ex verbo Dei scripto haberi possit, frustra requiri ut omnium individuorum expressa fiat mentio: nec recte negari aliquid ex eo posse colligi, quod ibi habetur in genere significatum, licet non individuo. Regulæ generales ex Scriptura peti possunt: particulares applicationes ad singulas species et individua nobis relinquuntur. Ita in Scripturis non lego, hunc librum esse canonicum, illum non esse canonicum: lego tamen, "Doctrinam[y] Jehovæ integram esse, restituentem animum; testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito." "Vivum[z] esse sermonem Dei et efficacem, et penetrantiorem quovis gladio ancipiti: et pertingere usque ad divisionem animæ simul ac spiritus et medullarum; et dijudicare cogitationes et conceptiones cordis." Jam vero Deo oculos meos retegente, "intueor[a] mirabilia ista in

[x] Marc. cap. 16. ver. 16.
[y] Psalm. 19. ver. 8.
[z] Epist. ad Heb. cap. 4. ver. 12.
[a] Psalm. 119. ver. 18.

lege Dei:" eodemque aures meas circumcidente vocem Christi in verbo suo loquentis agnosco: inde intelligo Epistolam ad Romanos esse *θεόπνευστον* (etsi non alibi quam in eadem epistola legam, scripsisse Paulum ad Romanos, quod ad hanc rem nullius profecto est momenti), Marcum et Lucam in Evangeliis suis fuisse amanuenses Spiritus Sancti, etiamsi Apostoli non fuerint: quod ut essent, nihil erat necesse. Quomodo vero intelligi possit ex Scriptura, apocrypha Evangelia Apostolorum titulos præferentia, falsa esse; ex Eusebio discat Bellarminus, "*ὁ*[b] *τῆς φράσεως παρὰ τὸ ἦθος τὸ ἀποστολικὸν ἐναλλάττει χαρακτὴρ, ἥτε γνώμη, καὶ ἡ τῶν ἐν αὐτοῖς φερομένων προαίρεσις, πλεῖστον ὅσον τῆς ἀληθοῦς ὀρθοδοξίας ἀπάδουσα, ὅτι δὴ αἱρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει, σαφῶς παρίστησιν*: dictionis et loquendi forma, longe a stylo et dicendi consuetudine Apostolorum discrepat: sententia quoque et institutum eorum quæ in illis libris continentur (nimium quantum a vera orthodoxaque doctrina dissonans) plane perspicueque ostendit, ea callida solum hæreticorum esse commenta." Ita Eusebius et eum secutus Nicephorus[c], et certe cum constet, in pseudepigraphis illis Evangeliis contineri quædam noxia, ut habet Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quarta *φωτιζομένων*: quæque "Catholica[d] atque Apostolica regula fidei et sana doctrina condemnat," ut ab Augustino est notatum: mirari subit quæ ratio dictaverit Bellarmino, "magis credendum libro præferenti titulum Apostoli[e]," sed nihil minus quam apostolicam doctrinam proponenti; quam libro præferenti titulum Evangelistæ et Spiritum apostolicum ubique spiranti? Imo quis spiritus suggesserit Johanni Standicio, Pontificiæ olim theologiæ in Anglia Doctori, authoritatem Ecclesiæ hac ratione supra authoritatem Scripturæ esse agnoscendam;

[b] Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 19. [c] Nicephor. Hist. lib. 2. cap. 46.

[d] Augustin. de consen. Evang. lib. 1. cap. 1. op. tom. 3. par. 2. pag. 3.

[e] Si tamen Evangelium quod dicebatur Thomæ, titulum præferebat Apostoli: cum fuerit Thomæ, unius e tribus discipulis Manetis hæresiarchæ, non Thomæ unius de numero duodecim discipulorum Christi: quemadmodum in sexta Cathechesi indicat Cyrillus Hierosolymitanus, et Petrus Siculus in Manichæorum historia citat. a Grets. in supplem. lib. de Expurg.

"quod Ecclesia[f] receperit Evangelium Lucæ et Marci, et rejecerit Evangelia ab excelsis illis Apostolis, Thoma et Bartholomæo exarata." Sic enim hominem profanum scribere non puduit, in tractatu contra Scripturas Anglicanas.

Nec illud prætereundum est, quod habet Gregorius de Valentia in Analysi fidei, "sicut[g] de authoritate ipsius Scripturæ necesse est per aliquam aliam certam regulam constare; ita etiam de authoritate Traditionis, si ea quoque revocetur in dubium. Non enim Traditio loquitur etiam ipsa clare et perspicue de sese: ut neque ipsa Scriptura." Si ergo quæratur, unde sciamus traditionem illam esse vere divinam, quæ dicit hos libros esse canonicos, illos non item? a scripto pariter et tradito verbo, ut minus sufficiente hic exclusi, ad quam aliam Revelationem erit nobis recurrendum.

[f] Standic. Tract. contr. Scrip. Anglic. Londin. 1554. cap. 6. prob. 3.
[g] Gregor. Val. lib. 5. cap. 8.

XIV.

* * * * * * * * * * *

* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * neque preces privatas neque sacra publica lingua peregrina et incognita peragi debere pluribus argumentis ex Apostoli disputatione in capite decimo quarto prioris ad Corinthios epistolæ desumptis, evincunt Catholici. Contra quæ impudentissime Stapletonus in Antidotis, quæ appellat (sic enim ille Antidoti nomine solet propinare venenum) ad primum et secundum ejus capituli versiculum, excipit "nec de ejusmodi linguæ usu, qualis est Latina, nec de ipso divino officio aut precibus, seu publicis seu privatis, toto hoc capite quidquam disputare Apostolum." Quis vero hujusmodi impudentiam ferre possit? Non loquitur Apostolus de precibus, seu publicis, seu privatis, cum versu decimo quarto et sequentibus scribit: "si precer lingua, spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa: quid est igitur? precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia." Loquitur omnino Apostolus de universis, quæ in cœtu Ecclesiæ proferuntur; et requirit "ut omnia ad ædificationem fiant." Neque minus vana, licet non æque impudens, est altera illa Stapletoni exceptio: "loqui lingua, toto hoc capite, non esse aliqua dicta lingua loqui, quam studio et arte vel intelligere vel legere didicisti, qualis hodie Latina, vel Græca vel etiam in perpaucis Hebræa est; sed loqui ex dono divini Spiritus, absque ulla disciplina præ-

via, varias linguas barbaras et peregrinas, variisque gentibus vulgares: ut in die Pentecostes Apostoli loquebantur." Nam loqui lingua apud Apostolum est lingua loqui incognita, ut agnoscit Thomas Aquinas, et omnes facile intelligunt. Sive igitur sit docta, sive indocta sive ex dono divini spiritus habita, sive studio et arte acquisita, modo auditoribus sit incognita, improbatur ab Apostolo. Imo multo magis, si non ex dono Spiritus extraordinario, sed ordinaria disciplina prævia habeatur. Si enim donum miraculosum Apostolus auditorum ædificationi cedere debere judicavit; atque eum qui ejusmodi dono fuerit præditus, tacere potius in ecclesia, quam verba non intellecta efferre maluit: multo profecto magis linguæ incognitæ usum damnatum voluit, et ædificationi audientum simpliciter postponendum, quando jam omnis miraculi cessavit ratio, et nihil in lingua cernitur, quod non sit ordinarium. Quare tantum abest ut hac Stapletoni exceptione infirmentur, ut ea vel maxime confirmentur argumentationes, quas ex Apostoli disputatione deducunt nostri. Eas igitur primo loco proponemus: deinde alias quasdam ex aliarum Scripturarum fundamentis extructas adjungemus.

Ergo primum argumentum ex capite decimo quarto prioris ad Corinthios epistolæ sit hujusmodi. Voces et soni aerem inutiliter ferientes, in ecclesia audiri non debent. Verba ab audientibus non intellecta, sunt soni aerem inutiliter ferientes. Ergo. Est argumentum Apostoli, versu nono, "ita et vos nisi per linguam edideritis sermonem bene significantem, quomodo cognoscetur quod dicitur, eritis enim in aerem loquentes." Hoc autem illustrat similitudine sumpta ab instrumentis musicis, ut tibia et cithara, ac tuba bellica: quæ licet anima careant, et ad hoc tantum sint comparata, ut sonos edant; id tamen requiritur, ut sonos edant ita distinctos, ut quid eis significetur homines possint assequi. Si igitur instrumenta musica ejusmodi distinctionem tonis dare debent, ut cognosci possit, quod tibia canitur aut cithara, frustra alioqui sonatura: si in re bellica requiritur ut tuba significanter sonet, alias nulli futura usui: "Si incertum sonum tuba dederit," inquit Apostolus; "quis apparabitur ad bellum:" profecto homines, in ecclesia præsertim verba facientes, illa loqui debent,

ut ab audientibus possint intelligi; ne frustra alioqui et inutiliter sonos fundant. Ad hanc Apostoli argumentationem respondet Bellarminus: "in[a] magna parte hujus capitis non agi de lectione Scripturarum, nec officiis divinis, sed de exhortatione spirituali, sive collatione. Illud in versu vigesimo nono, 'Prophetæ duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent:' et illud versu tertio, 'Si alii revelatum fuerit, prior taceat:' et illud 'mulieres in ecclesia taceant:' et similia multa non nisi ad exhortationem referri posse. De exhortatione igitur intelligi illa verba versu octavo et nono a nobis objecta." Respondetur: 1. Etiamsi daremus hoc specialiter intendisse Apostolum, non idcirco tamen rationes, quas adhibet, nulli alii rei accommodari possunt. Nos vero ex rationibus ab Apostolo usurpatis disputamus, quæ non solum in exhortationibus locum habent, sed in omnibus sacris actionibus ad ædificationem Ecclesiæ institutis. 2. Falsum est hoc specialiter Apostolum intendisse: cum extra controversiam sit, et tum ex tota disputationis serie, tum præcipue ex versibus 14, 15, 16, 17. 26. manifestum, non de exhortationibus solum, sed etiam de precibus et psalmis, et gratiarum actionibus, quibus populus debet respondere Amen. Omninoque inepta est ista Jesuitæ argumentatio: in magna parte hujus capitis agitur de spirituali exhortatione, et verba, quæ in versu 29, 30. et 34. leguntur, alio referri non possunt: ergo verba illa, quæ ex versu octavo et nono objiciuntur, de exhortatione intelliguntur. Quin potius dixeris in magna parte hujus capitis agitur de precationibus et gratiarum actionibus et psalmodiis; et verba quæ in versibus 14, 15, 16. leguntur, quæque proprius cohærent cum disputatione Apostoli, in versu octavo et nono, quam quæ ex fine capitis producit Bellarminus, alio referri non possunt: ergo verba ex versu octavo et nono prolata eodem sunt referenda. Certum vero est Apostolum in loco citato, de usu ignotæ linguæ in genere agere, eumque in omnibus officiis sacris, quæ in cœtu ecclesiæ peraguntur, seu concionibus seu orationibus, seu psalmodiis improbare. Id quod speciatim postea ad precationes, gratiarum actiones et psal-

[a] Bellarm. de Verb. Dei, lib. 2. cap. 16.

modias accommodat. In posteriore vero parte capitis a versu vigesimo sexto deinceps, præscribit formam seu modum usus linguarum[b], deinde prophetiæ[c], unde verba illa Bellarminus citavit; quæ contra seriem tractationis Apostolicæ cum verbis octavi et noni versus ab eo sunt connexa.

II. Secundum argumentum: quod ad Ecclesiæ ædificationem non facit, in ecclesia admitti non debet. Usus linguæ ignotæ ad Ecclesiæ ædificationem non facit. Ergo. Major est Apostoli versu vigesimo sexto, "omnia ad ædificationem fiant:" et versu duodecimo ita commendat zelum spirituum (seu spiritualium) ut inprimis ædificatio Ecclesiæ spectetur. Minor est ejusdem versu quarto et quinto, ubi id discriminis inter Prophetiam et donum linguarum constituit; quod qui prophetat, Ecclesiam ædificet; qui vero lingua loquitur, seipsum tantum ædificet, Ecclesiam vero nequaquam, nisi per interpretem loquatur. Omninoque certum est illud Beati Augustini axioma: "nemo[c] ædificatur, audiendo quod non intelligit."

III. Qui in ecclesia loquitur, non solum Deo loqui debet, sed etiam hominibus, qui præsentes cum eo agunt. At qui lingua utitur incognita, non hominibus loquitur, sed Deo. Ergo. Major est Apostoli versu vigesimo octavo, ubi monet, ut qui nec per se nec per interpretem loqui potest, taceat in ecclesia; privatim vero sibiipsi loquatur et Deo. Minor est ejusdem versu secundo, "qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nullus enim audit, id est, intelligit. "Nam in iis linguis, quas non intelligimus, surdi profecto sumus:" ut in libro quinto Quæstionum Tusculanarum habet Tullius.

IV. Ita loquendum est in ecclesia, ut fructum ex sermone capere possint auditores. At ex usu sermonis incogniti fructum non capiunt. Ergo. Argumentum est Apostoli versu sexto; "quod si nunc, fratres, veniam ad vos linguis loquens, quid vos juvabo.

V. Quod efficit, ut minister populo barbarus sit, aut populus illi, in ecclesia non est ferendum. Usus linguæ

[b] 1 Epist. ad Cor. cap. 14. ver. 27, 28. [c] Ibid. ver. 29, 30. &c.
[d] Augustin. De Genes. ad lit. lib. 12. cap. 8. op. tom. 3. par. 1. pag. 302.

incognitæ hoc efficit. Ergo. Est argumentum Apostoli versu undecimo "nisi[e] igitur sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus; et qui loquitur, apud me barbarus fuerit." Respondet Gretserus, "verbis[d] illis loqui Apostolum de exhortationibus et collationibus, quas lingua peregrina non vult institui: quæ si ignota lingua concipiantur; et loquens audienti, et audiens loquenti barbarus efficitur. At in publicis precibus divinisque officiis neque loquentem audienti, neque audientem loquenti barbarum esse: quia divina officia non diriguntur ad populum, sed ad Deum qui omnes linguas intelligit." Verum quod ait de exhortationibus et collationibus loqui Apostolum, (id quod etiam aliis argumentis superius a nobis propositis opponit,) ad hoc in defensione primi argumenti satis est responsum: nec deinceps, quoties ea crambe a Gretsero recoquitur, opus erit repetere. Apostolus loquitur de universis, quæ in conventibus ecclesiasticis peraguntur: et rationes ab eo adhibitæ non in exhortationibus solum et collationibus locum habent, sed etiam in publicis precibus et divinis officiis lingua non intellecta celebratis. Nec barbarismi ratio in eo consistit, quod vel ad hunc vel ad illum dirigatur sermo, ut ridicule fingit Gretserus: sive enim secum sive cum alio colloquentem Atheniensem audierit Scytha, Scythæ Atheniensis erit barbarus: sed quod ad aures hominis non intelligentis sonus peregrinus perferatur. Tot igitur in mundo existentibus vocum generibus, inquit Apostolus, nisi vim vocis sciero, vox audita (sive in publicis precibus sive alibi) erit mihi plane barbara: "sicuti[f] enim Græcis hominibus Illyrici, Pæones, Thaulantii, et Atintanes barbari esse censentur; ita rursus et eisdem illis, aliisque omnibus qui audire (seu intelligere) Græcum idioma non possunt, Attica lingua, Dorica, Æolica, et Ionica, videntur barbariem quandam sapere:" ut scribit Theodoretus, hanc Apostoli sententiam cum illa Anacharsidis Scythæ componens, "Ἐμοὶ πάντες Ἕλληνες σκυθίζουσι, Mihi Græci omnes Scythizant." Adde quod preces et gratiarum actiones,

[e] Gretser. Defens. lib. 2. cap. 16. op. tom. 8. pag. 485.
[f] Theodoret. Therap. Serm. 5. Op. tom. 4. pag. 556.

licet ad Deum dirigantur; non sic tamen ad Deum diriguntur, ut non simul ad populi præsentis ædificationem comparatæ esse debeant, quemadmodum ex versu septimo intelligimus: qua de re post.

VI. Precationes et psalmodiæ ita debent institui, ut intelligentiam cum actione sacra sit conjuncta: at lingua ignota adhibita hoc fieri non potest. Ergo. Est ipsa Apostoli conclusio versu decimo quinto, "quid est igitur: precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentia," et Bellarminus quidem concedit, in his verbis agi non de exhortatione, sed de precibus: quia "προσεύξομαι et ψαλῶ et εὐχαριστεῖς, quibus vocibus Apostolus utitur, non significant concionari, sed precari et canere et gratias agere." Negat tamen Apostolum hoc loco agere de divinis officiis, vel de publica Scripturarum lectione; quippe quæ cum Græce fierent, in Græcia a multis intelligebantur: sed de oratione et laude Dei, et gratiarum actione, quæ interdum per donum linguarum in collationibus illis fiebant lingua aliqua maxime extranea, quam nemo intelligebat, ut Arabica vel Persica. Consuevisse enim Christianos cantica spiritualia componere, ad laudandum Deum, et gratias ei agendas, et simul ad suam et aliorum consolationem et ædificationem: indeque Apostolum Ephesios et Colossenses hortari, "ut[g] in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus commoneant seipsos." Quoniam igitur ista cantica fiebant ad populi consolationem; voluisse Apostolum ut fierent lingua, quæ intelligeretur. Respondetur: licet id specialiter Apostolo fuerit propositum, ut abusum extraordinarii linguarum doni corrigeret: non tamen rationes ab eo adhibitæ in eas angustias sunt cogendæ, ut nulli alii subjecto adaptari possint. Certum vero est Apostolum simpliciter hic requirere, ut tum preces, tum omnia, quæ in ecclesia peraguntur sive ordinarie sive extraordinarie, ad ædificationem fiant, et generaliter omnem linguam auditoribus non intellectam improbare; seu in usu doni extraordinarii, seu in officio ordinario: imo in hoc magis quam in illo; quemadmodum in responsione ad exceptionem Sta-

[g] Epist. ad Ephes. cap. 5. ver. 19. Epist. ad Coloss. cap. 3. ver. 16.

pletoniam (quæ cum Bellarminiana hac coincidit) observavimus. Si spiritualium illorum canticorum finis erat laus Dei, non a psallente solo, sed ab omnibus audientibus quoque agnoscenda: an non ordinariarum precum eundem quoque finem esse oportet. Si extraordinariæ illæ preces ita erant instituendæ, ut audientium ædificationi inservirent; omittendæ alioqui, quantumvis in iis miraculosum donum eluceret: an non ordinaria quoque officia ad eundem scopum dirigenda. Si denique vult Apostolus, ut cantica illa spiritualia fiant lingua, quæ intelligatur, quia fiebant ad populi consolationem, ut inquit Bellarminus, an putamus eum de lectione Scripturarum aliter fuisse pronuntiaturum, quas similiter scriptas idem agnoscit, ut per earum consolationem[h] spem habemus. In tam pari ratione, cur tam dispar judicium?

VII. Ita preces publicæ sunt instituendæ, ut fructus intelligentiæ ad Ecclesiam perveniat; et non solum is qui preces concipit, sed etiam qui audiunt inde possint ædificari. At in precibus lingua peregrina conceptis frustra hunc fructum quæras. Ergo. Argumentum sumptum est ex versu decimo quarto, "Nam si precer lingua, spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa:" et ex versu decimo septimo "nam tu quidem bene gratias agis, sed alius non ædificatur." In hujus argumenti vi depellenda multus est Bellarminus: et primum quidem pluribus argumentis probare nititur, "falsum esse ex publica oratione Ecclesiæ nullum fructum a populo percipi, nisi ea oratio a populo intelligatur:" deinde ad locum Apostoli respondet. Quod ad primum attinet, cum doctissimo Junio respondemus: aliud esse agere de utilitate audientium qua audiunt, id est ex auditu percepta, quam ædificationem vocat Paulus; aliud agere simpliciter de utilitate eorum, pro quibus habetur oratio. Agit autem Apostolus (et argumentum nostrum ex eo deductum) de priore tantum, fructu scilicet intelligentiæ, quam percipit ex oratione audiens: ut constat ex verbis versu decimo quarto et decimo septimo in argumento nostro productis, et Alphonsus Salmeron Jesuita pluribus[i] confir-

[h] Epist. ad Rom. cap. 15. ver. 4.

[i] Salmeron. Disputat. 22. in 1. Epist. ad Cor.

mat. Quare argumentationes Bellarmini, quæ de alio fructu agunt, vagantur extra oleas. Eas tamen, quales quales sint, sigillatim expendere non dedignabimus. 1. Oratio Ecclesiæ, inquit Bellarminus, "non fit populo, sed Deo pro populo; itaque non est opus, ut populus intelligat ut ei prosit, sed satis est si intelligat Deus, quemadmodum si quis apud Regem Latine oraret pro aliquo rustico; certe rusticus fructum inde percipere poterit, etiamsi non intelligat orationem advocati sui." Respondetur: At in publicis orationibus Ecclesiæ non ita se res habet, ac si advocatus apud Regem pro rustico aliquo oraret; nec enim minister, quum in ecclesia precatur, advocatum agit: nec orationes ab eo prolatæ pro populo tantum fiunt, sed etiam a populo, qui ministrum præuntem conjunctis votis prosequitur, id quod Amen demum addito ad extremum confirmat. Deinde longe alia est ratio orationis, quæ ab advocato fit ad principem, et quæ ab Ecclesia fit ad Deum: quia illius scopus est ut principi supplicis causa innotescat, hujus vero non tam ut Deus, "qui[k] novit quibus sit nobis opus, antequam petamus ab eo:" quam ut ipsi nos penitius causam nostram intelligamus, quo et majore sensu indigentiæ nostræ afficiamur, et major zelus in animis nostris ea ratione accendatur. Hic vero nequaquam satis est si intelligat Deus: sed requiritur præterea ut precantes ædificentur, et intelligentia nostra non sit infructuosa: quemadmodum ex Apostolo confirmavimus. 2. "Ecclesia orat pro fidelibus et aliis peccatoribus, qui sæpe non solum non intelligunt, sed nec audiunt, nec volunt pro se orari; et tamen non frustra Ecclesia orat: quanto igitur magis non frustra orat pro fidelibus præsentibus, et cupientibus orari pro necessitatibus suis." Respondetur: Ista ad rem non faciunt. Quia quæstio instituitur de orationibus, quæ fiunt non pro fidelibus, sed a fidelibus: nec de fructu agitur impetrationis, qui potest pertingere ad absentes; sed de ædificationis fructu ex auditu nascente, qui ad solos tum præsentes, tum intelligentes spectat. 3. "Deus præcipiebat[l], ut dum sacerdos sanctuarium ingressus pro se, et pro populo oraret, populus

[k] Matt. cap. 6. ver. 8.

[l] Levit. cap. 16. ver. 17.

foris maneret, ita ut non solum intelligeret, sed nec audiret, nec videret sacerdotem; quod etiam factum esse tempore Zachariæ legitur[m], et tamen quis dubitare potest, quin illa oratio populo prodesset." Respondetur: Idem committitur error, qui in superiore argumento. Adde, quod sacerdotis actio separantis se a populo, typica fuit: representabat enim Dominum nostrum Jesum Christum "Sanctuarii[n] ministrum, ac veri illius tabernaculi, quod fixit Dominus, et non homo: qui[o] segregatus a peccatoribus, et sublimior cœlis factus, pro[p] nobis ingressus est in ea quæ sunt intra velum, semper[q] vivens ut interpellet pro nobis." Illud vero trahere ad statum Evangelii, in quo hujusmodi omnis respectus cessavit; ista enim fuerunt "umbra[r] rerum futurarum," qua corpori cedere, et sole justitiæ exorto[s] evanescere oportebat, perquam esset iniquum. Multoque iniquius actionem sacerdotis a populi præsentia prorsus semoti, ejusmodi actionem normam efficere, quæ populo præsente et audiente sunt peragendæ. 4. "Judæi non frustra colebant Deum figuris et cæremoniis variis, quarum significationes multi eorum minus intelligebant, quam verba Latina rustici nostri." Unde concludit Bellarminus populum ex oratione, quam ipsemet pro seipso ad Deum fundit, fructum percipere posse, quamvis eam non intelligat. Respondetur: Fructum intelligentiæ sive ædificationis (de quo solo fructu instituitur argumentum nostrum) neque poterant olim Judæi ex non intellectis cæremoniis neque possunt hodie Pontificii ex non intellectis precibus percipere. Hactenus enim ista sunt inter se paria. Alias vero longe iniquissima inter ista duo instituitur comparatio. Primum enim alia ratio est habenda eorum quæ expresso Dei mandato nituntur (cui absoluta debetur obedientia) alia humanarum inventionum, quas non mandavit nobis Deus, "nec[t] ascendit in cor ejus ut faceremus eas." Deinde eorum temporum status, quibus velamen faciei Mosis est

[m] Luc. cap. 1. ver. 10.
[n] Epist. ad Heb. cap. 8. ver. 2.
[o] Epist. ad Heb. cap. 7. ver. 26.
[p] Ibid. cap. 6. ver. 19, 20.
[q] Ibid. cap. 7. ver. 25.
[r] Epist. ad Colos. cap. 1. ver. 17.
[s] Malach. cap. 4. ver. 2.
[t] Jerem. cap. 32. ver. 35.

impositum, "ne[u] intentis oculis intuerentur filii Israel in finem ejus quod aboletur," perperam componitur cum tempore διορθώσεως, ut appellat[x] Apostolus, quo "velamen[y] illud per Christum tollitur," et "veri[z] adoratores adorant Patrem spiritu ac veritate." Non quidem frustra colebant Judæi Deum figuris et cæremoniis: sed dum ita colebant, quasi infantes tutelæ subibant jugum, et "sub[a] elementis mundi erant in servitutem redacti." An vero ad simile jugum iterum retrahenda erat Ecclesia, et ad incunabula denuo reducenda? Adde quod veteri Ecclesiæ, quantumvis sub tutoribus[b] et curatoribus constitutæ usque ad tempus a Patre præfinitum, ejusmodi tamen jugum a Deo non est impositum, quale Ecclesiæ jam adultæ imponi jubet Romanus Pontifex: ut ipsis orationibus, quibus Patrem Cœlestem populus Dei alloqueretur, hujusmodi non intellectæ linguæ velum obduceretur. Quasi cum Rehoboamo consilium iniisset Pontifex: "Pater oneravit vos jugo gravi, ego autem superaddam jugo vestro." 4. "Si[c] preces non intellectæ et malæ non sunt infructuosæ, quando dicuntur bona fide: quanto magis preces optimæ ab Ecclesia institutæ, etiamsi non intelligantur proderunt: at vero preces, in quibus aliquid hæretici admixtum est, non carere fructu, quando simpliciter dicuntur ab eo, qui nescit quid dicat, et putat se bene dicere: ut docet[d] Sanctus Augustinus." Respondetur: Etiam hic iniquissima instituitur comparatio, quia argumentatio fit, 1. Ab eo quod eget condonatione, et omnino probari non debet (cujusmodi sunt preces hæreticæ, quamvis non intellectæ) ad id quod per se Deo est acceptum et simpliciter approbandum; id enim de usu precum suarum lingua ignota editarum statuunt Pontificii; 2. Ab ignorantia involuntaria (qualis est in precibus hæreticis quas ii recitant, qui per ignorantiæ simplicitatem, ut inquit Augustinus, non eas valent discernere:) ad ignorantiam voluntariam, qualem in vulgi precibus defendunt Pontificii; 3. Ab ignoratione

[u] 2 Epist. ad Cor. cap. 3. ver. 13.
[x] Epist. ad Heb. cap. 9. ver. 10.
[y] 2 Epist. ad Cor. cap. 3. ver. 14.
[z] Johan. cap. 4. ver. 23.
[a] Epist. ad Gal. cap. 4. ver. 3.
[b] Ibid. ver. 2.
[c] Bellarmin. de Verb. Dei. lib. 2. cap. 16.
[d] Augustin. de baptism. lib. 6. cap. 25. op. tom. 9. pag. 176.

rei malæ, quæ non obsit; ad ignorationem rei bonæ quæ prosit. 6. "Si necessarium esset intelligere quidquid orantes, vel Deum laudantes dicimus: profecto rari aut nulli possent Psalmos Davidis canere, et Prophetas atque Apostolos in divinis officiis legere." Respondetur: Ex eo quod non intelligamus quicquid ex Psalmis, Prophetis et Apostolis legimus, male concluditur usus precum, quarum nihil omnino intelligimus: nec ab imperfecta cognitione rerum ad omnimodam ignorationem ipsorum verborum; aut ab ignorantia, quæ si voluntaria esset, nunquam esset ferenda, (cujusmodi illa est quam in argumento adducit Bellarminus) ad eam quæ plane voluntaria est: ullo modo tenet argumentatio.

Istis rationibus et aliis quibusdam Patrum sententiis violenter huc detortis, subjicit Bellarminus responsionem ad locum Apostoli, cujus duo præcipua sunt capita. I. Non reprehendi hic orationem quæ non intelligitur, ut malam et penitus infructuosam; aliter enim pronuntiare Apostolum illis verbis, "nam tu quidem bene gratias agis:" sed ei anteponi orationem, quæ intelligitur. Nam mentem quidem orantium lingua non intellecta, sine fructu esse, juxta Apostolum, quia non eruditur: non tamen manere affectum eorum sine fructu; quippe qui affectu et spiritu interim proficiant. Respondetur: 1. Si orationem quæ intelligitur, Apostolus anteponit ei, quæ non intelligitur (ut hic fatetur Bellarminus:) stulte igitur Papistæ lingua incognita precari malunt, potius quam intellecta; nisi forte Papam suum Apostolo nostro sapientiorem judicent. Nec est quod dicat Bellarminus "fructum mentis, qui deest idiotis, compensari utilitatibus multis, quæ inde proveniunt, quod Scripturæ in publico conventu, communissimo idiomate, id est, Latino, assidue leguntur." Nam præterquam quod in officiis privatis (in quibus etiam usum linguæ non intellectæ defendunt Pontificii) hujusmodi commentitiæ Latini sermonis utilitates obtendi non possunt: etiam in publicis, nullæ tanti momenti proferuntur, quæ cum fructu intelligentiæ (cui ipsius quoque miraculosi linguarum doni usum posthabendum vult Apostolus) sint ullo modo conferendæ. Quod si incommoda

linguæ peregrinæ a Spiritu Sancto notata, aliis commodis a nobis animadversis præponderari debere existimemus: an non hoc ipso sapientiam nostram divinæ anteponimus? Et si utilitatibus nescio quibus sic omnia metiri liceat; ut earum prætextu, integrum nobis fuerit a Dei mandato, "qui[d] omnia ad ædificationem fieri voluit," recedere: non jam "sumus[e] observatores legis, sed judices." 2. Falsum est homines rudes recitando vel audiendo precationes lingua non intellecta propositas, affectu et spiritu proficere. Nunquam id sensit Apostolus: nunquam probavit orationes ipsi oranti non intellectas, imo quantumvis ab ipso qui preces conciperet intelligerentur, in conventu tamen eorum, qui pariter ipsi non intelligerent, proferri vetuit, velut penitus infructuosas respectu alicujus ædificationis, quæ ad audientes inde manare posset. Ne enim aliud innuunt illa verba versus decimi septimi, "nam tu quidem bene gratias agis, sed alius non ædificatur," hoc est vel ipso Stapletono interprete, "Tu[f] recte ac pie, quod ad teipsum attinet, Deum laudas, oras, invocas, doni illius spiritualis ac divini beneficio: sed alii idiotæ et simplices et hujusmodi tam loquendi lingua, quam orandi spiritu non donati, nullum ex tuis donis fructum percipiunt." Quod ergo ait Apostolus, "tu quidem bene gratias agis;" non de eo qui quid ipse loquatur non intelligat (quemadmodum Bellarminus somniat, non intelligens ipse quæ loquitur, neque de quibus affirmat) sed de eo dicit qui cognita sibi loquitur, quia scit quid dicat: ut est in Ambrosiano ad hunc locum commentario. Et ex illa Apostoli antithesi plane evincitur, in precibus ex dono spiritus lingua peregrina editis, audientes quidem nullum ædificationis fructum percepisse, quippe qui nihil intelligerent: ipsum tamen, qui dono illo fuit præditus, intellexisse preces a se prolatas, indeque ædificationis fructum percepisse. Id quod ex versu quarto manifestius est, quam ut negari possit; disertis verbis affirmante Apostolo, eum qui ejusmodi lingua loquitur, licet Ecclesiam non ædificet, seipsum tamen ædificare. Itaque plane per-

[d] 1 Cor. cap. 14. ver. 26. [e] Jacob. cap. 4. ver. 11.
[f] Stapleton. Antidot. ver. 16, 17. pag. 727.

versa est illa versus decimi quarti interpretatio, et ab Apostoli sententia maxime aliena, quam Bellarminus[g] et Anglo Rhemenses[h] sunt commenti: ut persuadere possent orationes lingua ab ipso orante non intellecta enuntiatas ab Apostolo non reprehendi tanquam infructuosas respectu ædificationis affectus; utcunque alterius generis orationibus postponi, a quibus mentis simul et affectus ædificatio posset percipi. Sic enim locum exponit Bellarminus: "si orem ex dono linguarum, lingua quam non intelligam, spiritus meus orat, id est, affectus meus orat: tamen mens sine fructu est, id est, intellectus non eruditur, quia non intelligo quid dicam."

Dupliciter vero fallit hæc interpretatio. 1. Quod Spiritus nomine affectum hic significari ponat: quum eo nomine in tota hac Apostoli disputatione "a principio in finem usque," ut habet in hunc locum Alphonsus Salmeron, et ipse Jesuita, "donum peculiare Spiritus Sancti significetur, quo quisque impellitur ad loquendum, canendum, vel psallendum, vel benedicendum." Ut Spiritu orare nihil aliud hic notet, quam ex dono Spiritus orare: quemadmodum cum Chrysostomo et Calvino agnoscit etiam Stapletonus[i]. 2. Quod mentem ab Apostolo infructuosam dici ponat, respectu intelligentiæ ipsius orantis; cum respectu Ecclesiæ, peregrinam linguam non intelligentis, id dictum sit: ut sensus sit: mens mea, id est, sensus seu sententia verborum meorum est infructuosa audienti, nam "quid dicas nescit." Loquitur enim Apostolus de audientium, non de ejus qui orat intellectu: et de fructu alienæ ædificationis, potius quam fructibus orationis in ipsomet orante: ut recte observatum est ab eodem Salmerone. Si quis enim, inquit, "in lingua peregrina et ignota preces fundat coram aliis, qui tale linguæ idioma non intelligant: profecto et ipse destituitur fructu intelligentiæ in aliis, et consequenter consolationis spiritualis, et refectionis, ut hic ait Apostolus." Addamus et veterum Græcorum interpretum explicationes. In regu-

[g] De Verb. Dei, lib. 2. cap. 16. [h] In 1 Cor. cap. 14. ver. 14.
[i] Antidot. pag. 723.

lis brevioribus Basilii ad interrogationem, "Quomodo[k] spiritus alicujus orat, et mens ejus est sine fructu:" hæc subjicitur responsio, "hoc de iis dictum est, qui lingua audientibus ignota orationes factitarent. Ait enim: si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quotiescunque enim iis, qui adsunt, ignota sunt verba orationis, tunc sine controversia orantis mens sine fructu est, quippe cum inde fructum nemo capiat. Contra autem, quandocunque qui adsunt, orationem intelligunt, quæ audientes possit juvare, tunc sine dubio, qui orat fructum habet, quod meliores fiunt, qui juvantur." Theodoretus in hunc locum: "Fructus[l] ejus, qui dicit, est auditorum utilitas: hoc etiam dixit in Epistola ad Romanos: 'ut[m] aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in cæteris gentibus.' Alia ergo lingua disserens, et iis qui audiunt interpretationem non afferens, nullum habeo fructum, illis utilitatem non accipientibus." Œcumenius: "Mens mea sine fructu est, hoc est, non accepit fructum ab auditoribus collectum, vel tanquam ex vindemia congregatum; hunc non sibi lucrifecit mens ejus qui loquitur, non fruita est tali fructu." Photius apud eundem: "Si quid loquar eorum quæ necessaria sunt et honesta, sed id non interpreter etiam auditoribus, meipsum quidem juvo: nam hoc est quod ait, Spiritus meus orat, id est, ego solus fruor re illa necessaria et honesta. Sed alius non accipit utilitatem: ut mens mea etiam inde lucrifaciat fructum utilitatis istorum."

Secunda Bellarmini adversus hoc argumentum exceptio est: "Apostolum loqui de lingua, quam nemo in tota ecclesia intelligere potest: ideoque frustra hæc apostolica verba adversus consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ adduci." Respondetur: 1. In Pontificiorum synagogis id sæpe usu venire certo certius est, ut nemo præsens adsit, qui linguam Latinam intelligat. Non frustra igitur hæc apostolica verba adversus consuetudinem Ecclesiæ Pontificiæ adducuntur. 2. Apostolum loqui de lingua non modo, quam nemo in tota

[k] Basil. in reg. brev. ad Interrog. 278. op. tom. 2. pag. 411.
[l] Theod. op. tom. 3. pag. 190. [m] Epist. ad Rom. cap. 1. ver. 13.

ecclesia intelligere posset, sed quam vulgus etiam et idiotæ non possent intelligere ex versu decimo sexto et vigesimo tertio clarius est, quam ut sine summa impudentia negari possit. Ad idiotarum enim intelligentiam illum respicere, clamant illa: "Is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem: nam quid dicas nescit;" et "Si eodem convenerit tota Ecclesia et omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ vel infideles, nonne dicent vos furere." Ejusmodi igitur linguæ usum, quæ ab idiotis non intelligitur, ab Apostolo improbatum constat.

VIII. Octavum argumentum sumit ex illis versus decimi sexti modo citatis verbis. "Si benedixeris spiritu is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem, nam quid dicas nescit." Argumentum est ejusmodi. Eæ preces ad quas populus Amen debet dicere, in lingua vulgo cognita sunt proponendæ. At ad preces, quæ in sacris conventibus fiunt, populus Amen debet dicere. Ergo. 1. Utraque antecedentis propositio in Apostoli argumentatione necessario includitur. Contra vero Jacobus Ledesima in disputatione, quam de hac quæstione edidit, capite vigesimo septimo observandum monet, non legi in Apostolo idiotam, sed, qui supplet locum idiotæ: quod sane urgendum esse adversus hæreticos ait. Inde enim colligi, "jam tunc in Ecclesia alios fuisse idiotas, alium vero fuisse qui suppleret locum idiotæ, ministrum scilicet Ecclesiæ." Unde et eleganter sumitur, inquit in commentariis ad hunc locum Ambrosius Catharinus, "non convenire, ut mysteria et sacræ literæ communi idiomate in Ecclesia recitentur. Ministri enim jam eo tempore pro aliis respondebant." At hoc commentum ab ipso Bellarmino refellitur: quia "illa verba Apostoli *ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου*, non significant secundum usum Græcæ linguæ, qui gerit vices idiotæ, sed qui adimplet locum idiotæ, id est, qui sedet in locis idiotarum, qui occupat locum idiotarum, qui est ex idiotis, et idiota, ut exponunt Chrysostomus et Theophylactus hoc loco." Quibus et author commentariorum, qui Hieronymo tribuuntur, et Theodoretus et Œcumenius addi possunt. Sed et Sixti Senensis responsionem refellit Bellarminus, qui voluit,

"Apostolum[n] cum dicit, 'qui adimplet locum idiotæ,' intelligere eum qui est idiota: tamen idiotam vocare non eum, qui est revera idiota, sed qui officio est idiota, id est, qui respondet pro idiotis: sicut vocamus interdum hominem popularem eum, qui etsi patritius sit, tamen sequitur factionem populi." Adversus vero hanc æque ac superiorem explicationem objicit Bellarminus, tempore Apostolorum, (sicut etiam in Vetere Testamento fiebat[o]); "totum populum respondere solitum in divinis officiis, nec fuisse ullum pro laicis constitutum." Id quod ex Justino martyre in secunda pro Christianismo Apologia, et usu Ecclesiæ longo post tempore servato, tam in Oriente, quam in Occidente, confirmat.

[n] Sext. Senen. Bibliothec. Sanct. lib. 6. annot. 26.

[o] 1 Paralipom. cap. 16. ver. 36. Nehem. cap. 8. ver. 6.

XV.

AN FILIUS DEI SIT ΑΥΤΟΘΕΟΣ.

Hæc quæstio, de qua Bellarminus agit[a], explicatione potius quam disceptatione indiget. Sciendum est igitur, nomen αὐτοθεοῦ dupliciter accipi posse: vel οὐσιωδῶς essentialiter, ut notet, Filii essentiam sive Deitatem esse a seipsa, id est, ingenitam, increatam, ab alia non dependentem (nec enim aliud intelligendum per illud αὐτὸς, quam negatio alicujus alterius principii), vel ὑποστατικῶς personaliter, ut significet, filium habere hanc essentiam ingenitam et increatam, sive Deitatem a seipso: id est, a propria persona, quomodo Patrem eam habere constat.

Priore modo Christum αὐτόθεον esse affirmamus: alias ne Deum quidem futurum, nec vere Jehovæ nomen habiturum, quandoquidem ex eo consequens sit, fatente Bellarmino, "filium non habere essentiam derivatam ab alia essentia, sed habere illam unam essentiam, a qua pendent omnes essentiæ." Atque hoc sensu Filium αὐτόθεον esse defendit Calvinus contra perfidiam Valentini Gentilis; qui in Prothesibus suis asseruit solum Patrem habere essentiam vere divinam et ingenitam, ideoque solum αὐτόθεον agnoscendum; Filium vero sic esse essentiatum (ut ille loquitur) ut aliam habuerit substantiam productam a Patre, quæ suo tantum modulo Deitatis plenitudinem caperet. Similiter etiam adversus errorem Joachimi Abbatis Florensis, qui contra Petrum Lombardum docuit; nullam esse essentiam, substantiam, aut naturam, quæ sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus; sed hos tres unam esse essentiam, substantiam et naturam, unitate quadam collectiva et similitudinaria, quem-

[a] Bellarmin. de Christo. lib. 2. cap. 19.

admodum dicuntur multi homines, unus populus; et multi Fideles una Ecclesia; (atque ita Deitatem quiddam aggregativum ex tribus illis personis constituit; et essentiam divinam generare et generari, spirare et spirari sensit) Innocentius III. in Concilio Lateranensi cum Petro Lombardo[b] profitetur; "Quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus: et quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina; quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita nec procedens; sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura." Quare nec Richardi Victorini[c] sententia ab orthodoxis admittenda est; qui licet (aliter quam Joachimus) crediderit, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum absolute unam essentiam, vereque et realiter unam naturam esse: "tamen substantiam genuisse substantiam defendit; sic ut nihil aliud sit Patris persona, quam substantia ingenita, nihil aliud Filii persona, quam substantia genita." Non est, inquam, admittenda hæc Theologia: quantumvis ab authore specioso Patrum et paternarum Traditionum titulo, nobis venditata. Sic enim ille, "Multi[d] temporibus nostris surrexere, qui non audent hoc dicere, quin potius quod multo periculosius est, contra sanctorum Patrum authoritatem, et tot attestationes paternarum traditionum audent negare, et modis omnibus conantur refellere. Nullo modo concedunt, quod substantia gignat substantiam. Pertinaciter negant, quod omnes sancti affirmant: ad id quod ipsi dicunt, authoritatem invenire non possunt." At certe Patres qui dixerunt substantiam Filii esse genitam; vel locuti sunt improprie, pro communicatam, per generationem scilicet communicatam, non ut in Spiritu Sancto per spirationem, vel substan-

[b] Senten. lib. 1. distinct. 4. et 5.

[c] Vide tamen Lucæ Waldingi annales Minorum, tom. 2. pag. 688, 689. ann. 1297. §. 41. et Petri Halloix Notationes ad cap. 5. Vitæ 5. Hierothei tom. 1. Vitar. Sanctor. Oriental. pag. 632, 633.

[d] Victorin. de Trin. lib. 6. cap. 22.

tiam pro persona acceperunt; quemadmodum in Calvini defensione notavit[f] vir clarissimus, et in his causis, si quis alius, exercitatissimus, Hieronymus Zanchius, qui etiam libro quinto de tribus Elohim, capite octavo, commodum sensum affingere nititur Pseud-Ignatii sententiæ in epistola ad Magnesianos (qua Filius dicitur *ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητὴ*): addens, apud Theodoretum quoque, Patres Concilii Nicæni passos fuisse dici, essentiam filii fuisse genitam. Verum non animadvertit vir doctissimus ista non ex Concilii sententia vel permissione esse posita; sed ex Eusebii semi-Arriana, et ad Arrianos ibi scribentis epistola esse desumpta. Cujus vel eo nomine hic mentionem faciendam esse duxi, quod ei hunc ipsum Joachimi Abbatis de Essentia generante errorem, cujus ille strenuus fuit oppugnator, summa impudentia impingat Gregorius Valentianus[g], Jesuita. Porro in divinis essentiam nec generare nec generari, constans est scholasticorum omnium[h] sententia: Thomæ Aquinatis, Johannis Scoti, Gulielmi Occami, Richardi Mediovillani, Ægidii Romani, Alberti Magni, Bonaventuræ, Alexandri Durandi, Gabrielis Biel, Dionysii Carthusiani, Claudii Spinæi, etc: et hodie quoque Jesuitarum, Valentiani (loco notato), Bellarmini[i], Ignatii Armandi[k], Francisci Riberæ[l], et reliquorum. Quo major est inscitia Matthæi Kellisoni, pontificiæ theologiæ apud Duacenses Professoris; qui in opere quod adversus novam (quam falso appellat) religionem anno 1605, lingua Anglicana edidit; Calvinum et Whitakerum blasphemiæ insimulare non est veritus, quod essentiam Filii non magis generatam existimarint, quam essentiam Patris. Sed præstat audire rationes belli illius theologi. "An[m] non Filii essentia est generata?" inquit ille, "tum non est Filius genitus de Patris substantia; tum non est consubstantialis Patri, sed potius alterius naturæ, et consequenter vel creatura vel alius Deus. Concedunt Theologi, essentiam et Deitatem absolute sine additione, non dici generatam, quia tum in Deo Patre quo-

[f] Zanchii. Epist. lib. 1. pag. 51.
[g] De Trin. lib. 3. cap. 1.
[h] Senten. lib. 1. distinct. 5.
[i] De Christ. lib. 2. cap. 7.
[k] In Epist. ad Dan. Chamierum.
[l] In Epist. ad Hebr. cap. 1. §. 11.
[m] Kellison. lib. 3. cap. 1.

que generaretur: sed tamen affirmant, Deum Filium esse Deum de Deo et a Patre genitum, et per æternam generationem recepisse sine omni imperfectione essentiam suam a Patre; et consequenter essentiam esse generatam, non absolute, sed in Filio: alias non esset Filius, nec Patri foret consubstantialis."

Hæc est præclari illius novæ religionis censoris nova matæologia: cui breviter respondendum, libenter quidem concedere theologos illa omnia; Deum Filium esse Deum de Deo et a Patre genitum, et per æternam generationem recepisse sine omni imperfectione essentiam suam a Patre: sed negare tamen inde esse consequens, ut essentia generata sit in Filio. Nam certe ineptissimæ sunt istæ Kellisoni consequentiæ: "Si Filii essentia non est generata: tum Filius non est filius;" tum "non est genitus de Patris substantia;" tam "non est consubstantialis Patri, sed potius alterius naturæ, ideoque vel creatura vel alius Deus." Imo vero, si essentia Filii fuisset Patris filia, requireretur necessario ut Filii essentia esset generata: sed ut Filius Patris sit Filius, sufficit ut persona Filii generetur, non essentia. Qua de re consulat Kellisonus Valentianum[n]. Item, si Filius est genitus de Patris substantia, non substantia generatur, sed Filius de substantia, in quantum scilicet essentia Patris, Filio per generationem communicata, in eo subsistit: quemadmodum orthodoxe explicat Thomas in prima parte Summæ[o]. Denique ex eo quod essentia Filii sit ingenita, consequens esse, ut "Filius non sit consubstantialis Patri, sed potius alterius naturæ, nempe vel creatura, vel alius Deus:" non tam impudentis hominis est assertio, quam amentis et plane insanientis. Attendat enim iste paulisper, cogitationemque sobrii hominis ad punctum temporis suscipiat: intelliget ex generatione essentiæ Filii, necessario sequi, ut Patris et Filii substantia non sit eadem, et consequenter ut Filius sit vel creatura, vel alius Deus. "Nam[p] si essentia gignit et gignitur, ergo duæ sunt essentiæ; nec enim intelligi potest unum et idem a seipso produci:" quemadmodum contra Wigandum recte notavit Bellarminus. Ideoque recte argu-

[n] De Trin. lib. 1. cap. 27. [o] Quæst. 41. antec. 3. ad 2.
[p] Bellarmin. de Christo. lib. 2. cap. 7.

mentatur Thomas " omne[q] quod generatur sive per se, sive per accidens, oportet quod sit diversum in generante et genito; quia nihil generat se, et quia divina substantia sive essentia eadem est in Patre generante, et Filio genito, ideo nec per se, nec per accidens generatur." Semperque immota manebit illa ejusdem in eodem loco conclusio. " Omne quod generatur, habet principium de quo sit: sed essentia non habet principium de quo sit, ergo non generatur." Atque hoc ipso sensu Filium *αὐτόθεον* esse defendimus, essentialiter sumpto vocabulo: sic ut intelligamus, essentiam non habere principium de quo sit. Nec enim volumus esse eam a seipsa, ut a principio aliquo, cum nihil a seipso produci possit[r]: sed a productione vel generatione divinæ essentiæ omne principium simpliciter excludimus: et essentiam, quæ aliunde ductum habet principium, Deum esse posse constanter negamus. Qua ratione negavit Basilius Filium, qua[s] Deum, per Patrem vivere. " Εἰ[t] *διὰ τὸν πατέρα ὁ υἱὸς ζῇ, δι' ἕτερον καὶ οὐ δι' ἑαυτὸν ζῇ· ὁ δὲ δι' ἕτερον ζῶν, αὐτοζωὴ εἶναι οὐ δύναται.*" Filium *αὐτοζωὴν* esse asseruit. " Πᾶν[u] *γὰρ τὸ δι' ἕτερον ζῶν αὐτοζωὴ εἶναι οὐ δύναται. ὡς οὐδὲ τὸ ὑφ' ἑτέρου θερμανθὲν, αὐτοθερμότης εἶναι· ὁ δὲ Χριστὸς καὶ Θεὸς ἡμῶν εἴρηκεν, Εγὼ εἰμὶ ἡ ζωὴ.* Quicquid aliunde vitam habet, per seipsum vivere, quemadmodum et quod aliunde incaluit, ex seipso callidum esse nequit. Christus vero ac Deus noster dixit: ' Ego sum vita." Similiter et Marius Victorinus Afer libro tertio adversus Arium eundem (rationem divinæ substantiæ) *αὐτόγονον* motum appellat et non

> *Αὐτὸς ἐγὼ, μεδέων τε πατὴρ ἐμὸς, ἓν γένος ἐσμὲν,*
> *Ἔμφυτον, αὐτόπρεμνον· ὅθεν φυτὰ μυρία κόσμου.*
>
> Ipse ergo, et regens pater meus, unum genus,
> Insitum per se radicatum: unde plantæ infinitæ mundi.

q Rom. Script. 2. in Sentent. lib. 1. quæst. 5. art. 2.

r Improprie locutus est Lactantius libro 1. Instit. cap. 7. dicens, quod Deus ante omnia ex seipso sit procreatus: ideoque ab Apolline *αὐτοφυὴς* a Sibylla *αὐτογενὴς* etc. nominetur.

s Aliud est, Deus de Deo; et qua Deus, de Deo, illud enim *qua* denotat abstractum, id est, Deitatem.

t Basil. adv. Eunom. lib. 4. op. tom. 1. pag. 290.

u Ibid. Epist. ad Cæsar. op. tom. 3. pag. 83.

Defendit ergo Calvinus Filium esse *αὐτόθεον*, eo sensu quo negavit Origenes[x] in Evangelium Johannis, cujus verba sobrie accipienda, recte ibi in margine annotatum est: alio scilicet sensu, quam quo ab eodem Origene *αὐτοαλήθεια*[y], *αὐτοσοφία* et *αὐτουιὸς*[z], usurpatur.

x Comm. in Evang. Johan. tom. 4. pag. 50.

y Origen. in Evangel. Johan. tom. 4. pag. 107.

z Ibid. pag. 449.

XVI.

ANIMAM CHRISTI NON SOLUM PER ΣΥΜΠΑΘΕΙΑΝ CUM CORPORE SED ETIAM PROPRIE ET IMMEDIATE PERPESSIONES SUSTINUISSE[a].

I. Qui maledicto legis se subjecit, spiritualibus tormentis fuit obnoxius. In his enim præcipuum pondus maledicti legis est positum. At Christus maledicto legis se subjecit. "Christus[b] nos redemit a maledicto legis; γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, dum pro nobis factus est maledictum" vel execratio.

II. Ea naturæ pars, quæ in nobis peccatum principaliter et proprie commisit, in Christo, seipsum pro nobis ἀντίλυτρον[c] dante, principaliter et proprie fuit punienda. Id enim postulat lex justitiæ: cui per passiones suas Christus satisfactum voluit. At anima rationalis in nobis principaliter et proprie peccatum commisit: Ergo anima Christi nostro loco Patri percutiendum se sistentis, principaliter et proprie fuit punienda.

III. Omne genus pœnarum naturam nostram peccato corruptam consequentium, Christus pertulit. "Nam[d] ipse dolore affectus est a defectionibus nostris, attritus ab iniquitatibus nostris: castigatio pacis nostræ imposita est ei, et vibicibus ejus facta est nobis curatio. Omnes nos, ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus; et Jehova fecit ut incurreret in eum pœna omnium nostrum." At sensus iræ Dei in anima, præcipua pœna est naturam nostram corruptam consequens: Ergo, sensum iræ Dei in anima Christus pertulit. De pœnis universam naturam corruptam consequentibus loquitur propositio: ne quis de

[a] Contr. Bellarmin. De Christ. lib. 4. cap. 8.
[b] Epist. ad Gal. cap. 3. ver. 13.
[c] I Epist. ad Tim. cap. 2. ver. 6.
[d] Esai. cap. 53. ver. 5, 6.

passionibus singularibus, seu personalibus excipiat, quæ non omnibus hominibus communiter, sed quibusdam personis particulariter accidunt; ut sunt lepra, febris, podagra, etc. quas Christum suscipere non fuit necesse. De toto item genere pœnarum loquitur, et (ut ita dicam) substantia; non de accidentibus et circumstantiis: ne quis quod Bellarminus facit, contra objiciat, ex hac propositione deduci similiter potuisse; debuisse Dominum æterno tempore manere in inferno, et infinitum prope numerum pœnarum perpeti. Cum enim propositio nostra de ipsis pœnis agat, de pœnarum diuturnitate et numero subsumit Bellarminus, fallens elencho *μεταβάσεως εἰς ἄλλο γένος*. Neque enim illa temporis æternitas est de essentia pœnarum infernalium, quemadmodum agnoscunt tum Pontificii omnes patroni purgatorii, tum speciatim Scotus, cujus verba sunt ista: "Quod[e] pœna æterna infligitur, non est, quia æternitas sit per se de ratione pœnæ in quantum æqualiter punitiva; sed accidit propter æternitatem personæ punitæ, et culpæ remanentis." Et in Reportatis ad eandem distinctionem et quæstionem: "quia persona manet perpetuo et culpa semper continuatur; per accidens est, quod æternaliter punitur." Similiter ex nostris Lambertus Danæus, Bellarmino hic respondens: "Mors sive prima, sive secunda, (quæ est summa afflictio corporis vel animæ) per se, et qua mors, debetur ut pœna peccato[f]. Mors autem ea æterna fit et evadit, quia mediatorem et satisfactorem non habet, qui in eam pœnam et mortem incidit. Quoniam igitur qui hoc apud Deum debitum peccando contraxit, Deo creditori suo satisfacere non potest, perpetuo debitor manet apud Deum; in ea quoque pœna perpetuo manet, quia non satisfacit; velut qui propter suum debitum ex pacto in carceres conjectus est, donec satisfecerit, ex carceribus non egreditur, sed in iis sæpe moritur. Qui vero satisfacit, non item. Sic pii, qui Christum Mediatorem, et pro se satisfactorem apud Deum habent, in iis pœnis non manent, sed ab iis Christi beneficio liberantur[g]. Ergo

[e] Scot. in 4 lib. sentent. distinct. 46. quæst. 4. art. 4.

[f] Genes. cap. 2. ver. 17.

[g] Augustin. de Civ. Dei, lib. 13. cap. 23. op. tom. 7. pag. 344.

mors quæ pœna est peccati, fit ex consequente sempiterna; quia solvi hæc pœna a debitore, id est, peccatore non potest." Hæc ille. Non igitur hic cogimur ad dignitatem personæ mediatoris confugere: quæ si cum præcipua pœna peccatis debita dispensare potest, non video cur cum aliis pœnis similiter dispensare non potuisset, ut nec corpoream mortem Servatori nostro subire fuisset necesse. Nam infinitam vim meriti ex personæ dignitate provenientem etiam ad passiones illas, quas ante mortem sustinuit Dominus, spectasse certum est: nec putandum plus eum sustinere voluisse, quam ad opus redemptionis perficiendum erat necesse. Adde quod impossibile erat teneri[h] Christum a morte: et ut maxime possibile foret, tantum abest ut opus redemptionis a Christo susceptum promoveret, ut evacuaret prorsus et funditus everteret. Si enim Christus morte superata non esset excitatus; "inanis[i] foret fides nostra, adhuc essemus in peccatis nostris." Ut ista Bellarminus inter se tanquam paria iniquissime composuerit.

IV. Christus ejusmodi tentationes, peccato excepto, expertus est, quibus hac in vita maxime anguntur electi. At diris animi cruciatibus in hac vita maxime anguntur electi. Ergo. Probatur major ex Epistola ad Hebræos, "non[k] enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque tamen peccato:" et "'Εν[l] ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. Nam ex eo quod perpessus fuit quum tentatus est, potest et iis qui tentantur succurrere." Certe si Christus nunquam pertulisset hujusmodi animæ cruciatus, summum consolationis argumentum ab Apostolo adhibitum filiis Dei esset ereptum in summo tentationis genere, cui minime omnium sunt ferendo, et in quo maxime Christi auxilium desiderant. Spiritus enim viri alias sustentat ægritudines: "spiritum[m] autem fractum quis posset sustinere."

V. Esaias de Christo[n] ויהוה חפץ דכאו החלי אם־תשים אשם נפשו Jehova volens contundere (vel conterere) eum,

[h] Act. Apost. cap. 2. ver. 24.
[i] 1 Epist. ad Cor. cap. 15. ver. 17.
[k] Epist. ad Heb. cap. 4. ver. 15.
[l] Ibid. cap. 2. ver. 18.
[m] Prov. cap. 18. ver. 14.
[n] Esai. cap. 53. ver. 10.

ægrotare fecit (vel morbo affecit:) quandoquidem posuit reatum animam suam. Quæ postrema clausula aliis verbis ab Apostolo expressa est, "τὸν[o] μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησε: eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit."

VI. Christus ante passionem cœpit "ἐκθαμβεῖσθαι[p] καὶ ἀδημονεῖν, expavescere et gravissime angi." Et dixit discipulis, "Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem."

VII. Christus "procidit[q] in faciem suam, precans et dicens: Pater mi, si possibile est, abeat a me poculum istud: verumtamen non ut ego volo, sed ut tu."

VIII. Apparuit Christo "Angelus[r] e cœlo corroborans eum; et ipse constitutus in agonia, intentius orabat: erat autem sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram."

IX. "In[s] diebus carnis suæ deprecationibus et supplicationibus oblatis cum clamore valido et lacrymis apud eum qui poterat ipsum servare a morte, exauditus est ex eo metu; εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας," id est, exauditis precibus liberatus est ex metu. Vide Bezæ annotationes in locum.

X. In cruce "exclamavit[t] Jesus voce magna, dicens, Eli, Eli, lama sabachthani? hoc est, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti."

Objectio prima Bellarmini. "Scripturæ totam salutem nostram tribuunt sanguini et morti corporali ipsius Christi, et post mortem corporalem nullam ulterius pœnam agnoscunt." Respondetur: Sanguini et morti Christi salutem nostram tribuunt Scripturæ: sed nusquam sanguini et morti solum: sic enim ad salutem non conduceret obedientia Christi et passiones, quas in vita pertulit: imo nec resurrectio, in qua vel maxime justificationis nostræ ratio[u]

[o] 1 Epist. ad Cor. cap. 5. ver. 21.
[p] Marc. cap. 14. ver. 33, 34.
[q] Matt. cap. 26. ver. 39.
[r] Luc. cap. 22. ver. 43, 44.
[s] Epist. ad Heb. cap. 5. ver. 7.
[t] Matt. cap. 27. ver. 46. Marc. cap. 15. ver. 34.
[u] Epist. ad Rom. cap. 4. ver. 25. 1 Epist. ad Cor. cap. 15. ver. 17.

sita est. Post mortem corporalem, Christi animam pœnas aliquas pertulisse nos non dicimus: ante vero pertulisse, ex Scripturis sufficienter probavimus.

Objectio secunda, ut et quinta et sexta falso nititur fundamento. Nec enim nostrorum sententia est, "ab oratione illa in horto, usque ad resurrectionem Christum fuisse in inferno, aut non fuisse securum de sua salute; aut emisisse verba desperationis:" aut denique esse in inferno, nihil esse aliud quam timere Deum iratum. Larvas suas hic oppugnat Jesuita.

Objectio tertia. "Si redempti essemus per infernales pœnas Christi; 1. deberent figuræ præcessisse, deberet etiam aliquod sacramentum extare in memoriam tanti beneficii, ut est Eucharistia in memoriam passionis." Respondetur: Holocausta, quæ in lege pro peccatis offerebantur et tota cremabantur, passionum Christi universarum figuræ erant et typi. Speciatim vero "effusio[x] sanguinis juvenci versus fundamentum altaris holocausti," insigniter adumbrabat "profusionem[y] animæ Christi in mortem." Nam "anima[z] cujusque carnis in sanguine est, inquit Deus, ego vero destinavi eum vobis in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris: nam sanguis is est qui pro anima expiationem facit." Eucharistia quoque cum contineat memoriam passionis (ut recte cum Apostolo[a] affirmat Bellarminus) cujus partem non minimam in animæ cruciatibus positam fuisse defendimus, horum commemorationem in Eucharistia non contineri, quo tandem argumento probare poterit Jesuita. Si enim in priore sacræ cœnæ parte, sub ratione "corporis[b] pro nobis fracti," universæ illæ fractiones, quibus Pater conterere voluit Filium "animam[c] suam pro peccati reatu ponentem," non sint comprehensæ: certe non video, cur in sacro calice, ubi sanguis "pro[d] multis effusus in remissionem peccatorum" esse perhibetur, repræsentatam dicere non possimus illam effusionem animæ

[x] Levit. cap. 4. ver. 7. 18. 25. 30. 34.
[y] Esai. cap. 53. ver. 12.
[z] Levit. cap. 17. ver. 11.
[a] 1 Epist. ad Cor. cap. 11. ver. 26.
[b] 1 Epist. ad Cor. cap. 11. ver. 24.
[c] Esai. cap. 53. ver. 10.
[d] Matt. cap. 26. ver. 28.

Servatoris nostri, qui venit, ut "daret[e] animam suam redemptionis pretium pro multis." Præsertim si (quod a veteribus factum et illa corporis traditi et effusi sanguinis distinctio subindicare videtur) sacramentum hoc analogicum cum Veteris Testamenti sacrificiis conferamus. Ita in Ambrosianis commentariis, ad caput undecimum prioris ad Corinthios Epistolæ: "Caro Salvatoris (inquit author) pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est; sicut prius præfiguratum fuerat a Moyse. Sic enim ait: caro pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima: ideoque non manducandum sanguinem." Similiter etiam alii ejusdem capitis undecimi interpretes. Walafridus Strabo in Glossa ordinaria: "Caro Christi pro salute corporis, sanguis pro anima nostra, ideoque non manducandum prædixit lex sanguinem." Et post: "Sub duabus speciebus ideo dedit, ut ostenderetur Christus totam humanam naturam, id est, corpus et animam, assumpsisse, ut utramque retineret. Panis enim ad corpus refertur, vinum ad animam, quia vinum sanguinem operatur, in quo sedes animæ a physicis esse dicitur. Et ideo sub duabus speciebus celebratur, ut animæ et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis significetur." Haymo, vel Remigius Lugdunensis potius: "Hoc quoque sciendum est, quia caro nostri Salvatoris pro salute nostri corporis, sanguis vero pro anima nostra fusus est, quia sedes animæ in sanguine consistit: in cujus memoriam corpus et sanguinem illius sumimus, quoniam ipse, ut totum hominem salvum faceret et redimeret, sanguinem suum fundi permisit." Anselmus Cantuariensis, vel Herveus Brito potius: "Unde et ad tuitionem corporis et animæ nostræ sacramenta ejus percipimus. Quia caro ejus pro salute nostri corporis est oblata; sanguis vero pro anima nostra effusus est: ut utraque nostri substantia hæreditatem vitæ perennis accipere posset." Atque huc illa in Liturgia nostra Anglicana, et Romana etiam, respicere videtur oratio, qua percepta sacra cœna petimus, "ut nostra corpora, peccatis inquinata, per corpus servatoris nostri munda fiant, et animæ nostræ

[e] Marc. cap. 10. ver. 45.

laventur pretioso illius sanguine." Quomodo etiam a Gregorio Nazianzeno[f] a Jobio[g] monacho libro tertio de Verbo incarnato citato dictum est: "*σάρκα γὰρ φερεῖ διὰ τὴν ἐμὴν σάρκα, καὶ ψυχῇ νοερᾷ διὰ τὴν ἐμὴν ψυχὴν μίγνυται, τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἀνακαθαίρων.* Carnem gestat propter meam carnem, et anima intelligente propter meam animam miscetur, simili simile repurgans." "*Ἵνα τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἰάτεται (ἰάσηται) τῇ ψυχῇ τὴν ψυχὴν, τῇ σαρκὶ τὴν σάρκα,* ut simile simili curaret, anima animam, carne carnem," quemadmodum a Dorotheo abbate sententia ejus citatur, Doctrina prima. Atque hæc de prima parte argumentationis Bellarminianæ: ad secundam respondemus, Ecclesiam cum celebrat memoriam passionis Domini, hujus quoque beneficii celebrare memoriam; quippe quæ passionis illius pars sit acerbissima. Quod vero ad tertiam attinet, ineptum esse dicimus, ut a pictorum officinis argumenta petantur theologica. Quanquam a doctore mendacii, quid aliud fuit expectandum, quam ut imagines consuleret, "mendaciorum[h] magistras. Adde quod pictores si maxime intellexissent mysteria hæc Dominicæ passionis, quæ ipsis scholæ pontificiæ theologis minus fuerunt perspecta: utcunque corporeos cruciatus delineare possent spirituales, tamen animæ passiones pencillo depingere nullo modo potuissent. Ne quidem si ipsum Bellarminum in consilium adhibuissent: qui graviter scilicet monet "debuisse depingi Christum in igne gehennæ, in medio damnatorum, ut depingi solet in cruce inter duos latrones." Nam ita sane figmentum Jesuitæ belle depinxissent; orthodoxorum sententiam, quam ille depictam voluit, nullo modo expressissent.

[f] Hom. in Natal. Christ. op. tom. 1. pag. 671.
[g] Lib. 3. de Verb. incarn. in Biblioth. Photii.
[h] Habac. cap. 2. ver. 18.

XVII.

CHRISTI ANIMAM NON DESCENDISSE AD SUBTERRANEUM, QUEM LIMBUM PATRUM APPELLANT PONTIFICII.

I. FUNDAMENTUM sententiæ pontificiæ falsum est; a Bellarmino propositum, "Animas[a] ante Christi mortem non fuisse in cœlo, sed in inferno subterraneo: et proinde Christum, qui ad locum animarum descendit, in infernum subterraneum descendisse." At in propria hac de re disputatione ostensum est, animas ante Christi mortem fuisse in cœlo, non in inferno subterraneo. Christus igitur, quum ad locum animarum concesserit (ut utraque pars agnoscit, et ratio postulat) non in inferno fuit subterraneo usque ad resurrectionem, sed in ipso cœlo ubi membra ipsius requiescunt usque ad resurrectionem suam.

II. Qui relicto mundo abiit ad Patrem, ad cœlum abiit, non ad infernum. At Christus relicto mundo, abiit ad Patrem: ut constat ex verbis illius extremis, cum quibus et spiritum reddidisse dicitur; "Pater[b] in manus tuas commendo spiritum meum:" collatis cum capite decimo tertio Evangelii secundum Johannem, ubi Jesus cognovisse dicitur, horam suam advenisse, qua "ex hoc mundo proficisci eum oportebat ad Patrem," et "Eo[c] ad Patrem," et nunc[d] abeo ad eum qui misit me." Præcipue vero cum illis Domini verbis "paululum[e] et non videbitis me; rursus paululum, et videbitis me: quia abeo ad Patrem." De quibus cum hæsitarent discipuli, priorem partem ita expositam ab ipso Domino legimus: "Vos[f] jam dolorem habetis, rursus vero videbo vos, et gaudebit cor vestrum:" posteriorem ita:

[a] Bellarmin. de Christ. lib. 4. cap. 9.
[b] Luc. cap. 23. ver. 46.
[c] Johan. cap. 14. ver. 28.
[d] Ibid. cap. 16. ver. 5.
[e] Johan. cap. 16. ver. 16.
[f] Ibid. cap. 16. ver. 22.

"Exivi[g] a Patre, et veni in hunc mundum: rursus relinquo mundum, et proficiscor ad Patrem" ex quibus intelligimus, ab eo tempore quo mundum reliquit, usque ad id tempus quo discipulis paulo post restitutus est, Christum fuisse in regno Patris, non in inferno subterraneo.

III. Eo tempore, quo a discipulis desideratus fuit Christus, in eo loco versatus est, quo postea secuturus erat eum Petrus, cum reliquis. At ad cœlum, non ad Limbum aliquem Patrum secuturus erat eum postea Petrus, et reliqui discipuli. Ergo. Major probatur ex Evangelio secundum Johannem, ubi Christus ait discipulis, "adhuc paululum sum vobiscum; quæretis me, et non invenietis me:" et ubi Petro respondet: "Quo ego abeo, non potes me nunc sequi; postea vero sequeris me." Quibus addatur et illud, "Et[h] si profectus fuero, ut parem vobis locum, rursus veniam, et recipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, etiam vos sitis."

IV. Quod significatum fuit per typum Summi Sacerdotis cum sanguine per velum in Sanctum Sanctorum ingredientis; id Christi anima ex corpore excedente completum est, ut colligitur tum ex illo Christi jam jam morituri pronuntiato; "consummatum[i] est:" tum ex conjuncto signo, scissura ipsius veli, quod in duas fissum est partes, a summo usque ad imum. At per typum Summi Sacerdotis cum sanguine in Sanctum Sanctorum ingredientis, significata est Domini nostri Jesu Christi, post sacrificium in cruce peractum, in cœlum facta ingressio[k]: per velum, caro ipsius, nova illa et vivens in Sanctum Sanctorum via[l]: ergo Christus peracto in cruce sacrificio, per velum carnis suæ, in verum sanctuarium, id est, cœlum ingressus est.

V. Si Christi anima a cruce transiit ad paradisum, certe a cruce non transiit ad infernum. At Christi anima a cruce transiit ad paradisum. Ergo a cruce non transit ad infernum: nec triduo commorata est in inferno subterraneo; ut

[g] Johan. cap. 16. ver. 28.
[h] Ibid. cap. 14. ver. 3.
[i] Johan. cap. 19. ver. 30.
[k] Epist. ad Heb. cap. 9. ver. 8. 9. 11. 12. 14. 21. 26.
[l] Ibid. cap. 10. ver. 19, 20.

fingit Bellarminus[m]. Propositionem nemo sanus negaverit: nisi forte existimet, unam substantiam finitam, eodem simul tempore posse esse in locis maxime dissitis, ad quam sane insaniam adactus est Bellarminus[n]. Assumptio manifesta est, ex Lucæ capite vigesimo tertio, ubi Christus latroni in cruce clare pronuntiat: "Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso," id est, in cœlo, ut ex similis loci[o] collatione liquet; et Bellarminus agnoscit[p].

VI. Descensus Christi ad inferos, cujus Scriptura sacra meminit, quomodocunque sit intelligendus, pars est humiliationis Christi, non exaltationis: ut constat ex loco Psalmi decimi sexti hac in re citati[q], "Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe: Quia non derelinques animam meam in inferno (ita reddit vulgatus interpres) nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem." At commentitius ille descensus ad Tartara diripienda factus, quem defendunt Pontificii, ad exaltationem Christi spectat; non ad humiliationem. Ergo non est ille descensus, qui in sacra Scriptura fundamentum habet.

VII. Quemadmodum in alia quæstione contra nos pugnavit Fenardentius, ita in hac pugnamus nos adversus illum. Christus non tulit pœnas inferni, ait ille, quia non commemorant Evangelistæ, qui reliquas ejus omnes passiones recensent. Similiter disputamus et nos. In sacris Evangeliis, ubi passionis, mortis, sepulturæ et resurrectionis Christi, atque adeo Sanctorum simul cum Christo suscitatorum[r], particularis contexitur historia, hujus descensus animæ Christi ad infernum subterraneum, et eductionis Patrum e limbo nescio quo, nulla omnino fit mentio: quod fatetur etiam Andradius[s]. At incredibile est, longe minoris momenti circumstantias Evangeliographos consignare voluisse, rem vero tanti momenti (si quidem unquam facta fuisset) silentio prætermittere. Nec vero in Evangelica

m De Christ. lib. 4. cap. 12.
n Ibid. cap. 15. in fine.
o 2 Epist. ad Cor. cap. 12. ver. 2. 4.
p Controv. de Sanct. Beat. lib. 1. cap. 3.
q Act. Apost. cap. 2. ver. 26, 27.
r Matt. cap. 27. ver. 52, 53.
s Defen. Trident. lib. 2. pag. 290.

tantum historia, sed nec uspiam alibi in universo sacrarum literarum contextu, fictitiæ hujus narrationis ullum extat fundamentum. Non habetur ex sacra Scriptura, quod Christus descenderit ad inferos: dicit Johannes Scotus a Francisco Maironio in libro quarto Sententiarum citatus. Quanto igitur minus, inquit Picus Mirandulanus[t], dicere possumus, quod ex Scriptura habeatur certus et determinatus modus descensus Christi.

[t] Apolog. Quæst. 2.

XVIII.

RESPONDETUR AD LOCA SCRIPTURÆ A BELLARMINO[a] OBJECTA, PRO ANIMÆ CHRISTI DESCENSU AD INFERNUM SUBTERRANEUM.

I. "Contrivit[b] portas æreas, et vectes ferreos confregit." Sed hunc locum nihil convincere agnoscit ipse Bellarminus: "Nam ad literam," inquit, "certum est tractari de liberatione ab Ægypto:" et ut idem monet alibi[c], "convenit inter nos et adversarios, ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia." Adeoque symbolicam theologiam non esse argumentativam schola quoque docet. Ut nihil sit cur in hoc argumento refutando diutius immoremur.

II. "Penetrabo[d] omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino." Sed nec hoc loco nos convinci agnoscit quoque Bellarminus: tum quia librum hunc habeamus pro apocrypho (et jure merito, ut suo loco ostendimus) tum quia Latinæ editioni sententia hæc assuta est, nec in Græco Siracidæ textu (ne in Romana quidem editione) uspiam comparet.

III. "Sicut[e] fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ." Bellarminus affirmat hic "cor terræ non esse sepulchrum, sed infernum sepulchro multo profundiorem, ubi Christi anima vivens triduo commorata est." Id quod ex duabus circumstantiis contextus conatur evincere. 1. "Cor est in profundissimo loco animalis: sepulchrum autem est prope superficiem terræ, et sepulchrum videtur fuisse supra terram;

[a] Bellarmin. de Christo, lib. 4. cap. 12 et 13.
[b] Psalm. 107. ver. 16.
[c] De Verb. Dei, lib. 3. cap. 3.
[d] Ecclus. cap. 24. ver. 1, 5.
[e] Matt. cap. 12. ver. 40.

erat enim monimentum excisum in lapide supra terram extans." Respondetur: Nec usquequaque verum est cor esse in profundissimo loco animalis: et ut maxime esset, non responderet similitudo situi Limbi Patrum, quem non in centro terræ, sed in suprema inferni parte constitutum somniant Pontificii. Deinde, verum non est, locum, in quo Servatoris corpus sepultum jacuit, fuisse supra terram. Nam ipsum os sepulchri prope terræ superficiem fuisse positum, ex eo intelligitur, quod saxum grande ad illud dicitur advolutum[e], de quo revolvendo solicitæ fuerint mulieres[f]. Imam vero partem in qua requiescebat corpus, profundiorem fuisse, ex eo colligitur, quod Petrus, et alter discipulus, et Maria Magdalena introspecturi inclinasse[g] se, Petrus etiam et alter discipulus in monimentum introiisse dicuntur[h]. Denique esse in corde terræ, phrasi Hebraica, nihil aliud notat, quam esse intra terram, sive in medio, sive alibi, modo inter extrema. Quemadmodum congregatæ[i] dicuntur "abyssi in corde maris," "via[k] navis in corde maris." 2. "Sicut Jonas fuit vivus in ventre ceti, ita aliquid vivum debuit esse in corde terræ; at in sepulchro fuit corpus mortuum. Ergo." Respondetur: Negamus omnino hac in parte positam esse rationem similitudinis. De collatione viventis cum vivente nihil est in sacro textu: commenta, quæ de suo in textum infert Bellarminus, non est quod pro divinis oraculis habeamus.

IV. "Non[l] relinques animam meam in inferno." Respondetur: 1. Etiamsi proprio sensu acciperetur hic anima, ut opponitur corpori, non posset tamen necessario concludi, Christi animam ad subterraneum aliquem locum descendisse. Nec enim dicitur, non deseras animam meam בשאול ἐν ᾅδῃ, in inferno: sed לשאול, εἰς ᾅδην (ut reddiderunt Græci interpretes) vel εἰς ᾅδου (ut expressit Lucas[m],) sive locus, sive dolores, sive potestas, sive aliud aliquod nomen fuerit subintelligendum. Sic etiam clarissimus vir Francis-

[e] Matt. cap. 27. ver. 60.
[f] Marc. cap. 16. ver. 3, 4.
[g] Luc. cap. 24. ver. 12. Johan. cap. 20. ver. 5. 11.
[h] Johan. cap. 20. ver. 6. 8.
[i] Exod. cap. 15. ver. 8.
[k] Prov. cap. 30. ver. 19.
[l] Act. Apost. cap. 2. ver. 29.
[m] Act. Apost. cap. 2. ver. 27. 31.

cus Junius per metalepsim Hebraicam exponi potuisse censuit. "Deseres quidem animam meam eousque ut inferni dolores ac tentamenta experiatur, et cum eis colluctetur; sed tamen non dedes eam ut in infernum victa detrudatur: committes, non amittes, neque, ut ait Augustinus, animam meam inferis possidendam dabis." 2. Cum David hoc in loco de resurrectione Christi prophetaverit, Petro teste, quæ corpus respicit, non animam: verisimilima videtur, si non verissima, illa Bezæ expositio, quam tantopere exagitat Bellarminus (nesciens de quibus loquatur, nec de quibus affirmet) non relinques cadaver meum in sepulchro. Neque enim me movent, quæ Jesuita objicit de ψυχῆς et ᾅδου nominibus. Quæ de ψυχῆς vocabulo pluribus disputat Bellarminus, ad duo capita reduci possunt. 1. ψυχὴν animam solam significare, et nusquam accipi pro cadavere. 2. Etiamsi alibi ita acciperetur, hic tamen nullo modo posse: quia hic anima opponitur carni; cum dicitur: "Neque anima relicta est in inferno, neque caro vidit corruptionem." Sed quod ad primum attinet: agnoscit ipse Bellarminus, Hebraicam vocem נפש in plurimis Scripturæ locis, et animam et animal, atque etiam corpus significare: ita dicit Balaam: "moriatur[n] anima mea morte justorum." Et dicuntur omnes animæ[o] sexus fœminei ex præda Madian fuisse triginta duo millia. Porro anima humana, inquit Bellarminus, "nec mori potest, nec sexum habet. Proinde in illis locis anima non alteram partem hominis, sed totum hominem, aut certe ipsum corpus significat." His addit et alia duo loca, quæ proprius accedunt ad id de quo agimus: "non[p] interficiamus animam ejus:" ubi anima, inquit Bellarminus, nec pro anima proprie dicta, nec pro homine per tropum (nam repugnat pronomen ejus) sed pro ipsa carne proprie accipitur: et "cadaver[q] vocatur morticinium animæ hominis." Hucusque Bellarminus. Addimus vero nos (quod fide Jesuitica, et reclamante sine dubio conscientia, suppressit Bellarminus) non solum in præsenti loco, ex Psalmo decimo sexto, in Hebræo positum esse

[n] Numer. cap. 23. ver. 10.
[o] Ibid. cap. 31. ver. 35.
[p] Genes. cap. 37. ver. 21.
[q] Numer. cap. 19. ver. 13.

נפש, in Græco *ψυχὴν*: sed etiam in omnibus illis locis, in quibus agnoscit נפש non pro anima, sed vel pro toto animali, vel etiam pro corpore usurpari. Sic enim in Græca editione legimus. *Ἀποθάνοι*[r] *ἡ ψυχή μου ἐν ψυχαῖς δικαίων* et *ψυχαὶ*[s] *ἄνθρωπων ἀπὸ τῶν γυναικῶν, αἵ οὐκ ἔγνωσαν κοίτην ἀνδρὸς, πᾶσαι ψυχαὶ, δύο καὶ τριάκοντα χιλιάδες*, et *οὐ*[t] *πατάξωμεν αὐτὸν εἰς ψυχήν*, et quod ad loci præsentis illustrationem facit maxime, *ὁ*[u] *ἁπτόμενος τοῦ τεθνηκότος πάσης ψυχῆς ἀνθρώπου, ἀκάθαρτος ἔσται ἑπτὰ ἡμέρας*, et *πᾶς*[x] *ὁ ἁπτόμενος τοῦ τεθνηκότος ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου*, ubi expresse *ψυχὴ* ponitur pro cadavere: ut et *ἐν*[y] *ταῖς ψυχαῖς οὐ μιανθήσονται*; et *ἐπὶ πάσῃ ψυχῇ τετελευτηκυίᾳ οὐκ εἰσελεύσεται*, et alibi[z]. Frustra igitur persuadere nobis voluit Bellarminus, utcunque vocabulum נפש non solum pro anima, sed etiam pro toto animali, atque adeo ipso corpore usurpari consueverit; *ψύχης* tamen vocabulum eo modo accipi non potuisse. Augustinus in epistola ad Optatum: "animæ[a] nomine corpus solum posse significari, modo quodam locutionis ostenditur, quo significatur per id quod continetur illud quod continet:" et post, "Sicut appellamus Ecclesiam, basilicam, qua continetur populus qui vere appellatur Ecclesia; ut nomine Ecclesiæ, id est, populi qui continetur, significemus locum qui continet: ita quod animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt: sic enim melius accipitur illud etiam, quod lex inquinari dicit eum qui intraverit super animam mortuam, hoc est, super defuncti cadaver: ut nomine animæ mortuæ mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat; quia et absente populo, id est, Ecclesia, locus tamen ille nihilominus Ecclesia nuncupatur."

[r] Numer. cap. 23. ver. 10.
[s] Ibid. cap. 31. ver. 35.
[t] Genes. cap. 37. ver. 21.
[u] Numer. cap. 19. ver. 11.
[x] Ibid. ver. 13.
[y] Levit. cap. 21. ver. 1.

[z] Esai. cap. 46. ver. 2. de idolis dicitur, "Anima eorum in captivitatem ibit." Ubi *καταχρηστικῶς* (inquit in eum locum Hieronymus, commentariorum, lib. 13.) vocantur anima, membra earum rerum, quæ absque sensu et membris sunt: ut nihil dicam de durissima illa *καταχρήσει*, qua *ψυχὴ* in LXX. ponitur pro מות, Num. cap. 23. ver. 10. et Ezech. cap. 44. ver. 25. ut mors in vulgato Latino interpr. Levit. cap. 21. ver. 1. pro Hebr נפש, Græco *ψυχὴ*.

[a] Augustin. Epist. op. tom. 2 pag. 705.

"Ne[b] dicas in corde tuo; quis descendet in abyssum, id est, Christum a mortuis revocare." Hinc colligit Bellarminus Christum post mortem fuisse in abysso, id est ut ille exponit, in "profundissimis terræ partibus." Respondetur: 1. Nec abyssus hoc in loco profundissimas terræ partes significat: neque textus omnino dicit Christum fuisse in abysso. Certum est enim hic Apostolum ad verba Mosis[c] respicere: et abyssum pro eo ponere quod apud Prophetam est ים, id est, mare, ita enim et vulgatus interpres locum reddidit: neque trans mare positum est, ut causeris et dicas, quis e nobis poterit mare transfretare, et illud ad nos usque deferre, et Græci: *οὐδὲ πέραν τῆς θαλάσσης ἐστὶ, λέγων: τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης, καὶ λάβῃ ἡμῖν αὐτήν.* Quod ab Apostolo ad Christi resurrectionem sic accommodatum est: "*τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον, τουτέστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.* Quis descendet in abyssum, nempe, ut Christum reducat a mortuis." Vult Moses, non ita abstrusum esse mandatum Dei, et a cognitione nostra remotum, ut illud transnavigato mari in locis peregrinis quærere sit necesse. Vult Paulus, non jam in dubium revocandam esse Domini resurrectionem, ut ejus rei certam intelligentiam ex locis transmarinis et maxime dissitis optare oporteat: sed simpliciter credendum esse, quod Christum Deus suscitaverit a mortuis atque ut ex Mosis verbis dedui non potest mandatum Dei fuisse in mari: ita nec ex Pauli verbis, fuisse Christum in abysso[d]. 2. Si id voluit Paulus innuere ex abysso revocatum esse Christum: quomodo Syrus interpres accepisse videtur, quum ܠܬܗܘܡܐ ܕܫܝܘܠ reddidit, id est, *τὴν ἄβυσσον τοῦ ᾅδου*, quæ illi eadem est cum ܒܝܬ ܡܝܬܐ domo mortuorum, in fine versus: instituti ratio postulat, ut sepulchrum potius,

[b] Epist. ad Rom. cap. 10. ver. 7. [c] Deuteron. cap. 30. ver. 13.

[d] Chrysostomus (homil. 17. in Rom. 10.) locum ita explicat: *οὐ μακρὰν ὁδὸν βαδίσαντας οὐδὲ πέλαγος πλεύσαντας, οὐδὲ ὄρη παρελθόντας οὕτως δεῖ σωθῆναι, ἀλλ' εἰ μηδὲ αὐτὸν βουληθῇς ὑπερβῆναι τὴν οὐδὸν, ἔξεστί σοι σωθῆναι· ἐν γὰρ τῷ στωματί σου καὶ ἐν τῇ καρδία ἐστὶ της σωτηρίας ἡ ἀφορμή.* Non opus est, ut aut longo immenso itinere, aut pernavigato mari aut superatis montibus salveris: sed si ipsum etiam limen transgredi nolueris, licet tibi domi quoque sedenti salutem consequi· in ore namque tuo, et in corde tuo salutis est occasio.

quam infernum subterraneum eo nomine intellectum voluerit; quippe quum de morte et suscitatione a mortuis (ut ipse expresse indicat) quæ ad corpus, non de descensu ad infernum et ex eo revocatione, quæ ad animam refertur, agere illi fuerit propositum. Atque ut Hierosolymitanus paraphrastes ad Jonam in ventre ceti Mosis verba accommodavit, loci sententia sic expressa, ולא מעבר ימא רבא היא אוריתא למימר אלוי הוה לן חד כיונה נביא דיחות לעומקי ימא רבא וייתי יתה לן "Non est trans mare magnum lex ista, ut dicatur, utinam nobis esset unus Jonæ Prophetæ similis, qui descenderet in profundum maris magni, et efferret eam nobis," ita Paulus ad Christum in corde terræ, illo Jonæ typo significatum, simili ratione accommodare potuit. Præsertim quum abyssi nomen eodem prorsus modo a Græcis interpretibus, quorum loquendi formulas in Novo Testamento libenter sequi solent Apostoli, usurpatum constet, "ἐζωοποίησας[e] με καὶ ἐκ τῶν ἀβύσσων τῆς γῆς πάλιν ἀνήγαγές με:" hoc est, ut etiam vulgatus interpres reddidit: "vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me." Hinc Œcumenius ita locum explicat, "μὴ διστάσης, μηδὲ εἴπης ἐν τῃ διανοίᾳ σου, πῶς ὁ Χριστὸς κατῆλθεν ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ ἐσαρκώθη; ἢ πῶς ἀποθανὼν ἀνέστη ἐκ τῃς ἀβύσσου, τουτέστι, τῶν κατωτάτων τόπων: ἀλλὰ πάντα λογισμὸν ἔκβαλε ἔξω: ne vacilles, neque in mente tua dicas quomodo Christus descendit de cœlis carnemque assumpsit: aut quo pacto mortuus surrexit ex abysso id est ab infirmis locis: sed omnem cogitationem foras ejice." Nec obstat quod Bellarminus objicit. 1. "abyssum profundissimam voraginem significare, qualis non est sepulchrum." Respondetur: At ostendimus abyssum ejusmodi voraginem aliquando significare, qualis est sepulchrum, voraginem viventibus inaccessam notare potest, utcunque non profundissimam. 2. "Facile fuisse in sepulchrum descendere: cum hic ponatur tanquam res homini viventi impossibilis, descendere in abyssum." Respondetur: Descendere in sepulchrum nobis hic non est, in monimentum intrare, quomodo Johannem et alterum disci-

[e] Psalm. 70. vel 71. sec. Hebr. ver. 20.

pulum intrasse legimus, sed terræ reddi et communem mortuorum sortem subire: quod homini dum inter vivos degit sane est impossibile. Deinde, ut recte notat Junius, neuter respicit, nec Moses nec Apostolus, utrum res sit ex facto possibilis, an impossibilis; sed utrum liceat post adventum Christi hæc dicere et tentare, necne: ac propterea dicitur, ne dicas in corde tuo. 3. "Opponi hoc loco abyssum cœlo, tanquam terræ superficies sit media inter abyssum et cœlum." Respondetur: Sic etiam terræ superficies media est inter sepulchrum et cœlum, neque ut oppositio constet, necesse est ut ad centrum terræ descendatur: in cœli distantia ab ipsa terra[f], satis luculentam oppositionem observare poterat Bellarminus. Ut omittam nec Mosem mari nec Paulum abysso cœlum omnino opponere, tanquam summum infimo: ideoque nullo prorsus fundamento niti illam Jesuitæ conclusionem; "fuisse Christum post mortem, et ante resurrectionem in abysso, quæ longissime abest a cœlo, id est, in profundissimis terræ partibus."

VI. "Qui[g] ascendit, ipse est, et qui descendit in inferiores partes terræ." Respondetur: Per inferiores partes terræ non intelligit Apostolus infernum Bellarmini subterraneum, sed hanc terram, quæ infima pars est mundi. Nec per descensum intelligit descensum Christi ad inferos ut victoris et triumphatoris, qualem nobis commendat Bellarminus, sed humiliationem Filii Dei, sive per incarnationem[h], qui primus fuit gradus; quomodo locutus est David[i], רקמתי בתחתיות ארץ, id est, ut Symmachus expressit, *ἐποικίλθην ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς*: ut Chaldæus paraphrastes בכריסא דאמי אצטירת, formatus sum in utero matris meæ; sive per mortem et sepulturam, qui fuit extremus humiliationis gradus; quomodo idem David de inimicis suis locutus est[k], יבאו בתחתיות הארץ quod in editione LXX. ita est redditum: "*εἰσελεύσονται εἰς τὰ κατώτατα τῆς γῆς, παραδοθήσονται εἰς χέιρας ῥομφαίας, μερίδες ἀλωπέκων*

[f] Psalm. 103. ver. 11.

[g] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 9.

[h] Augustin. in illud, Psalm. 85. Eruisti animam meam ex inferiori. 1. Ad hoc infernum missus est nascendo ad illud moriendo. Lactantius de Orig. erroris, lib. 2. c. 2. terras inferorum nomine appellat.

[i] Psalm. 139. ver. 15.

[k] Psalm. 63. ver. 10.

ἔσονται. Introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt." Sed contra opponit Bellarminus verborum proprietatem. "Nam inferior pars terræ non significat totam terram, sed unam partem eamque aliis inferiorem; non ergo significat terræ superficiem, quæ est pars superior; nec etiam sepulchrum Christi quod etiam supra terram fuit." Respondetur: Quod de situ sepulchri Christi supra terram hic dicitur, falsum fuisse ostendimus in refutatione argumenti tertii. Ad hujus vero argumenti fundamentum respondetur: nullam hic institui comparationem partium terræ inter se, sed partium terræ cum summo cœlo. "Nam "τῇ ἀναβάσει εἰς ὕψος, ascensioni in altum ὑπεράνω πάντων τῶν ὀυρανῶν, supra omnes cœlos" per antithesin opponitur "ἡ κατάβασις εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, descensio in has partes inferiores terræ:" quæ expositio ab ipso Lyrano hunc in modum proposita legitur: "Descendit primum in sua incarnatione, in inferiores partes terræ, id est, in partes hujus terræ, quæ sunt inferiores respectu aliarum partium mundi." Ita: Exultate[k] cœli quoniam fecit Dominus, jubilate תחתיות ארץ τὰ θεμέλια τῆς γῆς reddiderunt LXX.

Aliud argumentum adversus responsionem nostram arripit Bellarminus ex verbis illis sequentibus, "Ut[l] adimpleret omnia." Voluit enim Christus, inquit Bellarminus, descendere usque ad verum infernum, sicut descenderat in terras, ut præsens visitaret omnes partes regni sui." Sed oblitus est ejus, quod ad Ubiquitarios locum hunc objicientes primo responderat: illud "ut adimpleret omnia," posse intelligi de adimpletione vaticiniorum. Nam fuerat prædicta a Prophetis tam descensio, quam ascensio: et quamvis, inquit, "hanc[m] explicationem irrideant adversarii, tamen adhuc eam non confutaverunt:" sed eam fortasse confutare potuit Bellarminus. Hac vero impletione intelligendam visitationem omnium partium regni sui per præsentiam suam, quo tandem argumento confirmabit? Cum et antecedentia et consequentia flagitent, ut Christum omnia im-

[k] Esai. cap. 44. ver. 23.
[l] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 10.
[m] Bellarmin. de Christ. lib. 3. cap. 16.

plevisse intelligamus donis suis, potius quam præsentia. Statim enim præcesserat, "Unicuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi: propter quod dicit; ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus." Statim quoque sequitur, "Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, etc. in ædificationem corporis Christi." Unde colligitur Apostolum nihil aliud hoc loco spectasse, quam quod dixerat in præcedentibus: Christum esse "τόν[n] πάντα ἐν πᾶσι πληρούμενον, eum qui omnia implet in omnibus;" sanctosque ejus "πληρωθῆναι[o] εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ, impleri ad omnem usque plenitudinem Dei."

[n] Epist. ad Ephes. cap. 1. ver. 23. [o] Epist. ad Ephes. cap. 3. ver. 19.

XIX.

ANIMAS PIORUM ANTE CHRISTI ASCENSIONEM FUISSE IN CŒLO, NON IN LOCO SUBTERRANEO, QUEM LIMBUM PATRUM APPELLANT PONTIFICII, A DEI PRÆSENTIA SECLUSAS.

I. Qui fruebantur vita æterna, et in condemnationem non venerunt, sed transiverunt a morte in vitam, post mortem non sunt conjecti in carcerem infernalem, et in eo ad aliquot annorum millia a Dei præsentia separati. At Patres ante Christi ascensionem fruebantur vita æterna, et in condemnationem non venerunt, sed transiverunt a morte in vitam. Ergo. Probatur assumptio: qui fide erant præditi, fruebantur vita æterna et in condemnationem non venerunt, sed transierunt a morte in vitam. Patres fide erant præditi. Ergo. Major habetur, Johan. cap. 5. ver. 2. Minor Epist. ad Hebr. cap. 11. ver. 2.

II. Quos Deus in vita justificavit, peccatis remissis et imputata justitia; eos post mortem ad carceres non condemnat, et a præsentia sua non ablegat. At Patres Deus in vita justificavit, peccatis remissis, et imputata justitia. "Credidit[a] Abraham Deo, et imputatum est ei ad justitiam."

III. Qui in hac terra versabantur ut hospites et advenæ, cœlestem quærentes patriam, transacta peregrinatione assecuti sunt patriam; at Patres in hac terra versabantur ut hospites et advenæ, cœlestem quærentes[b] patriam, quemadmodum et[c] nos.

IV. Si Patres ante Christi ascensionem pœnam damni

[a] Epist. ad Rom. cap. 4. ver. 3.
[b] Epist. ad Heb. cap. 11. ver. 10. 13, 14. 16.
[c] Epist. ad Heb. cap. 13. ver. 14.

sustinuerunt, nec ad regnum cœlorum admitti poterant: ex eo hoc accidit, quod ante Christi adventum ejus passio et resurrectio sua caruerint efficacia. At falsum consequens: quia hoc respectu datur "agnus[d] occisus ab origine mundi," et Patres "eandem[e] escam spiritualem ederunt, et eundem potum spiritualem biberunt," et si Christi passio ac resurrectio sua caruissent efficacia, non solum pœnam damni, sed etiam pœnam sensus necessario sustinuissent Patres. Quod enim a Gehennæ suppliciis liberatur quis, passionis Christi beneficium agnoscendum est.

V. Pari posita justitia, par debet poni remuneratio. Nostra et Patrum justitia par fuit et eadem: nempe per fidem[f] in Christum Jesum, quæ in omnibus est ἰσότιμος[g] et æque pretiosa, par igitur debet poni remuneratio, ideoque cum nobis post mortem pateat regnum cœlorum, illud Patribus non est claudendum.

VI. Si reatus peccati primi Adami impios statim post mortem in Tartarum præcipitat: communicatio justitiæ secundi Adami fideles statim post mortem in cœlum evehet: sed verum prius: Ergo et posterius. Probatur connexum, quia alias peccatum primi Adami plus valeret ad mortem, quam secundi ad salutem contra comparationem[h] Apostoli ad Romanos.

VII. Iter vitæ sursum constituitur in cœlo, non deorsum in inferno, "Iter[i] vitæ sursum est intelligenti, ut reddat a sepulchro (vel inferno) deorsum."

VIII. Si cœlum usque ad ascensionem Christi clausum esset Patribus, Elias non ascendisset in cœlum ante Christi adventum. At "ascendit[k] Elias turbine in cœlum."

IX. Si ante Christi ascensionem in carcerem aliquem compingerentur Patrum animæ, non fuissent in statu glo-

[d] Apocal. cap. 13. ver. 8.
[e] 1 Epist ad Cor. cap. 10. ver. 3, 4.
[f] Act. Apost. cap. 15. ver. 11. Epist. ad Gal. cap. 3. ver. 8, 9. Epist. ad Rom. cap. 4. ver. 23, 24.
[g] 2 Epist. Petr. cap. 1. ver. 1.
[h] Epist. ad Rom. cap. 5. ver. 17, 18, 19.
[i] Proverb. cap. 15. ver. 24.
[k] 2 Reg. cap. 2. ver. 11.

riæ. At fuerunt: ut colligitur ex apparitione[l] Mosis et Eliæ cum gloria.

X. Si ante Christi ascensionem animabus in regnum cœlorum nullus patuisset accessus: tum latro non fuisset in cœlo cum Christo eo die, quo passus. At contrarium patet ex verbis, " Hodie[m] mecum eris in paradiso," id est, regno cœlorum: ut pluribus[n] confirmat ipse Bellarminus.

XI. Locus in quo quis a Dei præsentia exulat, non est locus consolationis. At locus in quem receptæ sunt piorum animæ ante Christi ascensionem, fuit locus consolationis. Ergo. Major per se patet et confirmari potest ex Psalmo decimo sexto, versu undecimo, ubi in conspectu Dei gaudiorum plenitudo constituitur. Minor manifesta est, ex Evangelio[o], ubi diris cruciatibus Divitis in gehenna, opponitur solatium Lazari in sinu Abrahæ.

XII. Inter limbum inferni et ipsum infernum damnatorum, non est constitutus ingens hiatus, et admodum longinqua distantia. At inter sedes fidelium ante ascensionem Christi vita defunctorum, et infernum damnatorum, ingens constitutus est hiatus, χάσμα[p] μέγα et longinqua admodum distantia, ubi Dives in tormentis, sublatis oculis suis Abrahamum procul[q] vidisse dicitur, et Lazarum in sinu ejus, indeque Augustinus, colligit, " non[r] esse quandam partem, et quasi membrum inferorum, tantæ illius felicitatis sinum. Chaos enim magnum quid est, nisi quidam hiatus, multum ea separans inter quæ non solum est, verum etiam firmatus est?"

[l] Luc. cap. 9. ver. 31. [m] Ibid. cap. 23. ver. 43.
[n] Bellarmin. de Sanct. Beat. lib. 1. cap. 3.
[o] Luc. cap. 16. ver. 25. [p] Ibid. ver. 26.
[q] Luc. cap. 16. ver. 23.
[r] August. Epist. 164. ad Evodium. op. tom. 2. pag. 575.

XX.

SOLVUNTUR ARGUMENTA BELLARMINI DE LIMBO PATRUM.

I. Ea sententia est prorsus inaudita in Ecclesia Dei. Respondetur: Quorsum illa Origenis, libro primo in Job, verba illa explicantis, *Nudus ibo illuc;* "Illuc ibo, ubi sunt tabernacula justorum, ubi sunt sanctorum gloriæ, ubi est fidelium requies, ubi est piorum consolatio, ubi est misericordium hæreditas, ubi est immaculatorum beatitudo, ubi est veracium lætitia et exultatio. Illuc ibo, ubi est lux et vita, ubi est gloria et jucunditas, ubi est lætitia et exultatio, vel unde aufugit dolor, tristitia et gemitus, ubi obliviscentur priores tribulationes, hæ quæ sunt in corpore super terram. Illuc ibo, ubi est tribulationum depositio, ubi est remuneratio laborum, ubi Abrahæ sinus, ubi Isaac proprietas, ubi Israel familiaris, ubi sanctorum animæ, ubi angelorum chori, ubi archangelorum voces, ubi Spiritus Sancti illuminatio, ubi Christi regnum, ubi æterni Dei patris infecta gloria atque beatus conspectus." Abrahæ sinus et receptacula animarum defunctarum Patrum in cœlo hic posita describuntur, non in carcere aliquo infernali.

Augustinus, eumque secutus Beda, et Strabus in Glossa ordinaria: "Sinus[a] Abrahæ est requies beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum; in quo post hanc vitam recipiuntur." Similiter Titus Bostrensis, vel quicunque author fuit illorum Collectaneorum in Lucam.

II. Jacob ait "descendam[b] ad filium meum in infernum." Pius erat Jacob, inquit Bellarminus, pius etiam Joseph: et tamen utrumque non ascendisse ad cœlum, sed

[a] August. Quæst. Evang. lib. 2. cap. 38. op. tom. 3. par. 2. pag. 264.
[b] Genes. cap. 37. ver. 35.

ad inferos descendisse, Scriptura significat. In eum locum Nicolaus Lyranus: "Hebræi exponunt, in foveam vel sepulchrum. Catholici autem melius exponunt, dicentes in infernum, id est, ad limbum sanctorum patrum, qui est superior pars inferni." Contra vero Augustinus, Steuchus, Eugubinus, in eundem locum, Hebræorum tuetur sententiam: his tandem verbis concludens, "Hæc diximus nihil facientes, quæ de hac re somniat Nicholaus; vere enim, figmenta sunt, quæ de limbo scribit hoc loco." Objicit vero Bellarminus, capite decimo, vocem שאול non posse hic accipi pro sepulchro: "quia dicit se iturum ad filium suum, quem putabat mortuum, et devoratum a feris, et proinde caruisse sepulchro." Sed respondet Franciscus Junius etiam ventrem ferarum[c] figurata locutione sub nomine sepulchri comprehendi posse: quemadmodum Propheta Jonas, quum in ventre ceti esset, se vociferatum fuisse dicit מבטן שאול e ventre sepulchri: ut omittam phrasim illam descendi in שאול communiter nihil aliud significare quam simpliciter mortuorum statum subire; ut docet Jansenius[d], et liquet ex antithesi, "Quia[e] non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam: vivens, vivens ipse confitebitur tibi."

III. "Dives in inferno cum esset, vidit a longe animam Lazari in sinu Abrahæ, et audivit, inter loca ipsorum magnum hiatum esse: id enim significat *χάσμα*, ex quo apparet, nihil solidi fuisse interjectum inter locum damnatorum et sinum Abrahæ, sed utrasque animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes." Respondetur: Negamus consequentiam; si inter loca ipsorum magnus

[c] Ita Cicero, lib. 1. Tusc. quæst. in Hircania ali dicit canes, a quibus lanientur, eamque optimam censere illos esse sepulturam. Author ille qui Dorica dialecto, *περὶ τῶ καλῶ καὶ αἰσχρῶ* scripsit (ab Henr. Stephano, simul cum Diogene Laertio editus:) *Μασσαγέται* (inquit) *τὼς γονέας κατακόψαντες κατέσθοντι καὶ τάφος κάλλιστος δοκεῖ ἦμεν ἐν τοῖς τέκνοις τεθάφθαι.* Contra Poeta ille apud Ciceronem (de Thyeste, ut videtur:)

Natis sepulchrum est ipse parens.

[d] Comment. in Prov. cap. 15.

[e] Esai, cap. 38. ver. 18.

fuit hiatus[f], ergo fuerunt in eadem voragine: contrarium enim rectius a Tertulliano[g] et Augustino[h] deducitur, si ejusmodi vorago inter loca ipsorum interposita fuit, in eadem ergo voragine non fuisse. Adeo quidem ut ipse Maldonatus Jesuita in commentariis ad hunc locum dissimulare non potuerit: "se valde suspicari summum hic cœlum designari, inter quod et infimum damnatorum locum, ubi dives erat, magnus utique erat hiatus, totum scilicet spatium aeris, quod quasi hiatus quidam vacuum, et impermeabile videtur esse." Utrum vero χάσμα hoc ad aeris spatium, vel potius ad hiatum aliquem extra visibilem hunc mundum (ubi ᾅδης, locus ille animarum invisibilis, a quibusdam collocatur) inter beatorum et damnatorum loca interjectum sit referendum: viderint ii qui de inferorum situ disputare solent. Id monuisse satis sit, quamdiu certi nihil nobis de situ inferorum constiterit, tamdiu certi nihil ex hoc Bellarmini argumento confici posse.

IV. "Anima[i] Samuelis apparens Sauli de terra ascendere visa est." Respondetur: 1. Si vere apparuisset Samuel Pythonissæ, hoc tamen nihil faceret pro limbo animarum subterraneo: neque enim solius animæ describitur apparitio, sed animæ cum corpore conjunctæ. "Vir[k] senex ascendit, qui est amictus pallio." At licet anima separata prius fuisset in cœlo, quum tamen resumendum esset corpus ex cœlo, in terram deduci oportuit, atque ex terra emergere: quemadmodum in extremo judicio animæ mortuorum simul cum corporibus, prodibunt e monumentis[l], nec id tamen argumento erit animas separatas in loco aliquo subterraneo commoratas esse, ac in cœlo nondum fuisse. 2. Non fuit verus Samuel qui apparuit, sed spectrum diabolicum idque propter has rationes. I. Versu deci-

[f] Jansenius, de Concor. Evangel. cap. 96. Quod si quis speciatim exprimi quærat, quid per hiatum illum magnum sit intelligendum, recte dicetur significari firmissimum Dei statutum in modum hiatus prohibens illorum et illorum permixtionem. Ut sit sensus: firmissimo et immutabili Dei decreto sic sumus nos a vobis separati, ut ii, qui volunt hinc transire ad vos, non possint.

[g] Contra Marcion. lib. 4. cap. 34.

[h] Epistol. 164. op. tom. 2. pag. 575.

[i] 1 Sam. cap. 28. ver. 14.

[k] Ibid.

[l] Johan. cap. 5. ver. 28, 29.

mo quinto dicit Pseudo-Samuel ad Saulem : "quare inquietasti me ut suscitarer." At impium æque ac absurdum est, ut existimemus sanctorum quietem Magorum vel Dæmonum opera interturbari posse. 2. Pseudo-Samuel passus est se a rege adorari. "Inclinavit[m] enim se super faciem suam in terra et adoravit." At verus Samuel se a rege adorari non fuisset passus : non magis quam Petrus a Cornelio[n], aut Angelus a Johanne[o]. 3. Deus Sauli respondere noluit, vel per somnia, vel per Urim, vel per Prophetas; quomodo ergo jam Pythonissæ opera respondisset illi per Prophetam. 4. Non est Dei voluntas ut excitentur mortui ad instruendos vivos[p]. 5. Dicit Pseudo-Samuel ad regem : "Cras tu et filii tui mecum eritis," unde author quæstionum ex Vetere Testamento (quæ Augustino tribuuntur) ejusmodi colligit argumentum, quod etiam ex eo retulit Gratianus[q], "quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ, cras mecum eris. His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus Satan, quia et adorari se permisit sub habitu et nomine Samuelis contra legem: et virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum et justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est: ad eum enim transmigravit, quem adoravit." 6. Dicitur, "mortuus[r] esse Saul propter prævaricationem suam: quod consulere Pythonem quæsiisset," et "quod non requisivisset Jehovam, ideo morte affecit eum; et avertit regnum ipsum ad Davidem filium." Falsum est quod pseudopropheta iste prædicit, proximo die Saulem cum filiis in prælio occubiturum: idque hoc argumento ostendimus.

Quod factum est post illum diem, quo Philistæi Shunemo Aphekum et Israelitæ Gilboa ad fontem Izreelis castra moverunt, non est factum eo die qui Saulis reditum a Pythonissa proxime est secutus.

[m] 1 Sam. cap. 28. ver. 6. [n] Act. Apost. cap. 10. ver. 25, 26.

[o] Apocal. cap. 22. ver. 8, 9.

[p] Luc. cap. 16. ver. 30, 31. Esai, cap. 8. ver. 19.

[q] Caus. 26. qu. 5. §. 14. [r] 1 Chron. cap. 10. ver. 13, 14.

At prælium inter Israelitas et Philistæos factum est post illum diem.

Ergo prælium non est factum eo die, qui Saulis reditum a Pythonissa proxime est secutus.

Probatur major: quia inter tempus quo Philistæi Shunemi, Israelitæ Gilboæ castra habebant, et diem quo illi Aphekum, hi ad fontem Izreelis moverunt, facta est Saulis ad Pythonissam profectio, et reditus ejusdem per eandem noctem, ut constat ex serie sacræ historiæ[s]. Minor hoc argumento probatur. Quod tempore absentiæ Davidis est factum, post illum diem quo Philistæi Shunemo Aphekum et Israelitæ Gilboa ad fontem Izreelis castra moverunt, factum est. At prælium inter Israelitas et Philistæos tempore absentiæ Davidis factum est. Ergo post illum diem est factum.

Probatur major: quia ex versibus primo et ultimo, capitis vigesimi noni inter se collatis, manifestum est Davidem toto eo die in castris Philistæorum præsentem fuisse, nec ante proximum matutinum discessisse. Sed nec statim post Davidis discessum factum fuisse prælium, ex eo colligitur; quod si id ita esset, sequeretur sex integros dies fuisse elapsos, priusquam David factam cladem rescivisset; at hoc incredibile.

At, inquit Bellarminus, "deducitur hoc satis aperte ex textu divinæ Scripturæ: cum vidisset, inquit, mulier Samuelem. Item: dixit Samuel ad Saul." Respondet Rainoldus, "appellari[t] Samuelem, quod gesserit personam sive similitudinem Samuelis, non quod fuerit ipse Samuel. Ut apud Virgilium de Cupidine induto specie Juli,

> Mirantur dona Æneæ, mirantur Julum.

et in libro Geneseos, tres viri apparuisse dicuntur[u] Abrahamo, et vir[x] luctatus esse cum Jacobo, ad mane usque:" et Aben Ezra, notat "Scripturam[y], cum facit mentionem Dei alieni, loqui secundum cognitionem servientium illis." Porro autem illa Scripturæ verba premit Bellarminus, "Intellexit ergo Saul, quod Samuel esset," certe inquit, non

[s] 2 Sam. cap. 28. ver. 4, 5. 25. cap. 29. ver. 1.

[t] Rainold. de Apocr. Prælect. 89. pag. 1091.

[u] Gen. cap. 18. ver. 2.

[x] Ibid. cap. 32. ver. 24.

[y] Aben Ezra in Exod. cap. 20.

diceret Scriptura; intellexit, sed, putavit, vel, cogitavit, si non esset verum. Respondetur: Et hoc refertur ad eorum opinionem, de quibus loquitur Scriptura. Ut in parabola "Domine[z] noveram te hominem durum esse, qui metas ubi non sevisti, et inde colligas ubi non sparsisti: ecce habes quod tuum est. Cui Dominus: Serve male et piger, sciebas me metere ubi non sevi, et inde colligere ubi non sparsi." In quem locum Cajetanus: "non est quærendum quemadmodum hæc proprie verificentur de Deo; quia falsæ sunt æstimationes:" et ante eum Hieronymus, in eundem locum, servum eum malum appellari notat, "quoniam[a] calumniam fecerit Domino." Ita ubi Rahab exploratores occultante, nuntii dicuntur emissi, "qui persecuti sunt ipsos, (inquit textus[b]), sequuti post ipsos." Nempe quoniam putabant se persequi: non enim reipsa persequebantur.

[z] Matt. cap. 25. ver. 24, 25, 26. [a] Hieron. in Matt. op. tom. 4. pag. 123.
[b] Josu. cap. 2. ver. 7.

XXI.

DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

In Christi persona duplex exspectatur Scientia:

Increata: naturæ divinæ: quæ infinita est, æterna, omnisque successionis et mutationis expers: adeoque ipsa essentialis Dei sapientia.

Creata: naturæ humanæ: qua anima Christi non ut Deitas, per essentiam suam, et uno simplici actu, sed successive et cum mutatione res intelligit, idque vel in

Verbo: cui ὑποστατικῶς est unita; et cujus visione immediata fruitur modo beatissimo. Ea ratione anima Christi, etiam intellectu creato, multa intelligebat, quæ secundum facultatem humanæ naturæ ignorabat (cogitationes cordium verbi gratia, et res futuras): Deitate non suam aliquam perspiciendi vim in naturam humanam transfundente, sed intellectum illustrante, et quascunque vellet notitias in anima sibi unita accendente. Ita Marc. 2, 8, cognovit Jesus spiritu suo, quid Scribæ ratiocinarentur in cordibus suis. "Nec[a] opus fuit ut quisquam ei testaretur de homine ipse enim sciebat quid esset in homine." Cognovit autem hæc Christus in verbo, ut notat Thomas, "non[b] autem cognitione prophetiæ: quia prophetia est quædam imperfecta participatio illius visionis, qua videntur res in verbo: quæ cum in Christo perfecta fuerit, imperfectio prophetiæ in Christo locum non habuit."

Vel in genere proprio per species intelligibiles, quæ cognitio est vel ὑπερφυσικὴ vel φυσικὴ.

Ὑπερφυσικὴ, infusa, qua superat Adamum in statu innocentiæ constitutum. Qualem enim cognitionem habent an-

[a] John, cap. 2. ver. 25.

[b] In quæstion. disputat. de verit. qu. 20. art. 6.

geli naturalem sibi, talem habuit Christus animæ suæ infusam, unctus[c] a Patre oleo lætitiæ supra consortes suos.

Φυσικὴ est vel indita vel acquisita.

Indita, potentia naturalis ad imaginem Dei, qua anima Christi res intelligit per species intelligibiles intellectui materiali sive possibili eo modo impressas, quo posteris Adami, si integram imaginem Dei, sub qua sapientiæ et sanctimoniæ habitus[d] comprehenduntur, retinuissent, imprimerentur.

Acquisita, qualis est ordinaria cognitio humana, est vel.

Universalis et abstracta, qui habitus est scientificus virtute intellectus agentis, species intelligibiles a phantasmatibus abstrahentis, acquisitus.

Particularis et sensitiva; vel in experientia rerum per sensus posita, quomodo Christus ex[e] iis, quæ passus est, obedientiam didicisse dicitur.

Quæritur quomodo Christus sapientia creverit: nam crevisse certum est, ex secundo capite Evangelii secundum Lucam; versu enim quadragesimo legitur: "Puerulus autem crescebat, et corroborabatur Spiritu, implebaturque sapientia: et Dei gratia erat super eum." Et additur: "Jesus[f] autem proficiebat sapientia et statura, ac gratia apud Deum et homines." Respondet Bellarminus, "certam[g] et communem expositionem esse Patrum Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Damasceni, Theophylacti, Bedæ, Anselmi, Bernardi, et aliorum, quod Christus profecerit sapientia et gratia opinione hominum, quibus indies magis aperiebat sapientiam suam. Quomodo Sol, quo magis ascendit versus medium cœlum, tanto magis dicitur proficere in lumine et calore; non quod in se fiat lucidior et calidior, sed quia magis apparet ejus virtus." Addit secundo loco, ex sententia Damasceni, "quod[h] sicut episcopus dicitur proficere in ecclesia sua suis concionibus, quando populus proficit; et doctor in schola dicitur proficere, quando doctos reddit auditores; ita etiam Christus dici potest profecisse, quia

[c] Heb. cap. 1. ver. 9.

[d] Ephes. cap. 4. ver 24; Coloss. cap. 3. ver 10.

[e] Epist. ad Heb. cap. 5. ver. 8.

[f] Luc. cap. 2. ver. 52.

[g] Bellarmin. de Christ. lib. 4. cap. 5.

[h] Damascen. de fid. lib. 3. cap. 22.

fecit alios proficere." Verum utraque hæc explicatio a Bellarmini socio, Francisco Toleto Cardinale, improbatur. Prima quidem, "tum[i] quia Evangelista æqualem videtur fecisse profectum sapientiæ, ætatis, et gratiæ; qui autem ætatis est, non in ostensione tantum, sed in reipsa positus est: ergo et reliqui duo similem debent habere rationem: tum quia juxta hanc expositionem dicere etiam possumus, Verbum seu Christum ratione naturæ divinæ profecisse: quod asserere isti doctores reformidantes, confugiunt ad naturam humanam. At quantum ad ostensionem dici etiam posset profecisse, quia Verbi sapientia paulatim se prodebat per humanitatem illam. Tum etiam, quia impropria est significatio verborum, profecit, id est, videbatur proficere, seu paulatim se ostendebat."

Altera vero, quia in contextu hoc sermo est de Christo in se: quemadmodum constat, tum ex antecedentibus tum ex verbo illo *ætatis* adjuncto; quod manifeste dictum est de Christo, ratione corporis proprii. Et quia tunc temporis nondum Christo prædicante, non videtur corporis ejus mystici factus profectus. Ut similitudo episcopi in schola et doctoris in schola proficientis a Bellarmino (nam in Damasceno quem citat, eam non invenio) allata locum hic omnino non habeat. Rectius igitur respondent nostri, patribus quoque suffragantibus (quod Maldonatus Jesuita[k], licet id ægre ei esset, dissimulare non potuit) Athanasio[l], Epiphanio[m], Ambrosio[n], Cyrillo[o], Fulgentio[p], Beda[q], et Euthymio[r], Christum non quidem divina, sed tamen humana sapientia vere profecisse: unde Ephremius Antiochenus Patriarcha ex Cyrilli in Johannem commentario, "Εἰ δὲ δὴ λέγοιτο προκόπτειν ὁ Ἰησους ἡλικίᾳ καὶ σοφίᾳ καὶ χάριτι: τῆς οἰκονομίας ἔσται τὸ χρῆμα, συνεχώρει γὰρ ὁ τοῦ θεοῦ λόγος διὰ τῶν

[i] Tolet. in 2 cap. Luc. annot. 6. [k] In Luc. cap. 2. ver. 40.

[l] Sermon. 3. cont. Arianos op. tom. 1. pag. 599.

[m] In Ancorato. op. tom. 2. pag. 84.

[n] De Incar. Dom. Sacr. cap. 7. op. tom. 2. p. 719.

[o] Thesaur. lib. 10. cap. 7. et lib. de recta fide op. tom. 2. pag. 303. et 691. Ed. Par. 1572.

[p] Ad Thrasimund. lib. I. [q] 9 Photii. Biblioth. pag. 425.

[r] Comment. in Luc. cap. 2.

τῆς ἰδίας φύσεως ἐθῶν ἰέναι τὸ ἀνθρώπινον. Si Jesus proficere dicebatur sapientia, et ætate, et gratia, incarnationis opus est: permittebat enim Dei verbum, humanitatem suis moribus ferri," et Euthymius, in hunc locum: "tanquam puer lege humanæ naturæ paulatim ad hæc proficiebat; nam ut Deus omnino perfectus erat."

Quod ut intelligamus distinguenda humana Christi sapientia in actualem et habitualem. Quemadmodum divinæ sapientiæ essentiale est, ut in actu sit perpetuo, ita animæ humanæ connaturalis est hic modus, ut quandoque sit intelligens actu, quandoque in potentia, ut in tertia parte Summæ[s] notat Thomas. Licet igitur Christi anima jam inde a conceptione potentiam intelligendi habuerit, non sequitur tamen eum actu ea omnia cognovisse, quæ temporis progressu intellexit. Quemadmodum vero de posteris Adami in statu innocentiæ non eadem est doctorum Pontificiorum sententia; plurimis defendentibus, non statim ab initio ortus sui, sed progressu ætatis usum rationis et scientiam rerum habituros fuisse, omnis interim vitiosæ et culpabilis ignorantiæ expertes: quod a Thoma in prima parte Summæ manifestis argumentis probatum affirmat Gregorius Valentianus[t]; aliis opinantibus, quod statim habuissent rationis usum, profecissent tamen in scientia per experientiam; aliis rem in medio relinquentibus, ut determinatu difficilem, "tum quia authoritates super hoc non reperiuntur expresse; tum quia ad hoc vix haberi possunt, nisi rationes congruentiæ, quæ frequenter sunt ad utramque partem; tum etiam quia in statu sumus caliginis et miseriæ, adeo ut vix possimus cogitare, quæ in statu illo fuissent:" quæ difficultatis rationes his ipsis verbis assignantur ab Alexandro Halensi[u]: præter quem, de hac quæstione consuli possunt Petrus Lombardus[x] cum omnibus Sententiariis, Thomas cum suis interpretibus in citato loco; Hugo de S. Victore, de Sacramento fidei[y] et Pererius in librum Gene-

[s] Quæst. 11. artic. 5.

[t] Comm. in Thom. tom. 1. disp. 7. quæst. 5. punct. 3.

[u] Summ. par. 2. quæst. 89. membr. 2.

[x] Sent. lib. 2. dist. 20.

[y] Par. 6. lib. 1. cap. 26.

scos[z]. Ita de usu rationis et scientia in anima Christi variæ sunt tum veterum tum recentiorum Theologorum sententiæ. Scholastici tenent, animam Christi a primo instanti conceptionis suæ usum fuisse ratione, et habuisse actus intelligendi: contra author operis imperfecti in Matthæum, de Magis Christum adorantibus verba faciens, inquit: "Putas adorassent infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid divinum credidissent in eo. Ergo non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, sed divinitati ejus omnia cognoscenti." Et Ambrosius locum Esaiæ ad Christum accommodans: "Per[a] quem sensum Esaias dixit, patrem puer nesciebat aut matrem? Scriptum est enim: 'Priusquam[b] sciat puer patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariæ.' Sapientiam enim Dei futura et occulta non fallunt: expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat." Hinc paulo ante locum hunc Lucæ ita idem explicat, "Si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia." Fulgentius quoque utrumque locum et Esaiæ et Lucæ tractans: "Anima[c] igitur humana," inquit, "quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumque infante Christo nescisse dicitur[d], quæ secundum Evangelicam veritatem in puero Jesu sapientia et gratia profecisse narratur[e]: nam sicut carnis est, ætate proficere, sic est animæ, sapientia et gratia profecisse: quæ tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam (quæ hominibus rationis causa concessa est) non haberet." Quicquid vero de usu rationis et scientia in anima vel Christi vel posterorum Adami in statu innocentiæ statuendum sit (qua in re videndum, ne authoritate verbi Dei destituti, ratiociniis humanis nimium indulgeamus, ausi "sapere supra id quod scriptum est") id sine periculo affirmari potest, jam inde ab ortu imaginem Dei, ideoque et

[z] Comm. in Gen. cap. 2. sect. 45, 46, 47.
[a] Ambros. de Incar. Dom. Sacr. cap. 7. op. tom. 2. pag. 720.
[b] Esai. cap. 8. ver. 4.
[c] Fulgent. ad Thrasim. lib. 1.
[d] Esai. cap. 8. ver. 4.
[e] Luc. cap. 2. ver. 40.

sapientiæ[f] et sanctimoniæ saltem habitus inditos et habuisse illum, et si in innocentia perstitisset Adam, habituros fuisse istos. Sic tamen ut quemadmodum in actibus obedientiæ, ita etiam in actibus sapientiæ, simul cum ætatis incremento major indies fieret progressus. Et ut internos rationis actus in ipsa infantia exercuerit Servator noster, (de quo nihil temere pronuntiare ausim), atque theorice res omnes intellexerit: certum est tamen externa sapientiæ opera, nonnisi procedente ætate, edidisse. Nam ut in Ancorato inquit Epiphanius: ἐπειδὴ[g] γεννηθεὶς ἀπὸ κοιλίας, εὐθὺς λαλῶν, εἰ ἐδείκνυτο καὶ καθαρῶς, οἷα δὴ ἀρτίπαις, ἐφθέγγετο, φαντασία ἂν ἐνομίσθη, καὶ οὐκ ἀληθὴς, ἢ μᾶλλον δοκήσει ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ κύησις. διάτοι τοῦτο ὑπομένει τὸ ὀλίγον τῆς ἡλικίας, ἵνα μὴ ἀφανίσῃ τὸ ἀληθὲς τῆς ἀκολουθίας. Quoniam genitus ex utero, si statim loquens idque pure ostensus fuisset, et velut pueritiam egressus aliquis (illud enim ἀρτίπαις puerum adultum signat: quod exemplum, ut hoc obiter notem, addendum est Thesauro Henrici Stephani, ubi authorem hujus vocabuli desiderat) verba faciens; imaginatio sane putata fuisset, et non vera, aut potius in apparentia, ipsius conceptio: propterea expectat aliquid ætatis, ut ne consequentiæ veritatem dissiparet." Jam vero, ut recte observat Toletus[h], non solum habitus sapientiæ, sed etiam verba et opera externa a sapientia procedentia, frequenter in Scriptura nomine appellantur sapientiæ: quomodo dicuntur venisse ex omnibus populis "ad[i] audiendam sapientiam Salomonis:" eamque Regina Sabæ tum audivisse[k], tum vidisse[l] dicitur. In hac igitur sapientia Christus vere profecit, sicut in ætate: quia secundum ætatis incrementum, opera indies sapientiora edebat, et verba sapientiora loquebatur. "Non enim omnia externa opera æqualem sapientiam habent, sed contingit sapienter et sapientius operari et loqui." Ita Toletus: cujus explicatio potior est multo utravis illa Bellarminiana superius proposita et refuta.

[f] Epist. ad Ephes. cap. 4. ver. 24. Epist. ad Coloss. cap. 3. ver. 10.

[g] Epiphan. op. tom. 2. pag. 46.

[h] In Luc. 2. annot. 86.

[i] 3 Reg. cap. 4. ver. 34.

[k] Luc. cap. 11. ver. 31.

[l] 2 Chron. cap. 9. ver. 3.

Urget Bellarminus[m] locum Esaiæ "Et[n] requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ," et alia loca[o] ubi dicitur Christus unctus a Deo Spiritu Sancto. Sed negamus inde concludi posse illam Pontificiorum sententiam, quam in fine capitis primi proposuit: "Christi animam ab ipsa sua creatione ita scientia repletam, ut nihil postea didicerit, quod antea nesciret." Ad quam probandam etiam frustra adduntur illæ Scripturæ, in fine capitis secundi. I. "De[p] plenitudine ejus omnes accepimus." Respondetur ex Toleti commentario in hunc locum: "Plenitudo hæc est ipsa divinitas unita humanitati, de qua dicitur 'In quo[q] habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.' Est etiam gratia ex unione divinitatis in humanitatem derivata, quæ ut fons quidam in ea residet, unde in membra, quorum Christus caput est, diffunditur. Propterea in Christo est plenitudo redundantiæ in alios soli Christo propria." Sed hinc humanitatis omniscientia nullo modo probari potest. II. "Non[r] enim ad mensuram dat Deus Spiritum, nimirum Filio suo." Respondetur ex Jansenii commentario in concordiam Evangeliorum: "Si hoc dictum sit de Filio, et quidem secundum humanam naturam (de quo inter interpretes non convenit) sensus erit: Non dedit ei ad mensuram, hoc est, non dedit ei parce et mediocriter, sed largissime, secundum omnes scilicet spiritus dotes, et omnem spiritus capacitatem quæ convenire potest humanæ naturæ; cum reliquis omnibus ad certum modum datus sit spiritus. Secundum quem sensum, dare ad mensuram proverbialis est sermo, pro eo quod est; parce dare. Qui enim parce dat, metitur aut numerat: qui vero effuse absque mensura dat. Alioqui gratia Spiritus qui fuit in Christo, cum fuerit finita, mensurata dici[s] posset." III. "Domine[t] tu omnia nosti." Respondetur: Dicitur hoc de persona, non de humana natura. IV. "In[u] quo sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei."

[m] De Christ. lib. 4. cap. 2.
[n] Esai. cap. 11. ver. 2.
[o] Psalm. 44. Esai. cap. 61. Act. Apost. cap. 4. et 10.
[p] Johan. cap. I. ver. 16.
[q] Epist. ad Coloss. cap. 2. ver. 9.
[r] Johan. cap. 3. ver. 34.
[s] Confer. 1 Chron. cap. 22. ver. 3. 14.
[t] Johan. cap. 21. ver. 17.
[u] Epist. ad Coloss. cap. 2. ver. 3.

Respondetur: Hoc etiam dictum est de persona: quemadmodum in paraphrasi sua expressit Franciscus Titelmannus: "In quo Christo inhabitat ab æterno omnis plenitudo sapientiæ et scientiæ spiritualis. Est enim Patris verbum et æterna sapientia, a quo omnis sapientia derivatur." Adde ex ipso Bellarmino "Aliud[x] esse communicari humanitati divinitatis plenitudinem, et thesauros sapientiæ, quod Paulus non dixit: aliud inhabitare divinitatem, et latere thesauros scientiæ in Christi humanitate, quod Paulus dixit. Nam illud primum significaret Christi humanitatem esse Deum, quod non significat hoc secundum."

Capite quarto sententiam suam probare nititur Bellarminus ex doctrina Patrum, cujus argumenti examinatio non est præsentis instituti. Vindicandi tamen sunt orthodoxi ab Agnoetarum hæresi, quam tum hic tum capite primo adversus nos objicit Jesuita. Sciendum est igitur Agnoetarum hæresim in eo versatam esse, quod personam Christi omnisciam esse negarent. Quæ sententia necessario supponit, vel Filium non esse Patri ὁμοούσιον, cum Arrianis et Eunomianis; vel duas habere personas, non minus quam duas naturas, cum Nestorianis; vel, ut personam, ita etiam naturam unam habere ex divinitate et humanitate compositam, cum Eutyche et Monophysitis. Ita Agnoetarum[y] hæresim rivum quendam Arriani dogmatis appellat Nicephorus[z], ubi etiam

[x] Bellarm. de Christ. lib. 3. cap. 16.

[y] Victor Tununensis in Chronico. "A Theodosianis aliæ duæ hæreses exierunt: una Agnoitarum, et altera Tritheitarum. Agnoitæ siquidem perversitati a qua exierunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die, et hora novissima. Tritheitæ vero sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres adstruunt Deos esse."

Gennadius de hæresibus (a Claudio Menardo editus, Parisiis an. 1617, pag. 31.) "Gnoitæ et Tritoitæ (leg. Agnoitæ et Tritheitæ) a Theodosianis exorti sunt: ex quibus Gnoitæ (Agnoitæ) ab ignorantia dicti, quia perversitati a qua exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die et hora novissima, nec (non. Isidor.) recordantes Christi personam in Esaia loquentis 'Dies judicii in corde meo.' Tritoitæ (Tritheitæ ita Isid.) vero vocati, quod sicut tres personas in Trinitate, in (leg. ita, ut in Victore et Isidor.) quoque tres adstruunt Deos esse, contra illud quod scriptum est: 'Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.'" Quæ eadem ad verbum quoque habentur apud Isidor. Hispalens. libro 8°. Origin. capite 5°. Vid. et Gratiam 24. qu. 3. Quidam.

[z] Hist. Eccles. lib. 18. cap. 50.

ex hoc fundamento Arrianos, Aetianos, et Eunomianos conclusisse indicat alterius esse naturæ Patrem, alterius Filium: itaque cum Eutychius Constantinopolitanus Eunomii sectator, novissimam horam scivisse Filium asseveraret, ut qui sine defectu cuncta accepisset a patre; schisma inter Eunomianos factum narrat Sozomenus[a]. Hinc in disputationibus adversus Arrianos et Eunomianos, Athanasius[b], Ambrosius[c], Gregorius Nazianzenus[d], Cyrillus[e], Vigilius Tridentinus Episcopus, author disputationis inter Arrium et Athanasium coram Probo habitæ, Filium novissimam horam, ut Deum, cognitam habuisse, ut hominem ignorasse defendunt: nec hæreseos tamen eo nomine a quoquam postulati sunt. Agnoetarum etiam errorem Nestorianismi propaginem esse affirmat Gregorius Romanus his verbis: "Res[f] valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid quod Dei sapientia ignoret:" et in eandem sententiam Johannes Damascenus, "Qui[g] Christum progressus in sapientia et gratia perinde fecisse aiunt, ac si earum incrementum acciperet, non a primo illo carnis ortu factam esse unionem asserunt, nec personalem unionem tuentur, verum stulto homini Nestorio fidem adhibentes, habitualem quandam unionem, ac nudam inhabitationem prodigiose confingunt, nescientes, nec quæ dicunt, nec de quibus affirmant. Nam si caro ab ultimo ortu Deo Verbo unita est, imo potius in ipso extitit, ac personalem cum eo identitatem habuit; quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiæ gratiæque opibus affluxerit: non ipsa gratiam more nostro percipiens, nec in partem eorum, quæ Verbi erant, per gratiam veniens; quin potius ob personalem unionem tum humanarum, tum divinarum rerum, quæ unius Christi factæ erant

[a] Hist. Eccles. lib. 7. cap. 17.
[b] Athan. Serm. 3. contra Arrian. op. tom. 1. pag. 391.
[c] Ambros. De Fide, lib. 5. cap. 8. op. tom. 2. pag. 569.
[d] Greg. Naz. Orat. 4. de Theol. op. tom. 1. pag. 550.
[e] Cyril. Thesaur. assert. xxii. op. tom. 5. pag. 218.
[f] Greg. Reg. lib. 10. Epist. 38. op. tom. 2. pag. 1070.
[g] Damascen. de Orthodox. fid. lib. 3. cap. 22.

(quandoquidem simul et Deus et homo erat) gratiam et sapientiam ac denique omnium bonorum cumulum mundo fontis instar effundens." Ex hac vero Damasceni ratiocinatione, ut in concordia Evangelica observat Cornelius Jansenius, "tantum consequitur Christum non absolute profecisse sapientia, quasi scilicet non fuerit ab initio plenus sapientia. Probat enim Christum ratione unionis hypostaticæ ab initio semper plenum et perfectum fuisse in sapientia illa quæ Verbo propria est. De qua, ut ratio ejus solum concludit, ita etiam eum loqui, manifestum satis est ex eo quod carnem dicit sapientiæ plenitudinem participasse, non per gratiam, sicut nos, sed per unionem hypostaticam ea quæ sunt Verbi participasse. Proinde habito respectu ad hanc Christi sapientiam, non potest dici Christus profecisse sapientia, nisi quia majorem semper sapientiam factis dictisque demonstravit. Verum cum præter hanc divinam sapientiam necessario oporteat Christo quatenus homini humanam etiam tribuere sapientiam; non consequitur ex Damasceni sententia impium esse et Nestorianum asserere, hanc revera quibusdam gradibus in Christo auctam fuisse." Objiciebant Nestoriani: "Si Christum hominem et Dei Verbum unum prorsus eundemque Filium esse certo statuitis; quomodo is consummationis diem ignoravit." Respondet Cyrillus, in libro de recta fide ad Reginas: "Divinorum[h] secretorum ignorationem, neque probrosam esse creaturæ, neque eidem quoque inusitatam. Scriptum est enim: 'Quis novit mentem Domini?' Si ergo Filius, prout homo factus est, ab Angelorum perfectione nonnihil defecisse prædicatur (nam ut Deus, universæ creaturæ præstat), quid mirum est si æque atque Angeli, Dei secreta ignorare perhibetur. Nam ad se absolute quod attinet, cum is Dei Patris sapientia et virtus sit, non potest ea nescire quæ in ipso abdita latent, —— Quare licet ut homo aliquid nescivisse dicatur: ut Deus tamen omnia norat. Etsi ergo, ut homo ignorationem præ se ferret, dum de Lazaro, ubi posuistis eum, percunctaretur: mox tamen, dum potenti virtute ex mortuis illum exuscitat, Deum se esse, aperte declarat.

[h] Act. Concil. Ephes. tom. 1. cap. 6. Ed. Peltani. pag. 151. Ed. Græc.

Pie proinde prudenterque observemus, quod humana quidem largiatur incarnationis dispensationi, divina vero Patris Verbo nobis assimulato." Similiter adversus Arianos et Eunomianos, libro nono Thesauri, " sicut voluit, tanquam homo fame ac siti, cæterisque hujusmodi laborare: sic etiam ut homo diem illum ignorat. Aliquando enim ut Deus, aliquando ut homo loquitur, ut et Deum et hominem se verum ostendat: ut Deus dixit ad discipulos, Lazarus amicus noster dormit, quum nullus ei nunciasset: ut homo quum ad sororem Lazari longo peracto itinere pervenisset, interrogabat, ubi posuistis eum? qui longe absens mortuum esse sciebat, quomodo jam præsens locum ignorabat ubi corpus Lazari erat: non enim est verisimile illud eum scivisse, et ignorasse: sed utrumque ut Deus scivit, et utrumque ut homo ignoravit. Ita igitur diem illum etiam et horam et ignorat et scit, alterum ut homo, alterum ut Deus." Denique in Scholio de Incarnatione Unigeniti adversus Nestorium " Quomodo proficit puer, et sapientia impletur et gratia? secundum aliud et aliud. Cum sit enim idem ipse homo simul et Deus, propter unitatem quidem propria ducit humana: est autem perfectus et sapientiæ et gratiæ dator, ut Deus." Hæc divinus Cyrillus: quem doctorem si sequamur, intelligemus qua ratione humanæ naturæ Christi quarundam rerum tribui posset ignoratio, sine omni vel Eunomianismi vel Nestorianismi periculo.

CATHOLICA

ASSERTIO INTEGRITATIS FONTIUM,

HEBRAICORUM VETERIS,

ET

GRÆCORUM NOVI INSTRUMENTI:

ADVERSUS

PARTIS PONTIFICIÆ THEOLOGOS.

EX

PRÆLECTIONIBUS

JACOBI USSERII,

SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA DUBLINIENSI PROFESSORIS.

HIERONYM. *Epist.* 102, *ad Marcellam :*
"Si displicet fontis unda purissimi ; cænosos rivulos bibant."

MDCX.

CATHOLICA

ASSERTIO INTEGRITATIS FONTIUM

VETERIS ET NOVI INSTRUMENTI,

&c. &c.

CAPUT I.

De vero Controversiæ Statu : et Christophori de Sacro Bosco Jesuitæ tergiversatione.

EXPLICATA[a] controversia de Sacræ Scripturæ canone, de editionibus ejusdem variis deinceps disputandum est : ubi de fontium primo, deinde de translationum authoritate erit disserendum. Hac vero de re in sessione quarta Synodi Tridentinæ ita statutum legimus : " Ut libri Sacræ Scripturæ, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione Latina habentur, pro sacris et canonicis ab omnibus suscipiantur." Deinde : " Ut hæc ipsa editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur ; et ut eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat." Hinc statum controversiæ inter orthodoxos et pontificios Whitakerus[b] noster elicit : " Utrum Latina hæc vulgata editio sit authentica Scriptura, an potius Hebraicus textus in Vetere Testamento,

[a] Prælectiones de canone Sacræ Scripturæ desiderantur.

[b] Whitak. controvers. de Scriptur. quest. 2. cap. 1.

et Græcus in Novo." Et Tridentinum Concilium definivisse ait, Latinum esse authenticum: nostras vero Ecclesias statuere, Hebraicam Veteris, et Græcam Novi Testamenti esse sinceram et authenticam Dei Scripturam; itaque omnia esse ex his fontibus definienda, et versiones sic esse probandas, ut cum his fontibus conveniunt. Hic vero exclamat Christophorus de Sacro Bosco[c] a scopo aberrare Whitakerum, ut qui maxime: Tridentinam enim Synodum hujusmodi comparationem non fecisse; neque Hebraici textus, Græcive omnino meminisse. Hoc fuisse Calvini mendacium: decrevisse Tridentinos Patres, minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, et ex certa veritate falsum coarguunt. Bellarminum[d] idem ipsum observavisse (ne quis hic per impudentiam lapsum putet Whitakerum) quod Patres horum fontium mentionem nullam fecerunt, sed solum ex tot Latinis editionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent. Ad extremum Stapletoni, Reginaldi, et aliorum ex istâ fæce querelam renovat: sectarios centies refutatas ineptias, dissimulatis callide solutionibus a Catholicis ad eas datis, pro novis mercibus identidem orbi ostentare. Verum

"Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?[e]"

Conqueritur iste dissimulasse Whitakerum, quod Calvino a Bellarmino objectum est; interim homo sapiens ipse dissimulat, Bellarminianam hanc calumniam a nostris[f] non semel depulsam fuisse: ut eam cramben nobis reponere denuo ipsi non fuerit necesse. Quod igitur Bellarmino illi pro Calvino responderunt; idem sibi pro Whitakero responsum habeat Christophorus: utut Tridentina Synodus Hebraici Græcive textus mentionem explicitam non fecerit; sponte tamen ex ejus definitione sequi illud, quod Whitakerus voluerit. Respondet quidem ad hoc Jacobus Gretserus[g]:

[c] Sacrobosc. Part. I. Defens. cap. 1.

[d] Bellarm. de Verbo Dei, lib. 2. cap. 10.

[e] Juvenal. Satyr. 2. ver. 24.

[f] Sibrando Lubberto, de princip. Christian. dogmat. lib. 2. cap. 6. Fr. Junio, Animadv. in Bellarm. de verbo Dei, lib. 2. cap. 10. Ægidio Hunnio in Examine ejusd. loci.

[g] Gretser. Defens. Bellarm. lib. 2. cap. 10.

sed ita respondet, ut Whitakeri et nostram de Patrum Tridentinorum hac in re sensu sententiam, contra Christophorum plane confirmet. Nam "si quid (inquit) purum adferatur ex fontibus, id nunquam dissentiet a Latina editione vulgata: si autem dissentiat, jam hoc ipsum purum non erit." Ait quidem ille, impudenter mentiri Calvinum; "Patres Tridentinæ Synodi statuisse, minime audiendos esse alios, etiamsi ex fonte ipso purum liquorem adferant:" (quamquam ipsi Gretsero impudentiæ nota potius debeatur, qui sacrorum fontium puritatem adeo non agnoscat, ut turbidæ etiam versioni postponendos putet; non Calvino, qui de fontium puritate, ita ut res est loquitur, non quomodo Babylonicæ meretricis calice ebrii de ea imaginantur) sed quum addit, "Si purus sit, obviis ulnis acceptabitur: quia non divertet ab ea editione, quam Tridentini Patres authenticam esse declararunt: si autem divertat, jam liquor purus non erit:" hanc Patrum Tridentinorum sententiam fuisse aperte significat: editionem Latinam regulam esse debere sententiæ Spiritus Sancti in Sacris literis, ad quam etiam ipsius Hebræi et Græci textus veritas sit exigenda. Atque ita revera illos sensisse, manifestum est. Nam primo qui solam Vulgatam Latinam editionem, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habendam statuunt: iis textum Hebræum Veteris et Græcum Novi Testamenti, authenticam esse non volunt, nisi quatenus textus ille cum Vulgata illa editione congruit. atque ita versionem textui originali præferunt: et fontem Hebræum atque Græcum ad translationem, non translationem ad fontem exigendum definiunt.

At Synodus Tridentina solam Vulgatam Latinam editionem pro authentica habendam esse statuit. ita in MS. Controversiarum epitome notat Robertus[h] Personius. Concilium Tridentinum in illa quarta sessione determinasse, "ut hæc sola editio legatur seu exponatur in scholis, cantetur in divinis officiis, et ex ipsa decernantur controversiæ." Unde etiam Thomas Stapletonus[i] in Principiorum doctrinalium Relectione, controversiam hanc scholastico more ita proponit:

[h] Epitom. Controv. de verbo Dei, quæst. 3.

[i] Stapleton. Relect. controv. 5. quæst. 3. artic. 3.

"Videtur[j] quod Latina vulgata editio Veteris et Novi Testamenti non debet ab Ecclesia pro sola authentica et sacra Scriptura approbari etc.[k] sed in contrarium est authoritas summa sedis Apostolicæ et Concilii Tridentini[l]: quæ unicam videlicet Latinam veterem et vulgatam pro authentica approbavit." Et omnium clarissime Gregorius Valentianus concludit; "nullo[m] modo auctores illos audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum contendunt, posse etiam nunc editionem Vulgatam per Hebraicos et Græcos codices, tanquam per fontes (ut aiunt) in locis aliquibus, quod ad ipsam sententiam attinet, emendari. Non licet hoc facere, quin potius Græci et Hebraici codices, sicubi a nostra editione dissideant, per nostram corrigendi et emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probavit, non illos: quamquam nec illos rejecit, nisi ubi huic nostræ editioni forte contradicerent." Hactenus Valentianus. 2°. Qui partes omnes librorum Sacræ Scripturæ non aliter quam prout in Ecclesia Romana legi consueverunt, et in vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendas statuerunt: sententias illas prout in Hebræo et Græco textu habentur, pro sacris et canonicis agnosci nolunt. Longe enim aliter ibi se habent, quam in vulgata Latina habentur: quod ex uno Psalmorum libro manifestius elucescit, quam ut sine summa impudentia negari possit. At vero Tridentini Patres hoc statuerunt et quidem merito, si Sixtum V. Pontificem audiamus. Merito, inquit ille in Bulla Bibliis suis prefixa, "sacra Tridentina Synodus veteris vulgatæ editionis libros non aliter, quam prout in Ecclesia legi consueverunt pro canonicis suscipiendos decrevit." 3°. Qui vulgatam editionem ita authenticam esse statuunt, ut eam nemo rejicere in disputationibus et expositionibus quovis prætextu audeat: ne eam deseramus interdicunt, quoties aliam nobis sententiam exhibet interpres, quam quæ in textu Hebræo vel Græco cernitur. Prætextum enim nullum admittunt, qui quemvis excludunt: ut recte observat Mortonus noster. Neque ille solum sed et ante eum Johannes Hartus, nobilis ille sacerdos et con-

[j] Ibid. pag. 523. [k] Ibid. pag. 524.

[l] Ibid. pag. 525.

[m] Greg. Valent. in Analysi fidei Catholicæ, lib. 8. cap. 5.

fessor insignis (his enim elogiis a sodalibus suis[n] exornatur) idem observavit; in Collatione[o] cum D. Johanne Rainoldo pro Latina sua editione ex decreto Tridentino ita ratiocinatur. "Si nemo illorum quovis prætextu possit rejicere, tum nec prætextu textus Hebræi." Atque inde demum concludit præfracte satis: "Hebræum textum adversus Judæos allegare poteris; nam me quidem nunquam moturus est: ad Latinum nostrum semper provoco: quem nullo prætextu sum relicturus." et Johannes Azorius recitato decreto Tridentino, Hinc[q], inquit, "colligitur, quid sit dicendum cum quæritur, an in Sacrarum intelligentia sit recurrendum ad Hebraica vel Græca exemplaria, et an Vulgatæ Latinæ editionis codices sint per Hebraicos vel Græcos corrigendi. Olim cum multa esset Latinorum codicum varietas, Patres dicebant ad Hebraicos vel Græcos codices recurrendum esse. Sic Hieronymus in libro adversus Helvidium, in epistola ad Marcellam, ad Damasum, et capite octavo Zachariæ: sic Augustinus libro secundo de doctrina Christiana, capite decimo quarto. Sed postquam tam longo usu vulgata Latina editio est in Ecclesia approbata, et Concilii Tridentini auctoritate confirmata, et Romanorum Pontificum testimonio munita; non est, quod ad Hebraica vel Græca exemplaria recurramus, aut quod Vulgata Latina editio per Hebraicos vel Græcos codices emendetur." Denique Jacobus Gretserus, "Sicubi[r]," inquit, "sit dissensus; dicam potius corruptum textum Hebræum quam versione inesse vitium: et hoc dicam innixus Ecclesiæ, columnæ et firmamento veritatis, quæ hanc versionem, ut authenticam nullo prætextu repudiari sinit."

Verum quid multis opus est in re tam aperta? Et Tridentini Patres et Bellarminus Latinam editionem authenticam esse credunt. Qui vero Latinam esse authenticam Scripturam asserunt: ii fontes Hebraicos Græcosque obstruunt: quemadmodum vere affirmavit Whitakerus[s]; unico illo axiomate Bellarminianam objectiun-

[n] In Concertat. Eccl.
[o] Collat. cap. 6. § 2.
[q] Azor. Instit. mor. par. 1. lib. 8. cap. 3.
[r] App. 2. ad lib. 2. Bellarmini de verbo Dei, col. 2061.
[s] Whitak. de Scriptur. quest. 2. cap. 9.

culam prosternens, quam ab illo callide dissimulatam cavillatur Sacroboscanus. Quid vero ad argumentum propositum respondet ipse Christophorus. "Dico[t]," inquit, "id esse falsum: tum quia nihil hujusmodi intendunt (Tridentini Patres et Bellarminus) tum quia si forte fontes isti sint misere corrupti (ut quidem volunt) ipsi sunt qui se condemnant. Solum enim ex eo, quod constat vulgatam editionem esse authenticam, sequitur juvari nos ad cognoscendum, quonam modo se habeant exemplaria fontium." Sed de his plura capite tertio. Hæc in fine primi capitis Christophorus. Quonam vero modo se habeant exemplaria fontium, et an tam misere corrupti sunt quam miseri isti Tridentinæ perfidiæ patroni comminiscuntur, erit paulo post disquirendi locus, jam ostendendum breviter, verum esse illud pronuntiatum, quod falsum esse dicit Christophorus. Qui omnem editionem a vulgata Latina passim dissentientem improbare tenentur, necesse est ut exemplaria Bibliorum Græca simul et Hebræa iidem improbent. Eam enim ab his plurimis in locis discrepare; qui tantillum frontis habet, inficiari non poterit: et pluribus nos infra demonstrabimus. At vero qui Latinam editionem "in omnibus suis partibus" authenticam esse defendunt, editionem omnem quæ ab ea passim dissentit tenentur improbare, cum utique, ut inquit[u] Hieronymus, "non possit verum esse quod dissonat; ut qui utrumque velit defendere, nihilo plus agat, quam si det operam, ut cum ratione insaniat." Patres igitur Tridentini, Bellarminus, et illarum partium reliqui, cum Latinam vulgatam editionem authenticam esse defendunt; necesse est ut simul intendant, fontes Hebræos et Græcos qui ab ea dissentiunt deserendos esse, adeoque fontes in omnibus locis in quibus ab eadem discrepare deprehenduntur, condemnent. Et quidem Bellarminum hoc intendisse (quicquid dicat Sacroboscanus) tota ipsius disputatio fidem facit: nominatim vero capite undecimo libri secundi de Verbo Dei, postquam nostrorum argumentum recitasset, "Magis credendum esse quod habetur in fontibus Hebraicorum et Græcorum codicum, esse verbum Dei quam quod

[t] Sacrobosc. Defens. Par. I. in fine cap. I.

[u] Hieronym. præfat. in Josua.

habetur in rivulis versionum ;" respondet, "negari non posse, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat fontes non esse turbatos. Jam vero fontes multis in locis turbidos fluere ; vixque dubitari posse, vigilantiorem fuisse Latinam Ecclesiam, quam Græcam, in suis codicibus a corruptione defendendis," ita sine ullo circuitu sententiam suam aperuit ; quandoquidem fontes turbati sunt, versionis rivulos fontibus Scripturarum anteponendos esse. Quid vero sibi vult, quod hoc in loco scribit Christophorus : "Ex eo, quod constat Vulgatam editionem esse authenticam, sequi, juvari nos ad cognoscendum, quonam modo se habeant exemplaria fontium." An non etiam ille in eorum concedit sententiam (adversus quos pugnat Whitakerus) : qui non fontibus Vulgatæ editionis exemplaria, sed ex Vulgata editione fontium exemplaria æstimanda existimant. Et certe capite tertio, quo nos ad sententiam suam plenius cognoscendam hic remittit, ultro dat[x], "sequi ex sua sententia, et Ecclesiæ suæ definitione ; si Hebraica aut Græca exemplaria quæ modo habentur uspiam in iis quæ ad fidem aut mores Ecclesiæ attinent, dissideant a Vulgata editione Latina, tunc ea postponi oportere Vulgatæ editioni, et quid mirum ? (inquit) nam ea hypothesi data sequitur illa exemplaria non convenire cum primis exemplaribus, quæ fontes fuerunt editionis Vulgatæ : quod facile accidere potuit culpa Hebræorum, aut Græcorum, qui non ita bene conservarunt fontes ac Latini suam translationem." Tum multa subjicit de locis quibusdam ab Hebræis in Vetere Testamento corruptis, ac de malâ cum Judæorum tum Græcorum fide : quæ nos suo loco reservabimus, concludit tamen ad extremum, ista non eo esse a se dicta, "quo damnata velit Hebraica, vel Græca exemplaria quæ ad nos pervenerunt." Quod perinde est (ut quod inepte Whitakero ipse paulo ante accommodavit, nos justissime ad authorem transferamus) ac siquis Christophorum vocaret nebulonem, moneret tamen se bene de homine sentire. Quomodo enim ille Hebraica et Græca exemplaria damnata nolit, qui cum hic tum alibi[y] tot corruptelis depravata contendit ?

[x] Sacrobosc. Par. I. cap. 3. p. 18. [y] Pag. 35, 36, 382, etc.

quorsum igitur hæc omnia de Hebraicis et Græcis exemplaribus. "Nimirum[z], ut ostendam," inquit, "si quid majoris momenti in illis reprehendendum sit, cuinam causæ id possit merito adscribi: ita ut non propterea in dubium revocari oporteat authoritatem Vulgatæ editionis." Nimirum hoc illud est quod nos indignamur a Bellarmino et aliis decreti Tridentini patronis defendi, et defendi Christophorus negavit, tantam esse Vulgatæ editionis authoritatem, ut potius quam admittantur ad normam fontium exigendam, causas nescio quas a quibus fontium corruptela profecta fuerit, comminiscantur; atque ita quæ a Deo fontibus est data *αὐθεντείαν* detrahant, ut illam versioni humana opera elaboratæ impertiantur. Quam sententiam suam etiam in quarto primæ partis capite aperte prodit Jesuita hic noster. Asserit enim jure facere Pontificios, quod nolint versionem suam ad fontes examinari, "si[a] per fontes intelligantur ii codices Hebraici, et Græci, qui modo habentur: non enim constat (ait ille) eos cum suis fontibus, id est, primis exemplaribus convenire: quibus tamen conformem esse nostram versionem nos certos facit Ecclesia[b]." Additque ad hujus rei confirmationem: Hieronymi tempore non fuisse semper tutum translationem ad codices qui tunc habebantur emendare; multoque igitur nunc minus, cum adeo crevit malitia et inscitia, tum Hebræorum, tum Græcorum. Mitto quod parte secunda, capite sexto[c], profanam illam Wilhelmi Reginaldi[d] apostatæ sententiam approbat: "Appellationem a Vulgatâ editione ad Hebraicam et Græcam lectionem, cum ea libertate quam sibi nunc sumunt homines, expeditissimam esse viam ad fidem penitus extirpandam, ad apostasiam, ad atheismum." Illud tantum observari volo, quanam fide (qui fidem hic in adversario suo desiderat) in hac causa usus fuerit Sacroboscanus: dum Whitakerum cardinem controversiæ ex Calvino expiscatum, et pro statu quæstionis parentis sui confutatum mendacium (sic enim homo mendacissimus appellat) nobis proposuisse, cavillatur. Si enim editio

[z] Sacrob. p. 23.
[a] Sacrob. p. 34.
[b] Conc. Trid. Sess. 4.
[c] Sacrob. p. 169.
[d] Reginald. in Refutat. Reprehens. Whitakeri, cap. 14. p. 297.

Vulgata Latina ita authentica sit, ut ad codices Hebraicos et Græcos, qui modo habentur, examinare eam non liceat; si loca Hebraicorum et Græcorum exemplarium, quæ ab editione Vulgata dissentiunt, a primorum et authenticorum explarium fide recesserunt. Si ea fuit Synodi Tridentinæ sententia (quemadmodum ex ipsius Decreto, ejusque interpretibus Pontifice et Pontificiis planum fecimus), si denique Bellarminus, si Christophorus de Sacro Bosco (sicut locis ex ipsorum disputationibus prolatis evicimus) illud ipsum arcte tenent, qua fronte clarissimum Whitakerum damnare potuit Jesuita, quod statum hunc esse quæstionis concluserit: "Utrum Latina Vulgata editio sit authentica Scriptura; an potius Hebraicus textus in Vetere Testamento, et Græcus in Novo?" Certe Johannes Azorius[e], cum quæstionem proposuisset, "An ex approbatione Vulgatæ et Latinæ editionis damnentur exemplaria Hebraica vel Græca, ex quibus tanquam ex fontibus Latina editio fluxit?" respondet quidem, eodem modo quo Bellarminus et Christophorus de Sacrobosco, "Concilium nihil decrevisse de Hebraicis aut Græcis exemplaribus, quæ nunc extant; sed inter Latinas editiones veterem Vulgatam tanquam authenticam recepisse: quare Hebraicam vel Græcam lectionem in Concilio damnatam non esse." Verum quum ulterius quæreretur, "An suam fidem et auctoritatem etiam nunc retineant exemplaria Hebraica et Græca, quam ante habebant?" Respondet, "retinere quidem ubi incorrupta et integra fuerint, ita tamen, ut si cum sensu Vulgatæ Latinæ editionis omnino pugnent ea, quæ nunc extant, Hebraica sive Græca exemplaria, pro canonica Scriptura sit nobis habenda Vulgata Latina editio, posthabito contrario sensu Hebraicæ vel Græcæ lectionis: "nunquam enim (inquit) in rebus fidei et morum dubius sensus est eligendus aut sequendus rejecto certo et indubitato: sed Ecclesiæ decreto, vel usu approbata est Latina Vulgata editio: ergo sensus, quem certo et evidenter reddit nobis est certus et indubitatus; at quem reddit Hebraica vel Græca lectio, quæ nunc

[e] Azor. Part I. Institut. Moral. lib. 8. cap. 3.

extat, dubius et incertus, quoniam nihil certi de ea lectione Ecclesia constituit, ergo tenendum est certum, relinquendum incertum et ambiguum." Similiter Guilhelmus Alanus, Gregorius Martinus, Richardus Bristous[g], cum reliquo Anglo-Rhemensium sodalitio, in præfatione quam Novo Testamento in Anglicum sermonem a se translato præfixerunt, libere profitentur[h]; Vulgatam editionem non modo reliquis omnibus Latinis translationibus meliorem esse, sed et Græca ipsa editione, in iis locis in quibus differunt: seque hac ratione inductos, Latinum vulgarem potius quam Græcum textum transtulisse; quòd illum Græco sinceriorem et minus incorruptum esse perspexissent. Posteaque ad idem seminarium factus transfuga Guilhelmus Reginaldus (qui toties in Sacroboscani margine apparet) in Refutatione Reprehensionis Whitakeri, capite duodecimo[i], hoc ipsum pertinaciter defendit: Latinam editionem Vulgatam fontibus quos nunc habemus esse puriorem: et capite decimotertio addit[k]: "Tridentini Concilii decretum multis clarissimis et evidentissimis niti rationibus; sive cum Hebræo et Græco nunc extantibus, sive cum novarum versionum aliqua comparemus." Ita Thomas Stapletonus negat[l] "hæreticorum (quos appellat) opinionem illam subsistere posse, quæ asserit, cæteras versiones Veteris Testamenti sic esse retinendas, ut liberum sit semper, adeoque necessarium, ad fontem Hebraicum recurrere, tanquam certius quiddam et indubitatum Dei verbum:" et in articulo tertio ait, "textum Græcum (ut et Hebræum) varium, corruptum, et dubium esse: solam Latinam versionem, sicuti et Latinorum fidem, puram et sinceram et orthodoxam permansisse." Similiter Nicolaus Zegerus in Epanorthotæ sui Prologo, negat "Græcam editionem Novi Testamenti solidæ veritatis fontem esse: illique tantum fidendum esse, quantum Vulgatæ Latinæ: quod Græcorum codices, præsertim paulo antiquio-

[g] Possevin. lib. 2. Biblioth. select. cap. 12.

[h] Rhem. Prefat. ss. 35. 48. et 51.

[i] Reginald. contr. Whitak. pp. 295, 296.

[k] Ibid. p. 390.

[l] Stapleton. Prelec. Princ. doctrin. controv. 5. quæst. 3. in explicatione articuli primi.

res, longe sint corruptiores quam Latinorum." Est igitur ille genuinus hujus controversiæ status, a Melchiore Cano (quem erudite sane et diligentissime hac de re scripsisse ait Valentianus[m]) propositus: "An[n] scilicet in sacrarum literarum intelligentia ad Hebraicum Græcumque fontem sit recurrendum? An potius editio ipsa Latina tam magnæ sit auctoritatis et ponderis ut nec ab originali Scriptura pendeat, nec per eam aut corrigi oporteat, aut limari?" vel, ut quæstionem statuit Wilhelmus Lindanus libro primo de optimo genere interpretandi, capite primo, "Undenam solida sacrarum literarum veritas sit petenda? an ex veritate Hebraica vel fonte Græco? an de Vulgata potius editione Latina sit perquirenda, quod venerandis in Concilio Tridentino Patribus nuper placuit?" Tum defendendum sibi sumit: "Vulgatam versionem aliis omnino non versionibus tantum et castigationibus novis, verum ipsis etiam Hebraicis codicibus Græcisque hodie in vulgus nobis esse multo et præstantiorem et veriorem, adeoque sententiæ authoris sui multo affiniorem." Idque omnino defendi oportet ab iis qui decreti Tridentini seriam defensionem in se recipiunt. Ut Sacroboscanus noster, dum certamen hoc voluerit defugere, in ipso primo congressu arenam turpiter deseruerit; causamque Pontificiam plane prodiderit. Itaque nobis contra Tridentini decreti patronos fontium Hebræorum et Græcorum authoritas asserenda est: cujus justissimæ assertionis solidum hoc a nobis substernitur fundamentum.

Ea editio quæ ab ipso Spiritu Sancto profecta est, et a Prophetis atque Apostolis Ecclesiæ primum tradita, pro authentica agnoscenda est; normaque esse debet, ad quam translationes humana industria elaboratæ examinari debeant.

Hujusmodi vero est Hebraica Veteris, Græca Novi Testamenti editio: ne ipsis quidem adversariis refragantibus. Agnoscunt omnes, Vetus Testamentum per Prophetas sermone Hebræo exaratum esse: exceptis quibusdam capitulis Danielis et Ezræ, ac unico Jeremiæ versiculo, Chaldaice scriptis: similiter et "Græca editio Testamenti Novi uni-

[m] Can. lib. 2. locor. Theolog. cap. 12.

[n] Valentian. Analys. fid. Cathol. lib. 8. cap. 5.

versa, Apostolos et Evangelistas auctores habet," fatente Bellarmino[o].

Hebraica igitur editio Veteris et Græca Novi Testamenti editio authentica est: et norma, ad quam versiones omnes sunt exigendæ.

Hoc firmissimum sententiæ nostræ fundamentum concussisse sibi videntur adversarii, omnemque argumenti hujus vim infregisse: dum propositionem nostram de editione pura et sincera intellectam concedunt; corruptæ vero et depravatæ, qualem eam esse dictitant quæ ad nostra tempora pervenit, accommodatam inficiantur. Ita Bellarminus, "dubium[p] (inquit) esse non potest, quin editio Apostolica summæ sit authoritatis; nisi forte constet eam esse corruptam." Addit idem capite undecimo: "negari non posse quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere." Et Thomas Stapletonus ad argumentum quo dicebatur: Majorem esse puritatem fontis quam rivuli, ideoque Hebraica potius veritate, quam alia versione uti debere Ecclesiam: respondet; "verum[q] id esse de fonte puro et incorrupto: sed talem nunc non esse Hebraicum textum," quomodo: et articulo secundo, "Novi Testamenti Græcum textum propter exemplarium maximam varietatem et dissonantiam, atque item corruptelas varias, hodie valde incertum et dubium esse" respondet. Similiter Anglo Rhemenses, Præfatione in Novum Testamentum Anglice conversum[r], se hac ratione inductos Græco textui Novi Testamenti Latinam editionem prætulisse affirmant: eamque duntaxat ob causam fontes se dereliquisse, quòd eos corruptos fuisse judicaverint; profitetur Guilhelmus Reginaldus[s]. Sic et Julius Rugerius dicit, "tum[t] Hebraicos tum Græcos codices vitiatos et inquinatos esse: quorum propterea lectio-

[o] Bellarm. de Verb. Dei, lib. 2. cap. 7. [p] Ibid.

[q] Stapleton. Relec. Princ. doctrin. cont. quæst. 3, art. 1.

[r] Rhem. Præfat. ss. 35. et 51.

[s] Reginald. contr. Whitak. cap. 12, pag. 292.

[t] Ruger. opusc. de lib. canon. cap. 42.

nem Vulgatæ Latinæ opponere non debeamus." Et Alphonsus Salmeron "Hebræam[u] lectionem multis in locis corruptam esse asserit, et vitiatam: ac proinde non esse tutum illi omnino niti, et fidem nostram adjungere, nisi judicium adhibeamus, ac diligenter omnia verba penderemus." Additque postea "Judæos[x] pro libidine sua infinitos pene Scripturarum locos depravasse: et Hebræam[y] lectionem ita esse variam, dubiam, et incertam, ut nihil pene sit illi fidendum, nisi rectum et certum judicium habeamus, quare[z] non esse sic consulenda Hebræa, ut putemus esse fontem purum et incorruptum: quia Græca LXXII. virorum interpretatio, et Latina Hieronymi plerumque purior sit atque emendatior." Defendit etiam Johannes Mariana, Jesuita, Græcos et Hebraicos "fontes[a] multis magnisque sæpe maculis esse turbidos, ut illis fidendum esse non magnopere videatur." Hoc ipsum defendit peculiari libro Wilhelmus Lindanus: et libro secundo Locorum Theologicorum, Melchior Canus, cui[b] sanioris consilii videtur, "limpidam aquam e lacunulis defæcatis, quam ex turbato fonte liquorem obscœnum bibere." Id quod etiam Gregorio Valentiano probatur: ut alios innumeros ejusdem sententiæ assertores prætermittam. Quare illa quæstio disceptanda relinquitur: An fontes ita contaminati sint, ut ἀυθεντείαν amiserint; et Latinæ translationi postponendi sint?

Id vero nos pernegamus: et ad sententiam nostram confirmandam argumenta eadem proferimus, quæ ab ipsis Pontificiis, Roberto Bellarmino, Aria Montano, Sixto Senensi, Johanne Driedone, Didaco Payva Andradio, Johanne Isaaco, etc. ad fontium authoritatem tuendam adhibentur. Etsi enim Bellarminus[c] et alii id tantum suis argumentis confectum volebant; Judæos in odium Christianæ fidei nequaquam studiose depravasse et corrupisse multa loca Scripturarum; adeoque in universum atque omnino fontes non

[u] Salmeron. Prol. 4. in Evang. pag. 29.
[x] Ibid. pag. 36. a.
[y] Ibid. pag. 39. b.
[z] Ibid. pag. 41. a.
[a] Mariana, pro edit. vulgata, cap. 16. et 24.
[b] Can. loc. Theol. lib. 2. cap. 14.
[c] Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 2.

esse corruptos: nos tamen ex iisdem etiam illud deducemus quod proposuimus; fontes ita corruptos non esse ut authentici esse desierint, utque ex Latina editione tutius ac certius sententia Spiritus Sancti quam ex illis petenda fuerit. Id quod illi tenere debebunt, qui Tridentini decreti patrocinium susceperint: quemadmodum ante pluribus a nobis est ostensum.

CAP. II.

Argumenta pro Fontium Integritate proponuntur.

I. Primum vero illud nobis argumentum, quod a Bellarmino ultimo loco proponitur; "a Providentia ductum, qua Deus Ecclesiæ suæ semper prospicit. Non enim verisimile est, Deum id passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum (similiter et Apostolorum) generaliter falsarentur:" ait Bellarminus[a]. Addunt vero nostri: cum profanorum scripta, Homeri, Pindari, Herodoti, Xenophontis, Platonis, Demosthenis, etc. aliquot ante Novum Testamentum seculis exarata, ita in integritate sua conservata fuerint; ut ipsorum translationes linguæ, in qua a primis authoribus sunt edita, exemplaribus semper subjicerentur, ad quæ quoties de sententia authoris moveretur controversia, suprema semper fieret provocatio: minus esse verisimile, in scriptis illis divinis, quæ tantopere ad æternam spectant hominum salutem, ita dormitasse custodem Israelis, ut Scriptura originalis Spiritus Sancti afflatu edita, quæ aliquando princeps fuerat et omnium domina, Latinæ translationi jam fieret tributaria.

II. Adjungunt et aliud nostri argumentum, ab eadem Dei providentia desumptum; quæ cum in minimis non defecerit, in maximis defecisse non est putanda. Si ne minima quidem et vilissima sit creatura, quæ Dei omnia sustentantis potenti manu, in specie sua hucusque non fuerit conservata, et deinceps conservabitur: quanto minus putandum erit, divina oracula, præcipuum manus opus ejus, unde major et ipsi gloria, et populo ejus fructus, quam ex creaturis illis accidit; excidere potuisse? Imo si Dei providentiæ librum Levitici et ceremoniarum jam abolitarum memoriam, ad nostra tempora conservare visum est, quod inde

[a] Bellarm. de Verb. Dei, lib. 2. cap. 2.

utilitas aliqua ad Ecclesiam dimanare posset: si nec minimum Psalmum[b] perire passus est, ne illa quidem quæ iisdem fere verbis in aliis Scripturæ locis repetuntur: quanto magis Providentiam illam excubuisse existimabimus, ne utriusque Testamenti verba a Sancto ipsius Spiritu dictata ita corrumperentur, ut amissa primæva *αὐθεντεία*, ab humanæ translationis authoritate dependere opus habeant.

III. Si fontes hoc modo essent depravati, sequeretur verba illa periisse, quibus sententiam suam expressit Spiritus Sanctus. Hoc vero admittendum non esse, in hunc modum confirmamus. Si verba ab ipso Spiritu Sancto dictata amittenda essent, deberent eorum loco substitui alia *ἰσοδυναμουντα*, quæ scilicet non minus commode ac plene sententiam Spiritus Sancti exprimere possent, quam illa. At nulla dantur hujusmodi: "*οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς Ἑβραϊστι λεγόμενα, καὶ ὅταν μεν ταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν*: non enim æque valent eadem per se, quum dicuntur Hebraice, et quando fuerint translata in alteram linguam." quemadmodum in Ecclesiastici sui Prologo confirmat Jesus Siracides: "*ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ νόμος, καὶ αἱ προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων οὐ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα*: sed et ipsa lex, et prophetiæ, et libri reliqui, non parvum habent differentiam, sermone suo enuntiata:" quantumvis a peritissimis traducta interpretibus, cujusmodi Siracidæ temporibus integra extabat Legis interpretatio, LXXII. interpretum opera[c] sancte et fideliter elaborata. Hinc ille Augustini Canon (qui in Decretum[d] etiam relatus est) "Locutio[e] divinarum Scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur videntur absurda." Hinc etiam qui integritatis fontium hostes sunt acerrimi, Wilhelmus Lindanus[f], Melchior Canus[g], Gregorius Valen-

[b] Ut Psalm. 14 et 53. Psalm. 18 et 2. Sam. 22. etc.

[c] Καλῶς και ὁσίως καὶ ἀκριβῶς. Aristæus. in lib. de LXX. Interpr. Euseb. lib. 8. præpar. Evang.

[d] Dist. 38. c. Locutio.

[e] August. de vera rel. cap. 50. op. tom. 1. pag. 783.

[f] Lindan. de opt. gen. Interpr. lib. 3. cap. 10. 11.

[g] Can. lib. 2. locor. cap. 15.

tianus[h], coguntur concedere a codicibus Latinis ad fontes recurrendum, ut intelligantur vocabula, quæ magnam emphasim habent, aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos et Græcos, quam Latinus sermo exprimere non valet: cujus generis dictiones multas cum in Hebraicis quæstionibus tum in commentariis ab Hieronymo annotatas, observat Canus. Quibus addo Ariam Montanum, in Commentatione[i] de varia Hebraicorum librorum scriptione et lectione, in hunc modum argumentantem : "Græcam linguam verborum splendore et ubertate, et multiplici compositione, ac significatione Latinæ præexcellere, nemo vel qui utramque leviter degustarit, est qui ambigat. Atqui sacrorum verborum majestatem, pondus, numerum, et significationis vim Græce reddi exprimique posse, Ecclesiastici libri concinnator negat." Conclusionem Christophoro nostro colligendam relinquo : et simul expendat rogo major in illo fuerit audacia, an inscitia, qui scribere non erubuit : "Latinum[k] textum emphaticum satis esse, et Spiritus Sancti sensum explicare, majestatemque assequi, satisque in se lucis habere ad Scripturæ sententiam illustrandam." Quod si me monitorem non audiat, Lindanum[l] suum consulat, capitibus aliquot integris insanum hoc paradoxum refutantem. Andradium consulat, Tridentinæ item fidei defensorem. Is collatione Latinorum exemplarium cum Hebraicis agens, "Ut[m] vulgatam (inquit) interpretem concedamus summa omnia fide et integritate reddidisse, efficere tamen non potuit, ut Latinæ linguæ angustiæ cum Hebræa fœcunditate certarent :" et de collatione textus Latini cum Græco verba faciens, "cum[n] sæpe," ait, "ac sæpius accidat, ut sententiæ vel sint obscurius, vel parum diligenter a Latino interprete redditæ, vel Græcæ orationis vis non possit Latine apte explicari : magnum certe nobis aditum ad Novi Testamenti cognitionem Græca afferre solent." Si nec hos

[h] Valent. lib. 8. Analys. fidei, cap. 5.
[i] Bibliis interlineatis anno 1584. editis præfixa.
[k] Sacrobosc. part 2. cap. 9. pag. 188.
[l] Lindan. lib. 2. de opt. gen. interpr. cap. 10, 11, 12.
[m] Andrad. Defens. lib. 4. pag. 657. [n] Ibid. pag. 690.

audire volet Christophorus, Patres saltem audiat, a Cano citatos[n] id ipsum passim testificantes. Hilarius in illud Psalmi 118: Omnis consummationis vidi finem: "frequenter," inquit, "admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis translatione præstari. Alia enim vis dicti hujus est ex Græco enuntiati." Similiter Ambrosiusin explanatione Psalmi 118: "Latinos," ait, "non posse in omnibus vim Græci sermonis exprimere. Quod in Græco plerumque major sit vis et pompa sermonis." Et Hieronymus in commentariis Epistolæ ad Ephesios: illud quod in Vulgata habetur editione, "A constitutione mundi" explicans, "Non idipsum," inquit, "καταβολὴ, quod constitutio sonat. Unde et nos propter paupertatem linguæ et rerum novitatem, et sicut quidam ait, quod sit Græcorum sermo latior et lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre e verbo, quod impossibile est, quam vim verbi quodam explicare circuitu." Summa est: cum in versionum rivulis sententia Spiritus Sancti plene et plane inveniri non possit; integros nobis et illibatos relinquendos esse fontes, in quibus suis ipsius verbis sententiam suam Spiritus Sanctus expresserit.

IV. Sacrosanctæ Scripturæ, quod corrupta sit, impingere, impium esse recte pronuntiat Johannes Isaac contra Lindanum "Cum[o] enim hic," ait ille, "ipsius Christi et Sacrosanctæ Scripturæ veritas, honos et majestas in dubium vocetur; quis non impietatis plenum facinus judicet? quis tales homines legis Corneliæ non reos peragat, qui impudenti ausu Hebraicæ veritati derogare, omnemque authoritatem adimere non vereantur?" Neque hic evadent Bellarminus, et alii, qui satis esse putant, si agnoscant fontes in universum non esse depravatos; cum ita tamen depravatos volunt, ut eorum vacillet authoritas. Sic enim ex uno loco colligit Abulensis adversus universorum Hebraicorum codicum fidem: "Cum[p] semel constet aliquid deficere, semper erit præsumptio, quod

[n] Can. loc. theol. lib. 2. cap. 15.
[o] Joh. Isaac. lib. 2. contr. Lindan. pag. 80.
[p] Alph. Tostat. in Josu. cap. 21. quæst. 12.

aliquid deficere poterit." Et est sane illa in Talmude[q] Hierosolymitano Hebræorum sententia non aspernenda: דיתיקא שבטלה מקצתה בטלה כלה: Testamentum quod deficit in parte deficit in toto. Quomodo argumentatur Augustinus, "Mihi[r] videtur exitiosissime credi aliquod in libris Sanctis esse mendacium,—Admisso enim semel in tantum authoritatis fastigium officioso aliquo mendació, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis autoris consilium officiumque referatur." Et "Si[s] ad Scripturas Sanctas admissa fuerint velut officiosa mendacia quid in eis remanebit authoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas. Statim enim ut protuleris, si aliter sapit qui contra nititur, dicit illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum." Ad eundem modum de exemplaribus Novi Testamenti disputat Sixtus Senensis: "Si[t] quid quantumvis minimum in Novo Testamento falsatum esse dicatur; omnis Novi Instrumenti fides auctoritasque adimitur. Sicut enim de corruptione partis unius suspicari licebat, ita et de cæteris ejus partibus opinari licebit: cum nulla potior causa sit, cur hæc magis pars quam illa incontaminata servari debuerit." Et de Hebræis codicibus Veteris Testamenti Andradius. "Illud[u] si semel persuadeant, nullum non dubium, nullum non calumniæ invidiæque obnoxium testimonium peti non poterit. facile enim quisque ex his, quæ a Judæis illi contaminata fuisse contendunt, omnia poterit in dubium revocare, et quæ a majoribus se Judæi didicisse, et sanctissimos vates a Deo accepisse affirmabunt, ab eisdem fuisse conficta, non sine aliqua verisimilitudine opinari: cum levissima sit eorum authoritas, quos gravissimi sæpius mendacii convincimus." Denique de universa sacra Scriptura Al-

[q] In סנהדרין fol. 20.
[r] August. ad Hieronym. epist. 28. op. tom. 2. pag. 47.
[s] August. ad Hieron. epist. 40. op. tom. 2. pag. 84.
[t] Sixt. Sen. lib. 7. Biblioth. Sanct. hæres. 1.
[u] Andrad. lib. 4. defens. fidei Trident. pag. 623.

phonsus Tostatus: " Si[x] dicamus hic Sacram Scripturam esse corruptam, eodem modo poterimus dicere de quolibet alio loco, cum sit eadem ratio: et cum non possit probari veritas Sacræ Scripturæ per aliquam rationem priorem, manebit nobis dubium de tota Sacra Scriptura, quia poterimus dicere eam in omnibus locis esse corruptam, vel saltem non erit nobis firmum aliquam partem ejus esse veram. Sic enim arguit Augustinus, et habetur in Decretis[y]." Et Gilbertus Genebrardus in Chronographia sua: " Nimis[z] temere Severus Sulpitius erroris vel mendi arguit locum 3. Reg. 6 cap. et Funcius cap. 13. Actorum. Nam ut inquit Augustinus si semel fateamur locum aliquem Scripturæ esse corruptum, aliorum authoritas vacillat, nec jam sacra est."

V. Pro integritate Scripturarum illud etiam usurpare licebit argumentum, quo utitur in Ὁδηγῷ suo Anastasius Sinaita, ita scribens: " Αἱ[a] μὲν γὰρ εὐαγγελικαὶ, καὶ ἀποστολικαὶ [γραφαὶ] οἴδαμεν ὅτι ἀνόθευτοι εἰσὶ, καθὰ περὶ τούτου διαφόρως συνετάξαμεν λέγοντες, ὅτι διαδοθέντος καὶ γραφέντος του εὐαγγελίου ἐν τοῖς γράμμασι τῶν ἑβδομηκοντα δύο γλωσσῶν, καὶ ἐθνῶν, ἀδύνατόν ἐστι ῥαδιουργίαν, ἢ μείωσιν, ἢ προσθήκην ὑπομεῖναι αὐτῷ. Κᾂν γὰρ μιᾶς ἢ καὶ δευτέρας γλώττης ἐπεχείρησέ τις νοθεῦσαι τὰ βιβλία, ἠλέγχετο εὐθὺς ὑπὸ τῶν ἄλλων ἑβδομήκοντα γλωσσῶν ἡ ῥαδιουργία αὐτή. Scripta Evangelica et Apostolica scimus depravari non posse; quemadmodum variis locis jam ostendimus; eo quod Evangelium septuaginta duarum linguarum et gentium literis consignatum sit. Quare fieri nequit, ut vel detractione vel additione a sceleratis corrumpatur. Nam licet quis unius vel alterius linguæ libros falsare conaretur; improbitas tamen ista statim delegeretur et redargueretur ab aliis septuaginta linguis." Hæc Anastasius. Eodem argumento usus est etiam Hieronymus, Præfatione in Evangelistas ad Damasum. " Prætermitto eos codices quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio; quibus utique nec in toto vetere

[x] Tostat. Abulens. in 4. Reg. cap. 24. quæst. 8.
[y] Distinct. 9. cap. Si ad scripturas.
[z] Genebrard. Chron. lib. 1. an. mund. 2727.
[a] Anastas. ὁδηγ. pag. 338.

instrumento post Septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse: Cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse quæ addita sunt." Nimirum illorum libros non recepit Ecclesia, ut inquit in commentariis ad hanc Hieronymi Prefationem Alphonsus Tostatus, "quia[b] cum ante hoc totum Novum Testamentum scriptum est per totum orbem in variis linguis; cum legerunt exemplaria Luciani et Hesychii, invenientes in eis plura esse quam fuerant in antiquis codicibus, quos Ecclesia a principio susceperat, viderunt clare falsa esse, et ab istis conficta, quæ addita fuerant." Extant vero hodie Veteris Instrumenti Chaldaicæ versiones antiquissimæ[c], quarum aliquæ ante Christi tempora conscriptæ, ut Targum Jonathanis filii Uzzielis; quædam paulo post, ut Onkeli proselyti, quem Hebræi sororis Titi Imperatoris filium fuisse asserunt; aliæ circiter quartum a Christo nato sæculum ut R. Joseph atque Hierosolymitana paraphrasis. Jam Chaldaicæ istæ paraphrases, quemadmodum recte observatum est a Francisco Luca Brugensi, "antiquissimorum[d] Hebraicorum exemplarium loco usui nobis esse possunt: ut cum, ut fit, corruptelæ arguitur Hebraicus qui hodie est textus, quique ei consonat Vulgatæ editionis Latinus, ex Græcorum qui aliter legisse conspiciuntur interpretatione, his paraphrasibus adversarii redarguantur." Quod idem etiam dici posset de Latino Vulgatæ editionis textu, præsertim in Psalmis, "de[e] quorum depravatione præcipua quærimonia est": ubicunque ab Hebraica veritate dissidet. Quo spectat imprimis, Latine ex Hebræo ab Hieronymo translatum Psalterium: quod ab editione Vulgata Latina[f] ubique fere dissentit, saltem quoad verba; et tamen[g] cum textu Hebraico, quæ nunc extat, in omnibus convenit, quemadmodum agnoscit Bellarminus. Mitto quæ a veteribus passim citata habemus Græcorum Inter-

[b] Tostat. commentar. in prolog. 2. in Evang. Math. quæst. 5.

[c] Elias, in præfat. Methurgeman. Galatin, lib. 1. cap. 3.

[d] Luc. Brug. in parte priore tractatus de usu Chaldaicæ Paraphras.

[e] Bellarm. de verb. Dei, lib. 2. cap. 2.

[f] Ibid. cap. 9. [g] Ibid. cap. 2.

pretum fragmenta: Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, authorum item quintæ et sextæ editionis (quos[h] Hebræos, sed pios putat Hieronymus) qui ex Hebræa lingua Vetus Testamentum transtulerunt. Huc facit et Syriaca utriusque Testamenti translatio, quam "ab Apostolorum temporibus hucusque magno omnium Orientis populorum, qui Chaldaica sive Syriaca utuntur lingua, consensu retentam, et semper summa in veneratione et autoritate esse habitam et demum publice in omnibus eorum Ecclesiis antiquissimis constitutis in Syria, Mesopotamia, Chaldæa, Ægypto, et denique in universi Orientis partibus, dispersis ac disseminatis, lectam esse ac legi," in Præludio de Chaldaicæ linguæ utilitate (Grammaticæ suæ Syriacæ præfixo) refert Georgius Amira Syrus. Ac novi quidem Testamenti editio Syriaca, typis aliquoties excusa passim extat: cujus[i] exemplar, jam ab anno 1500 regni Alexandri (circa annum Christi 1190) manu descriptum, secum ab Oriente attulit Guilhelmus Postellus: "Eoque ut a S. Marco converso omnes Ecclesiæ Asiaticæ et Africanæ usque ad hunc diem, etiam ipsi Abyssini qui presbytero Johanni subsunt (licet alterius linguæ sunt) utuntur:" si Roberto Personio[k] fidem adhibemus. Unde non male tenet Franciscus Lucas Brugensis, "Syriacum[l] Novi Testamenti textum, vetustissimi exemplaris Græci, et quidem in primis, loco habendum ac venerandum esse:" atque[m] "ad eadem conferre in Novo Testamento, ad quæ in Veteri Chaldaica confert Paraphrasis." Quod idem etiam de Syriaca Veteris Testamenti translatione dici posset: cujus apud[n] Veteres crebra mentio; quamque S. Thaddæi Apostoli et Abgari Syrorum regis tempore factam fuisse, ex Prologo quodam Psalterio

[h] Baron. an. 231, s. 9.

[i] Guido Fabricius, præfat in Nov. Testam. Syriac. tomo. 5 Bibli. reg.

[k] Person. in Epitome controvers. de verbo Dei, qu. 3. cap. de Edit. Syriaca.

[l] Fr. Luc. Brug. in Prolegomenis commentar. in 4 Evang.

[m] Idem in priore parte tractatus de usu Chaldaicæ Paraphras.

[n] Basil. magn. in Hexaemeron, homil. 2. Euseb. Emesen. in Catena Græca in Genesin. Ambros. lib. 1. Hexaemer. cap. 8. Augustin. de civit. Dei, lib. 15. cap. 13. Theodoret in Jonæ 3. cap. Polychronium in Daniel 3. cap. in Catena Græca test. Caraga Mosem Bar-cepha, in commentar. de Paradiso.

Syriaco præmisso tradit in loco citato Georgius Amira. Cum enim editio qua in Ecclesiis suis et olim usi sunt et adhuc utuntur Syri, in Vetere quidem Testamento[p] conveniat cum Hebræo textu, in Novo vero consentiat[q] cum Græcis exemplaribus locis omnibus, in quibus a versione Latina ii discrepant, etiam in illis quæ corrupta esse vitio temporum aut hominum culpa suspicantur Pontificii: magno illud argumento est, neque a recentioribus Rabinis Hebræum, neque a Græcis Græcum quem hodie habemus textum depravatum esse. Neque etiam hic contemnendæ fuerint librorum Veteris Testamenti[r] traductio Persica a Jacobo Tavusio Pavone, et Arabica a Rabi Sahadia Gaone elaborata quæ[s] in Africa ubique legitur, et quam Hebræorum peritissimi sequuntur ac allegant tanquam authenticam: aut Novi Instrumenti in[t] easdem linguas factæ translationes. Ubi de Arabicis Evangeliis illud Nicolai Clenardi testimonium non est prætereundum, "Nactus[u] sum," inquit, "codicem descriptum, et versum abhinc annis sexcentis. Habeo et aliud exemplar ex eadem translatione descriptum. Reperio pleraque omnia sic se habere, ut hodie legimus in Græcorum codicibus quos secutus est Erasmus. Illud Johannis ultimo: 'Si eum volo manere.' Et illud in Luca. 'In terra pax, hominibus bona voluntas' et reliqua quæ Erasmus restituit: ne putemus olim aliter legisse Græcos, quam hodie sonant vulgata exemplaria." Hæc ille. Idem de aliis omnibus antiquis Novi Testamenti Versionibus sentiendum[x]: cujusmodi illa est qua utuntur

[p] P. Galesinius de Bibliis Græcis, pag. 53. Josephus Scaliger. lib. 3. Canonum Isagogicorum, pag. 261.

[q] Joh. Mariana pro edit. vulgata, cap. 12.

[r] Utriusque meminit Albert Widmanstadius in Præfat. Novi Testamenti Syriaci ad Ferdinandum Cæsarem: et post eum Guido Fabricius in Præfat. Testam. Syriaci ad Henricum III. Francorum regem. Persica etiam et Arabica Pentateuchi editio, characteribus Hebraicis, Constantinopoli excusa est.

[s] Rob. Wakfeldus in disputat. de fratris uxore non ducenda, præfixa Syntagmati de Hebræorum codicum incorruptione.

[t] Possevin. lib. 9. Biblioth. select. cap. 8. P. Victor Cajetanus, in Paradigm. linguæ Armenæ, pag. 73.

[u] Clenard. epist. ad Rutjerum Rescium, anno 1536.

[x] Jos. Scaliger. lib. 3. Canonum Isagoge, pag. 138.

hodie tum Gothi, qui sub Præcopensi Tartarorum dynastia degunt, ut ab Ulphila translata (cujus translationis[y] exemplar vetustissimum Gothicis literis majoribus scriptum in aliqua Germaniæ Bibliotheca delitescere dicitur), tum Armeni, quam ipsi Johanni[z] Chrysostomo acceptam ferunt; tum etiam Dalmatæ[a], sibi ab Hieronymo traditam asseverantes. Extat et Ægyptiacum exemplar Epistolarum Paulinarum manu descriptum quod[b] a Clemente VIII. mutuo accepit Episcopus Ebroicensis: extant et Evangelia (cum Novi Testamenti aliis nonnullis) idiomate Æthiopico Romæ anno 1548 typis excusa, quibus cum vulgata Evangeliorum editione collatis Theodorus Bibliander[c] Latinam interpretationem aliquoties emendare nititur: non magis eo nomine reprehendendus, quam Leo Papa decimus, qui ex regno Prete Joan Æthiopas evocavit (quemadmodum, qui tum Romæ vixit, refert[d] Elias Levita), "ut castigaret ex codicibus eorum exemplaria Evangelii Latine scripti." "Dignus scilicet," ex[e] Gretseri censura, "qui ad extremos Æthiopas, sed non ad illos, quos Homerus vocat ἀμύμονας, ablegetur."

* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

[y] Bonav. Vulcanius, Præfat. in commentariolum de literis et lingua Getarum. Vide et Suffridi Petri Præfat. in Scriptorum Frisiæ Decadas.

[z] Sixt. Senens. lib. 4. Biblioth. Sanct. in Johan. Crysost. Joh. Azorius, part. 1. Institut. moral. lib. 8. cap. 26.

[a] Sixt. Senens. lib. 4. Biblioth sanct. in Hieronym. (Johan. Dubravius lib. 1. historiæ Bohemicæ) Jos. Scaliger apud P. Merulam, parte 2. Cosmographiæ; lib. 1. cap. 8.

[b] P. Victor. Cajetan. in paradigm. linguæ Armenæ, pag. 73.

[c] Bibliand. in ampliore consideratione Decreti Tridentini.

[d] In Præf. 3. Masoreth Hammasoreth.

[e] Gretser. in appendice 2. ad librum 2. Bellarmini de verbo Dei (col. 1055).

[Sequuntur fragmenta tantum Defensionis integritatis fontium Hebræorum Veteris Testamenti.]

II. Hose. cap. 9, ver. 12, כי־גם־אוי להם בשורי מהם. Sed et væ eis, cum recessero ab eis. Porchetus de Salvaticis a scribis mutatum fuisse hunc locum asserit: cum textus Prophetæ verus olim habuerit Incarnatio (vel, caro) mea ex eis, quemadmodum est a LXX. interpretibus redditum. Ejusdem correctionis scribarum post Porchetum mentionem fecerunt cum alii, tum Johannes Mariana Jesuita. "Iste est unus de passibus Scripturæ Veteris Testamenti corruptis a Judæis, secundum quod dicit frater Raymundus in Hebraica lingua valde peritus:" inquit in hunc locum Nicolaus Lyranus; Raymundo subscribit ipse Lyranus, una cum Paulo Burgensi in additione secunda ad caput novum Hoseæ. Argumentum vero quo Raymundus, Lyranus et Burgensis moventur, ut credant hanc esse veram literam, "Quia etiam væ eis, incarnatio mea de eis:" non autem illam quæ in Vulgata editione habetur, "Sed et væ eis cum recessero ab eis:" hoc est: בשורי in Recessus significatione nusquam in toto Veteri Testamento scriptum inveniri per ש sed per ס: בשר vero, quod carnem significat, semper scribi cum ש: ideoque dictionem בשורי, scriptam cum ש ex posteriori voce derivatam, Incarnationem significare.

Respondetur 1. Si בשורי Incarnationem significet, ut isti volunt (et vult etiam Marcus Marinus in Arca Noæ, radice בשר) cur textus Hebraicus a scribis immutatus esse fingitur? Quamvis enim Hebræi contendant, בשורי sumendam esse in Recessus significatione, posito ש loco ס: consentiunt tamen omnes in textu scriptum esse ש non ס, atque ita constanter legunt omnia exemplaria: et ne a quoquam mutaretur textus, monuerunt hic Masorethæ, scribi hanc vocem per ש, itaque scriptam nullo

alio in loco occurrere. Id enim sibi vult illa marginalis annotatiuncula : ל כתיב שין : ut omittam, a Masorethis et veteribus Hebræis, illud בשורי non recenseri inter exempla תיקון סופרים, sed recentiorum Papistarum hoc esse figmentum, locum a scribis correctum esse. 2. Recte notatum est ab Hebræis, R. Salomone Jarchi, Aben-Ezra, et David Kimchi in commentariis ad hunc locum, ש positum esse vice ס. Nec obstat quod a fratre Raymundo et ejus sectatoribus objicitur : quod hæc litera in loco Veteris Testamenti non invenitur alibi sic punctata. Si enim de ipsa voce בשורי loquantur, verum est quod dicunt: quia videlicet nusquam alibi in tota Scriptura vocabulum hoc ita scriptum occurrit, quemadmodum annotarunt Masorethæ. At ut nusquam alibi occurrit בשורי in Recessus significatione : ita nec uspiam alibi in Incarnationis significatione ostendi potest. Sin de communi usu literæ ש loquantur: certum est quod hic a Ribera refertur, sæpe has duas literas ש et ס propter magnam similitudinem soni sui permutari inter se, ut Deuteron. cap. 32. ver. 15. כשית pro כסית opertus est. 2 Sam. cap. 1. ver. 22. נשוג pro נסוג retroactus est, etc. atque hoc est quod de בשורי notavit hic R. Salomo Jarchi והוא מן מסורת כתבין שין וקריין סמך. Et est ex traditione eorum quæ cum scribantur per Sin, leguntur per Samech. Nimirum in Massoreth, ad Hose. cap. 2. ver. 8. annotantur istiusmodi voces מלין חמיין שין וקריין סמך et inter eas בשורי quod hoc loco legitur: et exponitur pro בשורי a Jonathane Chaldæo Paraphraste (qui locum ita reddidit : ארי וי להון בסלקותי שכינתי מנהון. Quia væ illis, quum subtraxere majestatem meam ab eis) et ab Hieronymo, qui ita locum vertit, Sed et væ eis cum recessero ab eis. LXX. tamen interpretes, et Theodotio vocem hanc a radice בשר repetentes, ita transtulerunt; *διότι καὶ οὐαὶ αὐτοῖς ἐστι, σάρξ μου ἐξ αὐτῶν.* quod ab Hieronymo in commentariis ad hunc locum animadversum est. " In eo (inquit) loco in quo nos diximus, ' væ eis cum recessero ab eis, LXX. et Theodotion transtulerunt, ' væ eis caro mea ex eis,' quærensque causam cur sit tanta varietas, hanc mihi videor reperisse. Caro mea lingua Hebræa dicitur בשרי, rur-

sum si dicamus, Recessio mea, sive declinatio mea, dicitur בשורי. LXX. igitur et Theodotio pro eo, quod est Recessio mea, et declinatio mea, verterunt, caro mea." Hactenus Hieronymus: cujus interpretatio multo aptius cum tota oratione Prophetæ cohæret, quam illa altera Græcorum, (ut recte notavit Andradius, libro quarto Defensionis fidei Tridentinæ), et non solum a Romana Ecclesia, sed etiam ab Hebræis auctoribus magno consensu comprobata est. Ac ne hos, inquit Ribera, "quasi hostes causeris veram lectionem depravasse in odium Christiani nominis: S. Julianus Pomerius, Archiepiscopus Toletanus, qui et Judæus prius fuit, et postea Christianus, contra Judæos scripsit, nihilque prætermisit quod fidem nostram adversus illorum impietatem juvare posset; ita hunc locum refert, ut est in Vulgata translatione, libri primi contra Judæos in medio, nec queritur codices ab Hebræis esse vitiatos." Hæc Franciscus Ribera in commentariis ad caput novum Hoseæ: ubi pluribus demonstrat, hunc locum a Judæis non esse depravatum, et ad Christi Incarnationem non nisi violenter trahi posse: quia nimirum vidit cum Andradio[f] et Bellarmino[g]; "neminem hic posse Hebræos codices accusare, qui non Vulgatam Latinam editionem gravissima afficiat contumelia."

III. "Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone acriter perstringit majores Judæorum, quod sacra Prophetarum oracula scelestissime corruperint, resectis inde pro arbitrio verbis ac sententiis:" inquit Christophorus de Sacrobosco[h], ubi in margine nos remittit ad Eusebium[i], ubi recte dicit Eusebius convictum a Justino Tryphonem fuisse, majores suos e Scripturis quædam abstulisse. Quænam vero illa fuerint, ostendit in citato dialogo Justinus, tria producens loca, quæ a Judæis ex textu Bibliorum sublata esse affirmat, præter locum Jerem. cap. 11. ver. 19. "Emittamus lignum in panem ejus," ad quem superius est responsum. Primus locus est ex sexto capite libri Esdræ. Καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ. Τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ ἡ καταφυγὴ

[f] Andrad. lib. 4. Defens. fid. Trid. (pag. 601, 1602.)

[g] Bellarm. lib. 2. de verbo Dei. cap. 2.

[h] Defens. Decret. Tridentin. part 1. cap. 3.

[i] Lib. 4. hist. cap. 17. vel 18.

ἡμῶν· καὶ ἐὰν διανοηθῆτε, καὶ ἀναβῇ ὑμῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν ὅτι μέλλομεν αὐτὸν ταπεινοῦν ἐν σημείῳ· καὶ μετὰ ταῦτα ἐλπίσωμεν ἐπ' αὐτὸν, οὐ μὴ ἐρημωθῇ ὁ τόπος οὗτος εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον· λέγει ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων. ἐὰν δὲ μὴ πιστεύσητε αὐτῷ, μηδὲ εἰσακούσητε τοῦ κηρύγματος αὐτου, ἔσεσθε ἐπίχαρμα τοῖς ἔθνεσι. Qui locus etiam a Lactantio in hunc modum citatus est. "Et[k] dixit Esdras ad populum: hoc pascha Salvator noster est, et refugium nostrum. Cogitate, et ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo: et post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annuntiationem ejus; eritis derisio in gentibus." Secundus locus ex Jeremia resectus esse dicitur. *Ἐμνήσθη δὲ Κύριος ὁ Θεὸς τῶν νεκρῶν αὐτοῦ τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτου.* Qui locus ab Irenæo ita citatur. "Commemoratus[l] est Dominus Sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terram stipulationis (forte sepelitionis) et descendit ad eos, extrahere eos, et salvare eos." Tertius locus est ex Psalmo 95°. (vel 96°. secundum Hebræos) ubi cum legeretur versu decimo: *Εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσι, ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ του ξύλου*: verba illa *ἀπὸ του ξύλου*, a ligno, Judæi erasisse dicuntur. Atque ita sane in editione Græca quæ LXX. interpretibus tributa est, olim legebatur; ut ex Cassiodori commentariis in hunc locum apparet: indeque retenta est hæc lectio ad nostram ætatem in vetere Latino Psalterio Romano, quo olim in publica liturgia usa est Romana Ecclesia, et Gothico, cujus in Hispania Gothorum temporibus fuit usus, quemadmodum confirmat Johannes Mariana[m] et Marianus Victorius[n], ubi ait penes se esse vetustissimos aliquot manuscriptos Bibliorum codices, e cænobio Montis Cassini, qui vocem eam adhuc retinent, quæ erant proculdubio exemplaria Psalterii veteris Romani: nam in Psalterio, quod Galli-

[k] Lactan. de vera sap. lib. 4. cap. 18.

[l] Iren. lib. 5. cap. 26. vel 31. ut Fenardentius distinguit.

[m] Pro edit. vulg. cap. 5. et 7.

[n] Annotationib. ad Hieron. commentar. in Math. cap 16.

cum vocant, et quod hodie Romanæ Ecclesiæ est in usu, nusquam leguntur illa verba "a ligno," quanquam in Romanensium precibus ecclesiasticis lectio ista alicubi occurrat: et nominatim in Hymno de cruce (qui Theodulpho Aurelianensi Episcopo tribuitur) ita adhuc canunt Pontificii

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine:
Dicens, in nationibus
Regnavit a ligno Deus,

quæ tamen ex vetere editione citata esse constat, a Tertulliano in libro contra Judæos et libro tertio in Marcionem; ab authore tractatus de montibus Sina et Sion, qui Cypriano adscribitur; Augustino et Cassiodoro et Arnobio in examine Psalmi 95. Leone Papa in sermone quarto de Passione, Ambrosio (vel quisquis alius author fuit) in 1 Corinth. 15. etc. Urgentur ista multis a Mariano Victorio in annotationibus ad Hieronymi epist. 145. ad Damasum; et commentar. in 16. cap. Matthæi: Wilhelmino Reginaldo in Refutatione Reprehensionis Whitakerianæ, cap. 12. Alphonso Salmerone in quarto Prolegomeno, Johanne Mariana, pro editione vulgata, cap. 7 et 8. Julio Rugerio, in opusculo de libris Canonicis, cap. 45°. etc. Quibus opponimus Pontificiorum alios doctiores, qui Hebraicæ veritatis patrocinium hic susceperunt, Nicolaum Sanderum in Disputatione pro Hebraicorum codicum veritate (cui per epistolam respondit Johannes Mariana, pro editione vulgata, cap. 8), Ariam Montanum, Didacum Payvam Andradium, Robertum Bellarminum, etc.

I. Qui ista in Adversarios regerunt.

* * * * * * *

"Et[o] mortuus est Abraham in senectute bona, senex, et plenus, et collectus est ad populum suum. Male in LXX. interpretibus additum est, 'et deficiens Abraham mortuus est:' quia non convenit Abrahæ deficere, et imminui," inquit Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim: in quem locum ita annotat in scholiis suis Marianus Victorius: "invenitur tamen hoc hodie apud Hebræos; quapropter

[o] Genes. cap. 25. ver. 8.

aut diversa olim exemplaria Hebraica circumferebantur: aut, quod magis reor, mutatus multis in locis Hebraicus textus ab eo, qui Hieronymi tempore vulgatus erat, nunc est." Demum tanquam re bene gesta concludit: "Quapropter magnifacienda est Vulgata Ecclesiæ editio, et tot novorum interpretum petulantia secundum Tridentini Concilii doctrinam compescenda ac retundenda." Hæc ille. Respondetur: Verum bono viro aliud agenti, illud non succurrit; Vulgatam Latinam editionem, quam cum Tridentinis suis tam magni facit, et Hebraicis codicibus præferendam putat, illam ipsam lectionem sequi, quæ ab Hieronymo reprehenditur. Sic enim habet: "Et deficiens mortuus est in senectute bona." Quomodo LXX. reddiderunt: *καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Ἀβραὰμ ἐν γήρα καλῷ·* et Onkelos Chaldæus paraphrastes: ואתנגיד ומית אברהם בסיבו טבא. A quibus non dissentiunt Hebraici codices, qui constanter legunt ויגוע וימת אברהם et expirans, mortuus est Abraham. Illud enim יגוע significat egressionem spiritus e corpore, quæ fit subito sine dolore: ut tradit Aben-Ezra in hunc locum, cum quo consentit R. David Kimchi in Radicibus, scribens verbum גוע significare, leniter mori, sine longa ægritudine, per lentam scilicet resolutionem, et defectum paulatim labentis Spiritus obire, quomodo Augusti Cæsaris excessum describit Suetonius: "Sortitus est exitum facilem, et qualem semper optaverat. Nam fere, quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi et suis *εὐθανασίαν* similem (hoc enim et verbo uti solebat) precabatur." Cujusmodi facilis ac lenis mors, placidoque (ut inquit ille) simillima somno, senili ætati maxime convenit; quemadmodum eleganter in libro de Senectute explicat M. Cicero. "Quid est (inquit) tam secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante et repugnante natura. Itaque adolescentes sic mihi mori videntur, ut cum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur: senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas." Hæc ille. "Ex quibus extat, et apparet,"

inquit Benedictus Pererius[p] (placet enim petulantiam Victorii, testimonio Jesuitæ magis hic sobrii compescere) "immerito LXX. interpretes hoc loco esse ab Hieronymo reprehensos, quod dixerint, Abraham deficientem esse mortuum; quia inconveniens sit dicere Abraham virum utique perfectissimum defecisse atque imminutum esse. Nam ut defectus moralis, inconveniens atque indecens fuerit Abrahæ: non tamen naturalis ac vitalis, de quo hic agitur. Quid est enim, ut ex Tullio jam notatum est, tam secundum naturam, quam senibus emori. Nec id solum dixerunt LXX. interpretes, sed idem quoque in Latina translatione Vulgata, quæ ipsius esse Hieronymi creditur, positum est, nec id Hebrææ Scripturæ non optime respondet." Discat igitur a Jesuita Victorius, importunus calumniator Scripturæ, non tam Hebrææ quam Latinæ, id est suæ, falsam esse illam, quæ ab eo posita est, disjunctionem: Aut diversa olim exemplaria Hebraica circumferebantur; aut mutatus multis in locis Hebraicus textus ab eo qui Hieronymi tempore vulgatus erat. Discat (inquam) posse dari tertium: Aut potius hic lapsus est Hieronymus.

Deuteron. 32. capite inter versum 42. et 43. interjiciendum esse alium contendit Alphonsus Salmeron, quem vitiose deficere in textu Hebraico in hunc modum confirmat. Apostolus ad Hebræos capite primo producit Scripturam dicentem: "et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit. Et adorent eum omnes angeli Dei." Hoc autem testimonium nisi in Hebræo inveniretur, homo Hebræus, et ad Hebræos scribens, minime produceret. Et certe in Hebræo, ut jacet modo, non invenitur; sed bene apud LXX. Nam in cantico Moysis inter versiculum illum "Inebriabo sagittas meas sanguine" et alterum sequentem "Nempe laudate gentes populum ejus" integer versus desideratur, qui est in editione LXX. nimirum *Εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες* Ἄγγελοὶ Θεῦυ. h. e. lætamini cœli simul cum eo; et adorent eum omnes Angeli Dei.

* * * * * * * * * * *

p Perer. disput. 6. in cap. 25. Genes.

Josu. cap. 15. ver. 59. undecim civitatum tribus Judæ omissio, a Johanne Mariana[p] objicitur "scilicet, Theco et Ephrata, hæc est Bethleem, et Phagor, et Ætham, et Culon, et Tatami, et Soris, et Carem, et Gallim, et Bæther, et Manocho, civitates undecim, et viculi earum; quod Hieronymus in commentariis ad illa verba Michææ, capite quinto, 'Et tu Bethlehem Ephrata' in Hebraicis Josuæ codicibus haberi negat, ac in LXX. tantum interpretatione extare; sive ab his additum, sive de veteribus libris erasum malitia Judæorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur." Hæc Mariana ex Hieronymo: cujus etiam hic authoritas a Richardo Cenomano[q] producitur ad axioma illud suum confirmandum; quod Hieronymus Hebræorum codices sua etiamnum ætate cœpit in nonnullis locis habere suspectos. Verum ad hoc Hieronymi testimonium, ut ad ea quoque, quæ statim producenda erunt ex commentariis illius in tertium caput epistolæ ad Galatas, recte responsum est a Roberto Bellarmino[r], quod "Hieronymus hic dubitat, non asserit. At in commentariis Isaiæ, quæ posterius scripsit, ut patet ex præfatione commentariorum in Isaiam et ex libro de viris illustribus extremo, aperte ridet eos, qui putant, Hebræos codices esse falsatos." Ita Bellarminus, et vere quidem: Nam Hieronymum dubitare hic, non asserere, manifestum est ex illis verbis: "Nequaquam liquido cognoscentes, certum quid novimus." Quanquam certe nihil est quod dubitem LXX. ut alia passim plurima (ne quis miretur id hoc in loco contigisse), ita ista quæ notavimus, textui Josuæ addidisse: quandoquidem ea (quod hic diserte notat Hieronymus) nec in Hebraico, nec apud alium invenitur interpretem; ne apud ipsum quidem Hieronymum, in illa videlicet editione quam authenticam declaravit Synodus Tridentina, quamque tueri Jesuitam oportuit, vel illam saltem inscriptionem, quam singulis foliis operis sui præfixit, pro Editione Vulgata, inducere. Adde quod in Syriaco codice Andrææ Masii, (qui mille ferme abhinc annis, conversus est ad verbum de Græco exemplari LXX. quod manu Eusebii ad Origenis libros, qui in Cæ-

[p] Pro edit. Vulgata, cap. 7.

[q] Prol. in comm. P. Lombardi in Psalmos.

[r] De verbo Dei, lib. 2. cap. 2.

sariensis Ecclesiæ bibliotheca asservabatur, fuerat emendatum), ea omnia obeliscis jugulata sunt: et in editione LXX. interpretum, quæ in Regiis bibliis posita est, ut superflua prorsus omissa. Neque etiam leguntur in Chaldaica Paraphrasi Jonathanis; qui ante Christi tempora Targum edidisse dicitur, quod argumento est, vetera exemplaria aliter non habuisse, quam Hieronymi tempore habebant et hodie habent: neque post Christi natalitia, de veteribus libris erasa esse ista malitia Judæorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur. Et sane si Judæos eo usque perpulisset malitia, ut ipsis verbis Spiritus Sancti manus inferrent: quis tam vecordes fuisse credat, ut locum Josuæ, in quo ne minima quidem mentio Christi de tribu Juda oriundi, corrumpere voluerint (atque ita corrumpere, ut non modo Bethlehemi sed et decem aliarum urbium nomen nulla prorsus de causa expunxerint) locum vero Michææ, capite quinto, ubi disertis verbis hoc asseritur, intactum reliquerint. Nam in ipsa editione Græca libri Josuæ, numeratur tantum Bethlehem "inter urbes tribus Judæ: quod ut ibi non extaret, tamen et de libro Judicum hoc ipsum possumus approbare, quod Bethleem in tribu Juda sit," quemadmodum hoc ipso in loco notavit Hieronymus, locum Judicum capite xix. ver. 1, 2. designans, cui adjici possunt et Judicum caput xvii. ver. 7, 8, 9. Ruth. caput i. ver. 1, 2. 1 Samuelis caput xvii. ver. 12. caput xx. ver. 5. 2 Chronic. caput xi. ver. 5, 6. quæ omnia loca si immutassent Judæi (et eadem mutandi ratio fuit qua locum Josuæ) an etiam ipsum urbis situm omnibus notissimum mutare se posse sperabant? Ridiculum.

Deuteronomii capitis 21. versus 23. קללת אלהים תלוי inter loca in textu Hebræo corrupta recensetur ab Alphonso Salmerone, quod LXX. reddiderunt: *κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου*. Editio Vulgata Latina: "Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno." Paulus, ita citat: *Ἐπικατάρατος*[s] *πᾶς ὁ κρεμάμενος, ἐπὶ ξύλου*. Quem locum libro secundo Commentariorum in Epistolam ad Galatas, edisserens Hieronymus, "Scire," inquit, "non possum

[s] Epist. ad Gal. cap. 3. ver. 13.

quare Apostolus in eo quod scriptum est; 'Maledictus a Deo omnis qui pendet a ligno,' vel subtraxerit aliquid vel addiderit. Si enim semel auctoritatem LXX. interpretum sequebatur, debuit, sicut ab illis editum est, et Dei nomen adjungere. Sin vero ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum, nec 'omnis' nec 'in ligno' quæ in Hebræo non habentur, assumere. Ex quo mihi videtur, aut veteres Hebræorum libros aliter habuisse, quam nunc habent: aut Apostolum (ut ante jam dixi) sensum Scripturarum posuisse, non verba: aut quod magis est æstimandum, post passionem Christi, et in Hebræis, et in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum a Deo credimus. Audaci itaque pede ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem, nullo loco scriptum a Deo quenquam esse maledictum, et ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adjunctum." Probat scilicet illam additionem "a Deo" factam esse ab aliquo, ex eo quod cum multi in Scripturis dicantur, nunquam tamen a Deo maledicti dicuntur, atque huc adducit multa testimonia: "Maledictus tu ab omnibus bestiis," dicitur ad serpentem. Et ad Adam: "Maledicta terra in operibus tuis," etc. Sic Hieronymi authoritate nos premit Alphonsus Salmeron, asserentis Hebræos codices vitiatos; et tribuentis Judæis, quod addiderint textui. Similiter hoc ipsum urgetur a Richardo Cenomano Franciscano, Prologo in Commentarios Petri Lombardi in Psalmos, Wilhelmo Reginaldo in Refutatione Reprehensionis Whitakerianæ, capite duodecimo, et Johanne Mariana pro editione Vulgata, capite septimo, ut probent, Hieronymi fuisse sententiam, Hebræorum codices sua etiamnum ætate fuisse vitiatos.

Respondetur * * * * * * * * * * * * * * * * * *

"Job capitis 13. versu 15. legimus, Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Hebræus habet desperatam sententiam, et contrariam prorsus, 'Non sperabo.' Ubi manifestum est mendum, nisi quis gratis desipiat. Error autem irrepsit quod 'in ipso' sive 'in ipsum' et negandi adver-

bium, in voce apud Hebræos non differant, sed scriptione. Nam illud per lamed et vau, לו, hoc vero per ל et א, לא. Hinc Sanches vertit; 'ecce occidet me, non sperabo.' Sed et Munsterus, sentiens intelligentiam simpliciter acceptam, blasphemum quid sonare, coactus est dicere, quod alterum loco alterius positum sit, aut interrogative debere legi, ut redeat eodem sensus. Ecce clamant isti Geneseos capite octavo negationem esse abradendam, et editionem nostram mendosam; et ibi permittunt sibi quod volunt, quando non inveniunt quod respondeant." Hæc Richardus Cenomanus Minorita, Prologo in Collationem diversarum translationum Psalterii, editam cum commentariis Petri Lombardi in Psalmos. Quo referenda sunt etiam illa Alphonsi Salmeronis Jesuitæ, in quarto Prolegomeno. "Frequentissimum est apud Rabbinos לא negationem ponere pro לו, id est sibi, et e contrario: et sæpe tollitur vel additur negatio. Nam Esaiæ capite nono quod dicitur: 'Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam,' LXX. sine negatione reddiderunt: sicut Geneseos capite octavo de corvo eunte, et redeunte, addiderunt negationem, quam Hebræa lectio non habet. Et quod habetur Ezechielis capite decimo sexto. 'Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres:' ubi interpres legit lo לו cum Vau quod significat 'ejus,' Jonathan tamen Benuziel legit lo לא cum Aleph, dicens 'Adjunxisti te ut coleres idola cum omni transeunte, quod non decebat te ita facere.' Ad hæc caput vicesimum Deuteronomii 'Quoniam lignum est, et non homo,' Hebræi sine negatione habent: 'lignum est, et homo.' Chaldæus tamen interpres ponit negationem. Et quod habetur Psalmo decimo tertio 'Non est usque unum in eis.' Rabbi Abraham negat legendum cum negatione: et in lectione לא et לו multa controvertunt Hebræi, an sit ponenda negatio, necne. At hoc gravissimum est facinus, aut affirmare quod negatur, aut negare quod affirmatur, quare nihil incertius et inconstantius; et nihil magis potest officere veritati, et integritati Scripturæ."

Respondemus pro his locis id ipsum quod Munsterus: vel capi לא pro לו; vel si negative accipiatur לא, cum interrogatione legendum esse: quod eodem redit. Quorum

neutrum accommodari potest ad locum illum importune hîc a Pontificiis objectum, Geneseos caput octavum, ubi Hebræo nec לא nec לו legitur, nec sententia interrogationem admittit. Verum de corvo eunte et redeunte, satis supra dictum. Illud hîc monuisse sufficiat, Hebræis non esse insolens: ut לא capiatur pro הלא interrogative, vel לו affirmative. Ita illud[u], כי־עתה לא־רבתה מכה בפלשתים legendum monet R. David Kinchi דרך תמיהה viâ interrogationis, quomodo vulgatus interpres reddidit, "nonne major plaga facta fuisset in Philistium?" quod eodem sensu affirmative reddiderunt Græci interpretes: *νῦν ἂν μείζων ἐγεγόνει ἡ πληγὴ ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις.*

[u] 1 Sam. 14. 30. (al. 32).

Absoluta defensione integritatis fontium Hebraicorum Veteris Testamenti: superest ut fontium Græcorum Novi Instrumenti sinceritatem adversus Pontificiorum objectiones propugnemus.

1. Primum igitur, Christophorus de Sacrobosco in hunc modum ratiocinatur. "Scribit[x] Hieronymus, profligato a Græcis patrimonio apud Latinos, tantum incorruptam patrum hæreditatem servari; quod tanti ponderis testimonium hâc nostrâ tempestate multo magis locum habere oportet, quando videmus Græcos (quos malam sobolem vocat Hieronymus) non secus ac Judæos, ob suam perfidiam derelictos et in reprobum sensum datos." Et ante eum Robertus Bellarminus: "certe[y] vix dubitari potest, quin sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinendâ, quam Græca: ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus a corruptione defendendis. Quod enim olim Hieronymus scripsit ad Damasum in epistola de nomine Hypostasis, nunc maxime habet locum, videlicet profligato a Græcis patrimonio, apud Latinos tantùm incorruptam Patrum hæreditatem servari." Alphonsus Salmeron paulo timidius hoc ipsum effert, in trigesimo tertio Prolegomeno ita scribens: "Ad Dei Providentiam spectabat, ut Scripturam integram, ac incorruptam servaret in Ecclesiâ suâ. Cum autem Ecclesia Dei illa sit, quæ sub Romano Pontifice Christum agnoscit, ac profitetur, a quâ pluries Græca Ecclesia defecisse dignoscitur, videtur plus fidei esse tribuendum Latinis codicibus, quam Græcis." At Thomas Stapletonus: "Quum[z] ad Latinos devolvi jam fidei veritas cœpit, Græcis a fide orthodoxâ et unitate ecclesiasticâ per schisma et hæreses discedentibus, textus Græcus varius, corruptus et dubius esse cœpit; solaque Latina versio, sicut Latinorum fides, pura et sincera et orthodoxa

[x] Sacrobosc. Defens. Bellarm. part 1. cap. 4. pag. 36.
[y] Bellarm. lib. 2. de verbo Dei, cap. 11.
[z] Stapleton. Relect. controv. 5. quæst. 3. (pag. 525).

remansit." Denique Wilhelmus Lindanus: "Græci[a] frequentioribus ut contentionibus, ita erroribus quoque implicati, Scripturæ non raro manus attulere; ut eam vel immutando vel accidendo, suis quasi faventem inflecterent opinionibus."

Respondetur 1. Hieronymi testimonium, quod tanti ponderis dicit Sacroboscanus, ad Jesuitæ institutum probandum nullius profecto est ponderis. Quod enim ille in epistola ad Damasum de profligato ab Orientalibus patrimonio scripsit, et apud solos Latinos incorrupta Patrum servatâ hæreditate: id ad Domini nostri Jesu Christi Testamentum, contra Hieronymi et Damasi mentem a Christophoro iniquissime trahitur; quasi corruptius illud in Græcis legeretur codicibus, in libris vero Latinis incorruptum servaretur. Qui factum igitur, ut Hieronymus "Novum[b] Testamentum Græcæ reddiderit auctoritati; et ad "Græci sermonis normam," multa in Latinorum "veteribus[c] libris addiderit, mutaverit, correxerit," idque jubente Damaso, quemadmodum præfatione in Evangelistas ad eundem ipse testatur. Ubi adversus obtrectatores hujusmodi utitur apologia. "Si[d] Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus? tot enim sunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus: cur non ad Græcam originem revertentes, ea vel quæ a vitiosis interpretibus male reddita; vel a præsumptoribus imperitis emendata perversius; vel a librariis dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigimus?" Quibus et alibi respondet, "se Latinorum[e] codicum vitiositatem, quæ ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad Græcam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare. Quibus si displicet fontis unda purissimi: cænosos rivulos bibant." Hæc mirifica fuit Latinorum vigilantia, quam prædicat Bellarminus, in suis codicibus a corruptione defendendis: ista Græcorum perfidia in Novi Testamenti Græcis codicibus corrumpendis. 2. Quantumvis Hierony-

[a] Lindan. de opt. gener. interpr. lib. 2. cap. 2. in fine.

[b] Hieron. epist. 54. ad Lucinium. op. tom. 4, par. 2. pag. 579.

[c] Idem præf. in 4 Evang. ad Damasum. op. tom. 1. pag. 1426.

[d] Id. Ibid.

[e] Hieronym. epist. 25. ad Marcellam. op. tom. 4. par. 2. pag. 62.

mus[f] Græcos malam sobolem vocet (quod objicit Christophorus) et profligatum ab iis dicat patrimonium: Græcum tamen Testamentum (ut vidimus) fontem agnoscit purissimum, et normam ad quam Latinorum codicum lectio sit exigenda. Quinimo in Vetere Testamento ad "Hebræos[g]" recurrendum et ex eorum "archivis" veritatem exprimendam judicavit Hieronymus: nec judicium ejus improbare possunt Pontificii, nisi editionem suam authenticam damnent, quam ab Hieronymo ex Hebræo translatam defendunt. Et istos tamen Christianæ fidei hostes infestissimos quis neget, super[h] quos etiam pervenit ira Dei ad extremum usque. Ut demus igitur Bellarmino, "Latinam Ecclesiam constantiorem fuisse in fide retinenda, quam Græcam:" ut Stapletono concedamus, "Græcos a fide orthodoxa et unitate ecclesiastica per schisma et hæreses discessisse;" imo, "non secus ac Judæos, ob suam perfidiam derelictos, et in reprobum sensum datos," quod vult Sacroboscanus, non inde tamen erit consequens vigilantiores fuisse Latinos in suis codicibus conservandis, quam in Græcis Græcos, non magis profecto quam vel Græcos vel Latinos vigiliantiores fuisse in sacris codicibus a corruptione servandis, quam Hebræos. Etsi enim hi Christianam professi sunt fidem, a qua totis animis Judæi abhorrebant: "Græci tamen et Latini hac in re cum eis collati, proculdubio segnes fuerunt indiligentesque," quemadmodum a Roberto Wakfeldo in Syntagmate de Hebræorum codicum incorruptione notatum est. Tantum abest, ut hinc concludi possit corruptum esse Testamentum Græcum; "solamque Latinam versionem, sicuti et Latinorum fidem, puram, et sinceram et orthodoxam remansisse:" quæ prodigiosa est Stapletoni conclusio. 3. In eo quoque falluntur adversarii, quod Græcorum codicum Novi Instrumenti Græcos solos custodes faciunt: quasi ad Ecclesiam Catholicam (cujus Scripturam parvam possessionem esse propriam recte affirmat Tertullianus) sacrorum fontium cura communiter non pertineret, et Ecclesia Latina

[f] Hieron. epist. 14. ad Damasum. op. tom. 4. par. 2. pag. 19.

[g] Hieron. præfat. in libros Regum et Esther et epist. ad Damasum; et alibi passim.

[h] 1 Thess. cap. 2. ver. 16.

suo satis functa esset officio, si suos libros, id est, Latinos conservaret; Græcos vero, id est, ipsos archetypos ab Apostoli Spiritu Sancto dictante exaratos, tanquam alienos negligeret, et schismaticis Græcis relinqueret: quibus ex ipso Jesuitarum sodalitio oppono Marianam: cujus in disputatione pro editione Vulgata, capite nono, est illa conclusio. "Sit ergo fixum, non minus ad Ecclesiæ curam Hebraicos et Græcos codices quam Latinos pertinere." Si Latini vigilantissimi fuissent in suis codicibus conservandis (quemadmodum ab iis "hac in re multifariam et dormitatum et peccatum est:" quod agnoscit Zegerus[i] et res ipsa loquitur) non aliam nobis exhiberent editionem, quam eam quæ ex veteris interpretis officina profecta est. At in illa nec veteres acquieverunt; nec quisquam acquiescendam judicabit, qui interpretis infantiam perspectam habuerit, et versionem cum fontibus in iis locis, in quibus nulla corruptelæ in Græcis suspicio esse possit, comparaverit. Quomodocunque igitur conservata sit versio Latina, ut Græca veritas in Ecclesia extet necesse est: cui illa Latina editio subjicienda foret, etiamsi eodem nunc extaret modo, (ne verbo quidem immutato) quo ab authore primum est profecta. Postremo quod asserit Lindanus, "Græcos Scripturæ non raro manus attulisse, ut eam vel immutando vel accidendo, suis quasi faventem inflecterent opinionibus," sine omni probatione accusatio est. Græcos "certe[k] ab hac falsitatis suspicione liberat vel illud, quod in his, de quibus iis nobiscum fuit controversia, eorum libri nobiscum consentiunt: nec de litera unquam, sed de sensu literæ quæstio fuit. Nunc igitur, quid comminisci quisquam potuit, cur alia falsarent, cum ea nobis reliquerint, quæ vel sola falsare voluissent." Ita olim contra Martinum Dorpium Thomas Morus: ita contra Lindanum nos.

II. Secundum Adversariorum argumentum sit illud, quod a Lindano per Rhetoricam *παράληψιν* in hunc modum proponitur. "In[l] præsentia nec illas persequi est animus suppetias, quas ad hanc instruendam aciem mittant cano-

[i] Zeger. in Prologo Epanorthotæ.

[k] Tho. Morus in epist. adversus Mortinum Dorpium.

[l] Lindan. de opt. gener. interpr. cap. 2.

nes illi Nicæni, tanto cum sacrilegio vel Athanasii ætate suppressi, ut eos integros in Græcia invenire non potuerit. Rursus illi ipsi Augustini sæculo ita mutilati, ut nisi 30 (20; opinor, volebat) quos hodie videmus reliquos, non suppeditarint Græcæ bibliothecæ concilio tertio Africano." Quo referenda et illa, quæ Canus multis verbis hic prosequitur, de Conciliorum et Patrum codicibus a Græcis vitiatis.

Respondetur: Quod ad Nicænos canones attinet: parum profecto ad Lindani causam afferunt illi præsidii: quin Latinorum potius fidem in dubium vocant, non Græcorum; plures enim canones, quam eos quos hodie videmus reliquos, Niceno Concilio nunquam agnovit antiquitas: tantumque[m] abfuit ut Augustini temporibus de Græcorum codicum integritate dubitatum hic fuerit, ut ipse Augustinus cum aliis 216 Episcopis in Africano Concilio congregatis ad Bonifacium Romanæ urbis Episcopum ita rescripserit. "Quis enim[n] dubitet, exemplaria esse verissima concilii in Græcia Nicænæ Synodi congregatæ, quæ de tam diversis locis, et de nobilibus Græcis ecclesiis adlata et comparata concordant." Illam vero Athanasii epistolam de canonibus Nicænis "tanto cum sacrilegio suppressis," qua tantopere nititur Lindanus, commentitiam esse fatentur illi "Romanæ[o] ecclesiæ doctores incomparabiles" Bellarminus[p] et Baronius[q], cujus commenti author, non Græculus aliquis fuit, sed "sapiens[r] ille architectus, qui assertioni Zosimi et Bonifacii de Nicæno canone extra numerum allegato bene consultum voluit:" quem etiam in finem novos canones Nicæno Concilio supposuit in illa quam Julii nomine finxit ad Orientales epistola. Quod si Cani conjectura foret probanda: videri depravata Novi Testamenti Græca exemplaria, quod in sanctorum codicibus Græci nonnulli fecerunt idem: cur non eadem ratione inductus suspicari quis posset, a Latinis sacras literas vitiatas: quandoqui-

[m] Concil. Carthagin. VI. Cod. Canonum. Ruffin. lib. 1. cap. 6. Theodoret. lib. 1. cap. 8. Gelasius Cyzicenus, part. 2. act. Concil. Nicen. cap. 31, 32.

[n] Concil. African. cap. 101. tom. 1. Concil. pag. 644. b. edit. Binii.

[o] Inst. Baron. Præscript. advers. hæret. tractat. 4. pag. 421.

[p] Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 25; Baron. tom. 3. Anal. an. 336.

[q] Baron. Ibid. § 60.

[r] Jul. 1. epist. 2. tomo I. Concil. pag. 402. etc. ubi notas Binii vide.

dem compertum sit, eorum artificio non solum fictitiam Athanasio epistolam, fictitios Nicæno concilio canones; sed etiam veteribus Romanæ ecclesiæ episcopis tot Decretales epistolas, aliisque Patribus alia quamplurima scripta esse supposita. Sed absit ut ex istis iniquorum hominum factis liberum sibi quis putet, scripta quævis pro suo arbitratu in corruptelæ suspicionem trahere: vel etiamsi iniquissimi forent homines, existimet ita dormitasse vel Dei providentiam vel Ecclesiæ diligentiam, ut quod in hominum monumentis corrumpendis, idem etiam in Sacrosanctis Dei oraculis, a quibus salus nostra pendet, violandis effectum dare posset humana malitia.

Argumentum petunt adversarii a testimoniis Patrum Ambrosii et Hieronymi: Ambrosii authoritate ita nos premit Nicholaus Zegerus in Epanorthotæ sui Prologo. "Hinc factum est, ut gravis ille Ecclesiæ doctor Beatus Ambrosius Græcorum lectionem non modo parvifecerit, verum etiam postposuerit lectioni suæ Latinæ: quum tamen ea, qua ipse tum utebatur, versio haudquaquam tam fuerit solida atque authentica, quam hæc est, qua nunc utitur ecclesia Romana: et probabile sit, Græcos codices tum adhuc fuisse incontaminatiores, quam sint hodie. Et tamen idem Ambrosius non dubitavit alicubi contemnere, ac veluti damnare consilium sententiamque beati Hieronymi de restituendis codicibus Latinis ex fide Græcorum. Indignum enim judicans ut locus ille ab Romanos 'Regnabat mors ab Adam, usque ad Moysem etiam in eos qui peccaverunt' juxta Græcos (ut tum habebant) legatur cum negatione 'qui non peccaverunt,' quod negat fuisse tum in Latinis, quum tamen hodie legatur utrobique: scribit in hæc verba. 'Sic (inquit) præscribitur nobis de Græcis codicibus, quasi non ipsi invicem discrepent; quod facit studium contentionis. Quia propria quis auctoritate uti non potest ad victoriam, verba legis adulterat, ut sensum suum quasi verba legis adferat; ut non ratio, sed auctoritas, præscribere videatur. Constat autem, porro olim quosdam Latinos de veteribus Græcis translatos codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit et probat: postquam autem a concordia animis discedentibus et hæreticis perturbantibus, torqueri quæstiones cœperunt,

multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur [in literis] quod homini videretur, unde et ipsi Græci diversos codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando et ratio et historia et auctoritas observatur : nam hodie quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur a veteribus posita, Tertulliano, Victorino, et Cypriano.' Hæc ille." Similiter Lindanus[s] Ambrosii authoritatem urget, in hunc modum : "Divus Ambrosius eximium Christianæ Ecclesiæ columen extra omnem ut adulationis, ita calumniæ suspicionem constitutus, Græcos suæ ætatis homines gravissime non dubitavit accusare, quod contentionis studio verba legis adulterassent, quo sensum suum, quasi verba legis asserant, ut non ratio sed authoritas præscribere videatur. Ita enim ad verbum est in ejus commentariis in epistolam ad Romanos : 'In eos qui non peccaverunt,' quod capitulum simul atque firmissimis demonstrasset rationibus, affirmative legendum subtexuit. Et tamen, inquiens, sic præscribitur nobis de Græcis codicibus, etc. (ut supra). Rursus in secundum caput ad Galatas idem Ambrosius Græcos alio item loco Scripturam suis corruptelis vitiasse ostendit. Tria hæc mandata, inquiens, ab Apostolis ut senioribus data reperiuntur, quæ ignorant leges Romanæ, id est, ut observent se ab idololatria, (vel potius, Idolothyto), et sanguine, sicut Noe, et fornicatione. Quæ sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes, et a suffocato observandum : quod puto nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia jam supra dictum erat quod addiderunt. Græcos ergo codices ante annos 1200, si Divus Ambrosius meretur fidem, jam tunc fuisse passim non modo inter se diversos et immutatos constat, verum etiam adulteratos est demonstratum." Hactenus Lindanus, cui adjungo Julium Rugerium, qui in opusculo de libris canonicis[t] ut probet Græcos codices magis esse corruptos quam ipsos Latinos, citat tum Ambrosium in quintum caput epistolæ ad Romanos ; tum etiam Hieronymum Præfatione in Pentateuchum de tota La-

[s] Lib. 2. de opt. gener. interpr. script. cap. 2. [t] Cap. 46.

tina editione dicentem: "aliud est si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverint, et emendatiora sint exemplaria Latina, quam Græca, et Hebræa."

Respondetur: "Si Ambrosius in caput quintum ad Romanos non dubitavit contemnere, ac veluti damnare consilium sententiamque beati Hieronymi de restituendis codicibus Latinis ex fide Græcorum," quemadmodum objectionem hanc proponens affirmat Zegerus, qui factum dicemus cum Rugerio, ut Hieronymus idem senserit cum Ambrosio, emendatiora esse Latina exemplaria quam Græca. Certe quidem ut Hieronymus passim, ita etiam in libro de Sacramento Incarnationis Dominicæ, capite octavo, Ambrosius profiteri non dubitavit; Græcorum codicum potiorem auctoritatem esse quam Latinorum; certumque omnino est, Hieronymo adfingi hic ab adversariis, quod ille ne per somnium quidem cogitavit; Ambrosiique citatum nomine, quod ex officina Ambrosii nunquam prodiit. Et Hieronymo quidem eam adscribi sententiam, quam ipse absurdissimam censuit, ipsius authoris verba clamant, et omnes illius interpretes Hugo Carensis, Brito Franciscanus, Erasmus Roterodamus, Alphonsus Tostatus, Marianus Victorius uno ore confitentur. Sic enim scribit Hieronymus, contra invidos: "Sicubi[u] in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diversarum urbium magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est, si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, et emendatiora sunt exemplaria Latina, quam Græca, et Græca quam Hebraica," Nimirum, "Ironice loquitur: quasi diceret. O æmule, si velis dicere Latina exemplaria veriora quam Græca, et Græca, quam Hebræa, et ita suggillare translationem meam, quæ immediate sumpta est ab Hebræa: hoc non est verum nec verisimile." Ita Hugo Cardinalis. Similiter Johannes Driedo[x]: "Hieronymus non asserendo dixit emendatiora esse Latina exemplaria quam Græca, et emendatiora esse Græca quam Hebraica: sed hoc inducit tanquam absurdum." "Qua phrasi Tertulliana sæpe utens Hieronymus, contrarium intelligit ex dissentaneo: quasi

[u] Hieronym. Præfat. in Pentateuchum.

[x] Driedo de Scriptur. lib. 2. cap. 1. fol. 40. a.

dicat, Hebræa Græcis, Græca Latinis (ut res est) emendatiora:" ait in sua in Novum Testamentum Præfatione, Nicolaus Naucelius Trachyenus. Et Marianus Victorius quantumvis fontibus iniquior, ut quos multis in locis vitiatos contendit, non aliter tamen locum Hieronymi accipi potuisse, animadvertit. "Hoc[y] dicit veluti maxime absurdum, et ἀδύνατον, tanquam si nos diceremus: aliud est, si Evangelio non credis, et veriorem putas esse Platonem quam Apostolum: quasi dicamus, si hoc nobis principium inficiatus fueris, actum est de te, nec tecum de fide disputare possumus." Denique Erasmus Roterodamus: "Hunc locum insulsissime citat Glossematarius, quisquis[z] is fuit: putans Hieronymum vere sensisse, Græcorum exemplaria emendatiora esse quam Hebræa, et Latina emendatiora quam Græca. Et hunc nodum multis modis dissolvit, nugacissime nugans in re non intellecta, vel dic vel dic, vel dic. Tantumne istis auctoritatis, ut cum rem prorsus non intelligant, tamen illis jus sit quicquid lubitum fuerit dicere. Nam Hieronymus inducit hoc velut ἀδύνατον, et dictum absurdum, quo magis refellat, quod isti volebant." Atque ita cæco glossematario, et simul cum eo etiam Julio Rugerio, de loco Hieronymi responsum esto.

Ambrosius sequitur: quem "ut gravem Ecclesiæ doctorem" Zegerus; ut eximium Christianæ Ecclesiæ columen, extra omnem ut adulationis ita calumniæ suspicionem constitutum," Lindanus hic commendat. Quas laudes ut beato Ambrosio non negaverim: ita ad testimonium ipsis prolatum aliquid authoritatis pondus inde accedere plane inficior. Commentarios enim in Paulinas Epistolas non esse Ambrosii agnoscunt doctiores Pontificii[a]: sed vel Hilarii Romanæ ecclesiæ diaconi, qui libros adversus Ecclesiam de Hæreticis rebaptizandis edidit (ob quem anabaptismum ab Hieronymo[b] Deucalion Orbis appellatur)

[y] Marian. Victorius in scholiis epist. 104. Hieron.

[z] Joh. Semeca, in glossa Decreti, distinct. 9. cap. 6. Ut veterum librorum.

[a] Henric. Grarius, annotat. in 7 tom. Augustin. lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 4. Rob. Bellarminus, in censura quæstionum Vet. et Nov. Testamenti Augustino falso tribut. apud Ant. Possevinum in Apparatu sacro. in Augustin. cap. 5.

[b] Hieronym. contra Luciferianos.

vel alterius alicujus hominis non parum suspecti. Certe quod ad locos illos attinet, in quibus Græcos codices Latinis postponendos existimat, ubi tamen[c] "nec universaliter loquitur, omnes Latinorum codices esse emendatiores, quam Græcorum, sed particulariter et indefinite dixit, quosdam codices Latinorum esse emendatiores, quos temporum simplicitas servavit incorruptos."

Objicit Wilhelmus Reginaldus[d] differentiam nostrorum Græcorum exemplarium a veteribus: cujus duo exempla profert ex Beza, in Johannis cap. 7. ver. 53. et Epistolæ ad Ephesios, cap. 3. ver. 14. In priore loco, ait Reginaldus, "Bezam rejicere totam historiam mulieris adulteræ, cujus in capite octavo Johannis fit mentio: quia scilicet veteres illi rejecerunt, Chrysostomus, Theophylactus, Nonnus, etc. neque erat in antiquis Testamentis Græcis, et ex septemdecem vetustis codicibus Henrici Stephani, unus duntaxat illam non habebat: in reliquis scripta quidem erat, sed ita ut mira esset lectionis varietas unde ita infert: 'Tanta varietas lectionis facit ut de totius istius narrationis fide dubitem.' Et tamen," inquit Reginaldus, "non obstante contraria hac praxi veterum Græcorum et Græcorum Testamentorum, atque exemplarium infinita varietate; novæ impressiones eam habent (quantum ego comperire possum) universe et consone: et in omnibus Testamentis Anglicanis, ex Græco translatis, non minus est canonica quam alia quævis pars Evangelii Johannis. Sic igitur magna hic apparet diversitas inter Græca Testamenta vetera et nova, ideoque periculosum est nova hæc sequi, si id facere non possumus sine condemnatione veterum, neque minus tamen est periculosum vetera etiam sequi, si id facere non possumus sine condemnatione ejus quod Ecclesia ut partem Evangelii Johannis acceptat." Hæc de primo suo exemplo Reginaldus. De altero id tantum profert, quod in annotationibus ad Ephesios habet Beza, testari Hieronymum, verba illa Domini nostri Jesu Christi in Græcis codicibus suo tempore non extitisse, sed tantum

[c] Joh. Driedo, de Scriptur. lib. 2. cap. 1. fol. 40. a.

[d] Reginald Refutat. Reprehens. Whitak. cap. 13. pag. 363.

in Latinis, cum nunc tamen in omnibus veteribus libris et scholiis quoque Græcis hæc particula addatur. Atque ista duo sunt a Reginaldo allata exempla: in quibus si quæ sit novorum codicum a vetere lectione discrepantia, non magis ad Græcorum exemplarium fidem minuendam facit, quam Vulgatæ editionis Latinæ a Tridentinis authenticæ declaratæ, quæ a veterum Græcorum lectione a Reginaldo producta non minus dissentit, quam nostri Græci codices. Paulo prudentius a Reginaldi magistris Rhemensibus factum, quod in Præfatione exempla[e] proferunt, in quibus editio Vulgata Latina a nostris Græcis exemplaribus dissentiens, consentiunt tamen cum vetustis codicibus quos exposuerunt Patres Græci. Et ubi[f] conjecturæ omnes, Græcique omnes Patres deficiunt, ad Latinorum Patrum consensum provocant, qui veterem Vulgatam versionem sequuntur fere et exponunt.

Respondetur: Dicimus cum Sixto Senensi, "eum[g] Græcum codicem, qui nunc in Ecclesia legitur, eundem illum esse, quo ecclesia Græca temporibus Hieronymi, et longe antea usque ad tempora Apostolorum usa est, verum, sincerum, fidelem, et nullo falsitatis vitio contaminatum: idque continuatam omnium Græcorum Patrum lectionem lucidissime ostendere; uno semper atque eodem Scripturæ tenore legentibus, Dionysio, Justino, Irenæo, Melitone, Origene, Africano, Apollinario, Athanasio, Eusebio, Basilio, Chrysostomo, Theophylacto, atque aliis et ante et post tempora Hieronymi patribus." Ad hæc dicimus cum Bessarione Cardinale, lectionem et expositionem doctorum Latinorum, qui vulgatum textum quem repererunt, quemque suo tempore corruptum agnovit Hieronymus, simpliciter secuti sunt, non negantes interim ad Græcorum exemplarium normam Latinos omnes codices exigendos, non esse sufficiens veritatis testimonium, frustraque Græcorum doctorum authoritati opponi: "quibus[h] certe cum de his, quæ in eorum linguæ

[e] Præf. Rhem. sect. 44.
[f] Ibid. sect. 46.
[g] Sixtus Senen. Hæres. 1. Novi Testam. resp. ad 4. argum. Lib. 7. Bibliothecæ sanctæ.
[h] Bessar. de loco Johannis. "Si eum volo manere."

scripta sunt loquantur, et alioquin nec sanctitate vitæ, nec doctrina habeantur inferiores, credendum potius esse fatendum est." Porro etiam addimus cum Anglo-Rhemensibus ipsis non continuo textum vitiosum esse existimandum, "quando[k] aliter in Patribus, vel Græcis vel Latinis legimus: quia non semper verba exacte citant, sed commodum eorum aliquem et pium sensum secuti sunt." Si enim iniquum putant Rhemenses nostri, ut hac ratione editionem Vulgatam Latinam, quod a Patrum vel Græcorum vel Latinorum citationibus dissentiat, corrigendam quis existimet: quanto minus ferendum, ut adversarii eadem inducti ratione, ipsos Verbi divini fontes in corruptelæ suspicionem vocent. Ut hic imprimis illa Theodori Bezæ sententia, quæ a Rhemensibus pro editione Vulgata Latina urgetur, locum habere debeat: "quisquis[l] ex veterum scriptis aut Græcis aut Latinis ista emendanda susceperit, nisi admodum attente et considerate id faciat, omnia certe corruperit potius quam emendarit. Scriptores enim illos seu Græcos seu Latinos non est existimandum, quoties locum aliquem citarunt, toties vel libros inspexisse, vel singula verba numerasse." Denique * * * * * * * * * * * * * * *

Argumentum ducunt Pontificii a Græcorum exemplarium varietate. "Græcam Novi Testamenti editionem corruptam esse non temere conjicimus:" inquit Julius Rugerius, "varia[m] enim imprimis fuisse Græca exemplaria veteres testantur: ut Origenes, qui ait, 'multam[n] differentiam inter exemplaria invenimus,' et Hieronymus 'sed[o] apud Græcos exemplaria sunt diversa.' Ambrosius 'Græci[p] diversos habent codices.' Hanc autem codicum varietatem et dissimilitudinem tollere ne Origenes quidem ausus est, qui narrans se conversionem LXX. interpretum emendasse atque obelis, et astericis distinxisse, hæc verba statim adscripsit. 'In[q] exemplaribus autem Novi Testamenti hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi: tantum

[k] In Præfat. Rhem. sect. 47.
[l] Bez. Præfat. in Nov. Testam.
[m] In opusculo de libris canonicis, cap. 46.
[n] In Math. hom. 8.
[o] In Epist. ad Gal. cap. 5.
[p] In Epist. ad Rom. cap. 5.
[q] In Math. hom. cap. 8.

suspiciones, rationesque et causas suspicionum me debere exponere existimavi non esse irrationabile.' Quis vero ejusmodi loca ab Origene observata correxit, et codicum varietatem sustulerit ignoramus; cum adhuc dissimilitudo, et corruptio in illis appareat." Sic Rugerius. Johannes Mariana in disputatione pro editione Vulgata, ut ostendat Græcorum codicum fidem vacillare, quoties ab editione Vulgata Latina discrepant, capite decimo septimo sibi demonstrandum sumit, "Græcos codices Novi Testamenti olim variasse; et si vetusti codices evolvantur, nullo ferme loco Latina a Græcis discrepare, in qua non inveniatur Græca lectio favens Latinæ." Ac prius illud in ipso capitis citati initio in hunc modum probat. "Cum multa indicant Græcos quondam Novi Testamenti variasse veterum patrum scripta, eorumque qui modo extant discrepantia, tum nihil magis declarat, quam Latini interpretis diligentia: neque enim tam multis locis quibus a Græcis Latina discrepant, de suo capite finxisse verisimile est." Posterius vero pronuntiatum "ex Novo Testamento Græco confirmat, ad cujus exteriorem marginem minio varias lectiones sua manu sedecim codicum facta collatione (in quibus octo erant ex Regia Bibliotheca D. Laurentii, plerique vetustate insignes), adjecerat Petrus Fagiardus Velesius Marchio." Summam quoque in Græco cerni varietatem lectionum ait Christophorus de Sacrobosco: "et quidem ita ut exemplaria, quæ numero sunt pauciora, meliorem habeant lectionem, teste Beza; qui in Præfatione Novi Testamenti anni 1556 affirmat inter antiqua Græca exemplaria, quibus usus fuit ad novam suam translationem, fuisse duo (secundum et octavum vocat) quæ vix unquam a nostra Vulgata editione dissentiebant: eaque censet correctiora:" Hæc Christophorus: qui ad illud quod de duobus Bezæ (vel potius Roberti Stephani) exemplaribus cum editione Latina consentientibus dixerat, in margine amplius addit: "Horum alterum fuisse reor exemplar, quod misit Academiæ Cantabrigiensi. Nam in epistola una missa scribit ita illud a Græcis quæ circumferuntur dissidere, et cum Vulgata editione convenire, ut consultum non putaverit prælo com-

mittere: quemadmodum narrare memini D. Alabastrum." Et alibi idem Christophorus, ut ostendat Pontificios recte facere, quod versionem Latinam ad Græcos codices, qui modo habentur, examinari nolint, præclare scilicet in hunc modum disputat: "Hoc præclare confirmat, quod habet Theodorus Beza in Præfatione Novi Testamenti: ait enim 'multis in locis se observasse lectionem Vulgatæ editionis, quamvis dissentiret a Græcis codicibus, longe tamen meliorem esse: quod in aliam causam referre non potuit, quam quod vetus interpres fidelioribus examplaribus uteretur, quam quæ sit hodie reperire. Neque hoc negat noster Whitakerus, sed admittit responsione ad Reginaldum[s], quæ ut iterum concludam, si confitente etiam adversario nostro, ea exemplaria, quæ ipse fontes vocat, sunt corrupta, et cum veris fontibus non conveniunt; cur nobis vitio vertit, quod nolumus quoties dissentiunt nostram editionem ad illa emendare: et ita de iis loquitur, ac si essent illi ipsi codices, quos sancti Apostoli suis manibus exararunt." Hæc Sacroboscanus, qui in margine etiam hic notat Bezæ Præfationem Novi Testamenti anni 1556, et videre porro jubet annotationes ejusdem in cap. 13. Actorum ver. 20, quod transcripsit ex Anglo-Rhemensium Præfatione in Novum Testamentum[t]: ubi defendunt illi nihil ex eo derogari authoritati editionis Latinæ, quod a Græco textu dissentiat: quandoquidem translata sit ex aliis Græcis exemplaribus, hodie partim extantibus, partim non extantibus, vel æque bonis atque antiquis vel melioribus ac antiquioribus, cujusmodi illi Græci codices fuerunt, quos doctiores et diligentiores vocat[u] Augustinus. Id vero confirmant[x], tum ex Græcis exemplaribus quibus usi sunt Robertus Stephanus, Crispinus, Erasmus, Beza et Gagneius; tum ex Theodori Bezæ testimonio in prefatione ad Novum Testamentum a se editum, ita de Erasmo Roterodamo scribentis. "Quam immerito multis locis veterem interpretem reprehendit, tanquam a Græcis dissentientem. Dissentiebat, fateor,

[s] Pag. 326 et 327.

[t] Rhem. Præf. sect. 39.

[u] Augustin. de Doctr. Christ. lib. 2. cap. 15.

[x] Rhem. præfat. sect. 39. 41. 43.

ab iis exemplaribus quæ ille nactus erat: sed non uno loco comperimus aliorum codicum, et quidem vetustissimorum, autoritate eam interpretationem niti, quam ille reprehendit. Quinetiam aliquot locis animadvertimus veteris interpretis lectionem, quamvis cum nostris Græcis exemplaribus non conveniat interdum, tamen multo melius quadrare: nempe quod emendatius exemplar secutus esse videatur." Eandem Bezæ confessionem denuo inculcat Wilhelmus Reginaldus[y], eandemque, velut quæ ipsius quidem "judicio[z] omnia argumenta longe multumque superet" urget Andradius: ubi etiam multis de Græcorum exemplarium varietate disserit. "Illud[a]," inquit Andradius, "principio constitutum esse volo, Græca exemplaria, ex quibus plurimi Latina corrigenda susceperunt, usque adeo inter se dissidere, ut veritas non semel sit conjecturis ex illis haurienda." Et paulo post: "Si[b] aut nullum aut perexiguum fuisset in Græcis voluminibus, quemadmodum in Hebræis dissidium, vel certe Græcum aliquod exemplar reperire licuisset tam certum et incorruptum, ut illius nemo posset fidem in dubium revocare, concederem fortasse ut ex eo Latina corrigerentur: verum in tanta illorum varietate, et in tam innumerabilibus dissimilitudinibus, ad quod quæso sine magna levitatis suspicione provocabimus, aut ex quo Latina multorum seculorum consensione firmata, Romanæque ecclesiæ auctoritate commendata corrigemus, aut qua fronte præ Græcis Latina contemnere audebimus aut quomodo, (nam hucusque etiam[c] postea progreditur) nisi ex veteri Latina editione, statuere poterimus, quæ Græca sint vitiosa, et quæ corrupta et quæ integra, casta et incorrupta." Hoc etiam argumento utitur Melchior Canus. "Magna[d] est dissensio sæpenumero Græcorum codicum, qui nunc habentur in manibus. Unde et qui nostris temporibus ad Græca dicunt se expendere Latina, haud raro inter se dissident, non in verbis modo, sed in sententiis quoque." Et post. "Qui ad Græca exemplaria nos revocant, eandem

[y] Refutat. repr. Whitak. cap. 13.

[z] Andrad. Defens. Fid. Trident. lib. 4. pag. 706, 707.

[a] Ibid. pag. 673.

[b] Ibid. pag. 674.

[c] Ibid. pag. 684.

[d] Can. de loc. Theol. lib. 2. cap. 3.

varietatem inferre volunt, a qua olim Hieronymus libros nostros asseruit; imo eandem falsitatem, a qua ille codices nostros expurgavit. Nam varietas codicum, facilis depravationis occasio esse solet." Lindanus quoque ut probet, "Græcam Novi Testamenti editionem non esse puram putam:" ostendit, multa "variare[c] in codicibus Græcis, ut nescias quidnam pro genuino legendum." Deinde libro quarto exemplar subjicit et Stapletonus. "Certe[d]," inquit, "hodie exemplarium Græcorum magnam fuisse diversitatem et contrarietatem satis apparet ex scholiis Roberti Stephani, qui quatuordecem diversis exemplaribus usus est." Respondetur * * * * * *
* * * * * * * * * * *

IV. "Veterum[e] hæreticorum plurimi fuerunt Græci, ideoque Scripturæ ea in lingua magis ab eis corruptæ fuerunt, quemadmodum antiqui Patres sæpe conqueruntur." Hoc argumento probant Anglo-Rhemenses editionem Vulgatam editionem non modo reliquis omnibus Latinis translationibus meliorem esse, sed et Græca ipsa editione, in iis locis, in quibus differunt: et post eos Christophorus de Sacro Bosco, "Antiqui[f] Hæretici, maxima ex parte fuere Græci, qui quanto studio incumberent corrumpendis Scripturis, quæ ipsorum hæresibus adversabantur, videre potes apud Tertullianum[g], Ambrosium[h], et alios: immo hoc studium fuit tantum, tamque notum, ut Catholici sæpe dubitarint de veris partibus librorum Novi Testamenti, existimantes fuisse eas ab hæreticis additas, non ab Apostolis conscriptas: ut de historia fletus Christi super Hierusalem, et de sudore sanguinis in horto instante tempore passionis, quæ e pluribus libris erant abrasæ, quod insertæ putarentur ab Arianis, notat Franciscus Panigarolla, sermone decimo de passione, et insinuat in Ancorato post medium Epiphanius." Hæc ille. Similiter Nicolaus Zegerus in Prologo Epanorthotæ sui conqueritur hac ratione, "non in nostris

[c] Lindan. de opt. gen. Interp. lib. 2. cap. 7.

[d] Stapleton. Prelect. de doctrin. controv. 5. quæst. 3. art. 2.

[e] Rhem. Præf. in Novum Testam. sect. 36.

[f] Sacrobosc. part. 1. Defens. Bellarm. cap. 1. pag. 23.

[g] Lib. 5. contra Mar.

[h] De Spiritu Sancto, lib. 3. cap. 10. op. tom. 2. pag. 676.

tantum esse peccatum, sed etiam in priscæ ac primæ pene ætatis exemplaribus. Mox enim ubi perfidia grassari cœpit hæretica, cœpit simul et quorundam temeritudo vel sacrosancta violare divinarum literarum oracula, ut, quod persuadere haud poterat sapientia seu verius malitia humana, mentita adstrueret authoritas divina." Tum ex libris Tertulliani adversus Marcionem, pluribus ostendit, "multa ex Scripturis subtracta fuisse per Marcionem, quæ adversari videbantur ipsius dogmati:" nec voces modo et sententias nonnullas, sed "etiam integra capita, imo integros libros, ut Evangelia omnia (solius Lucæ excepto), librum Actorum Apostolicorum, et Apocalypsin." Alia præterea loca, inquit Julius Rugerius, "contaminarunt Arriani: ut est illud quod Ambrosius[h] expresse notavit 'Spiritus est Deus:' quæ verba illi sustulerunt, nec soli ipsi, sed alii quoque hæretici codices corruperunt: quod testatus Tertullianus dicebat 'Hæresis[i] non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, adjectionibus et detrectationibus ad dispositionem instituti sui intervertit.' Idem comprobans Hieronymus ait: 'Hæretici[j] quicquid contrarium suo dogmati viderunt, eraserunt.' Cum vero ejusmodi hæreses in Græcia maxime viguerint; Græci quoque codices valde sunt corrupti." Ita Rugerius, in opusculo de libris canonicis. Plura hic testimonia[k] de Hæreticorum perfidia addit Canus, ex Eusebio, libro quinto Historiæ Ecclesiasticæ, capite ultimo: Irenæo adversus hæreticos, libro primo, capite vicesimo nono: Basilio, libro secundo contra Eunomium: Ambrosio in commentariis super epistolam ad Romanos, et in proœmio primi libri super Lucam: Hieronymo in proœmio super epistolam ad Philemonem; et Origene in commentariis super epistolam ad Romanos, quo probet scilicet, "Græcos multis locis, ut Scripturam ad suum sensum traherent, Novum Testamentum violasse." "Nec[l] dubium est," inquit Johannes Mariana, "sæpe ab Hæreticis Græcos codices contaminatos multis locis fuisse: et fuit Græcia ab omni memoria hæresum sectarumque ferax; quo periit malo." Tum ut probet ab Hæreticis divinas Scripturas

[h] Lib. 3. de Spiritu Sancto, ca. 11.
[i] Tertull. de præscriptionib.
[j] In proœm. Epist. ad Tit.
[k] Can. de loc. Theol. lib. 2. cap. 13.
[l] Marian. Pro ed. Vulg. cap. 16.

vitiatas, præter testimonia a Cano ex Irenæo, Basilio et Eusebio notata, Theodoretum citat; qui libro secundo contra hæreses, "Hydroparastatas (sic dictos, quod aquam offerrent in sacrificio) affirmat ex quatuor Evangelistis confecisse evangelium, quod per quatuor ipsi vocabant; detractis genealogiis, aliisque, unde Christus ex Davide ortus secundum carnem monstratur: aitque plures ducentis invenisse se apud Catholicos absque ulla veneni suspicione lectitari." Concludit demum Jesuita: "Porro ex tantis corruptionibus tantaque licentia contaminandi Scripturas verisimile est plures errores ac vitia in Græcos codices ad nostram ætatem manasse." Respondetur * * *

* * * * * * * * * *

Sed illud longe gravius adhuc superest adversariorum argumentum[m], quod, ut illi jactitant, "hanc rem semel efficiat:" nimirum, "Vulgata Græca exemplaria, et inde transfusam Erasmianam editionem eas plane habere corruptelas, quibus prisci olim hæretici Novum Testamentum vitiare atque corrumpere sunt aggressi." Id vero ita demonstrare aggreditur Wilhelmus Lindanus, capite nono libri secundi de optimo genere interpretationis, quod huic argumento totum destinavit. "Cum ille Marcion Ponticus Evangelicas literas non adulterasset modo, sed ita etiam arrosisset, ut non fuerit mus Ponticus tam comestor, ait Tertullianus, quam qui Evangelia corrosit: varia ejus tam adulteria quam arrosiones in plerisque etiamnum apparent Græcis codicibus. Quod enim Divus Paulus scripsit: 'primus[n] homo Adam in animam vivam, novissimus Adam in spiritum vivificantem,' stultissimus hæreticus, ait Tertullianus libro quinto, noluit ita esse: Dominum enim posuit, pro novissimo Adam. Et paulo inferius dicit eundem Marcionem illud, 'secundus homo de cœlo cœlestis,' corrupisse, 'secundus Dominus de cœlo.' Quam corruptelam quis adeo sit oculis captus, qui eam in Erasmianis et aliis Græcis omnino omnibus in vulgus notis non agnoscat? vide locum, lector, et ipse judica. 'Primus homo de

[m] Lindanus de opt. gener. interp. lib. 2. cap. 9.
[n] Epist. ad Cor. cap. 15. ver. 45.

terra terrenus: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ: secundus homo Dominus de cœlo.' An non hic ipsissimam videas Marcionis illius Pontici muris arrosionem? Atqui hanc corruptelam, si Erasmo fidem habes, omnia quæ vidit exemplaria Græca circumferunt. Græci lectionem habent, ait, a nostra diversam: idque constanter ad eundem modum interpretantibus Chrysostomo et Theophylacto, sic et Roberti omnia illa 18. ni ejus hic dormitarit vigilantia, aut operarum fallat industria.

"Sed quam ista lectio etiam Chrysostomi et Theophylacti munita exemplo, male sapiat Erasmi palato, verba ejus subtexta loquuntur. 'Quanquam ut ingenue dicam (inquit), mihi magis probatur quod in nostris codicibus scriptum est, præsertim cum ita legunt Hieronymus et Ambrosius et magis respondet ad id quod præcesserit de terra terrenus.' Sed corruptelæ hujus conjecturam adfert præposteram: 'Proinde arbitror, inquiens, ὁ κυριος asscriptum a studioso quopiam, qui voluit orationem reddere explanatiorem.' Quam hic toto erret cœlo Erasmus, ex Tertulliani liqueat animadversione, qui hanc Græcorum codicum lectionem non a studioso demonstrat orationis explicandæ gratia asscriptam, sed a Marcione imposturæ hæreticæ causa corruptum. Ejusdem prorsus notæ est illud ejusdem, capite decimo quinto epistolæ ad Corinthios prioris, si Tertullianus meretur fidem, 'Portemus et imaginem cœlestis.' Quod Marcion depravarat, portabimus, hoc est, loco του φορέσωμεν substituit φορέσομεν. Hæc enim verba, inquit Tertullianus libro quinto adversus Marcionem, 'ad exhortationem spei cœlestis Paulus subjicit, non ad substantiam ullam referens resurrectionis, sed ad præsentis temporis disciplinam. Portemus enim, inquit, non portabimus: præceptive non promissive, volens nos sicut ipse incessit ita incedere, et a terra, id est, veteris hominis imagine abscedere, quæ est carnalis operatio.' Cum igitur vera Pauli lectio habeat portemus, sive φορίσωμεν, et non, portabimus, φορίσομεν per o, liquet cujusdam sit fidei versio Erasmiana, quæ hanc corruptelam portabimus, pro germana venditat Apostoli sententia." Rursus "et cujus sint fidei isthæc Græca volumina, quæ pleraque per futurum legunt, etsi pauciora nobiscum per optativum."

Hæc Lindanus. Eum quoque secutus Johannes Mariana pro editione Vulgata, capite decimo sexto, "Non" inquit, "incuria librariorum, quod erat tamen miserandum, sed hæreticorum audacia non pauca in Novo Testamento vitiata esse, et fraudibus confirmant subjecta exempla. Tertullianus, libro quinto contra Marcionem, illum affirmat multa in divinis libris corrupisse. Ex iis 1 Corinth. 15, 45, ubi nos legimus: 'Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis,' Marcionem supposuisse ait: 'Secundus homo Dominus de cœlo.' Rursus versu 49: 'Sicut portabimus imaginem terreni, portemus imaginem terrestris;' quo nimirum futuræ resurrectionis modum, sectæ commentum Pauli verbis confirmaret. Utroque autem loco in Græcis codicibus vulgo pro vera lectione Marcionis lectionem invenimus: in primo *ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ*, in posteriori *φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου*. Vade ergo et fide Græcis codicibus, ad eos, quasi ad primos fontes, revoca exortas de religione controversias." Verum non difficile fuerit istam Pontificiorum insolentiam retundere. Tria a Lindano proferuntur loca ex decimo quinto capite prioris epistolæ ad Corinthios, quæ a Marcione corrupta, ex libro quinto Tertulliani adversus hæreticum illum scripto, astruere conatur: e quibus postrema duo a Johanne Mariana similiter contra Græcorum codicum fidem producuntur.

Primus locus est versus quadragesimus quintus, ubi pro novissimo Adam, stultissimum hæreticum posuisse Dominum novissimum testatur Tertullianus. Verum cum Græca exemplaria constanter hic legant, *ὁ ἔσχατος* 'Αδαμ, neque corruptelæ Marcionis extet in iis vola aut vestigium: ineptissime ab hoc exemplo demonstrationem suam exorsus est Lindanus, quod quum ad rem omnino non facit idcirco a Johanne Mariana hic omissum est.

Secundus locus qui versu 47. legitur non a Lindano modo et Mariana; sed etiam ab Anglo-Rhemensibus[o], Roberto Bellarmino[p], Nicolao Zegero in Epanorthotæ Prologo,

[o] Præf. Rhem. in Nov. Test.

[p] De Verb. Dei, lib. 2. cap. 7.

Thoma Stapletono[q], Julio Rugerio in opusculo de libris canonicis urgetur. "Pro illo 'Secundus homo de cœlo cœlestis' Marcion substituit 'Secundus Dominus de cœlo:' sicuti in hodiernum usque diem legitur:" inquit Zegerus. Tertullianus, aiunt Rhemenses, "notat Græcum textum qui hodie extat, veterem esse corruptionem Marcionis hæretici, illum autem verum esse qui in nostro Vulgato Latino habetur · 'Secundus homo de cœlo cœlestis.' Sic alii Patres antiqui legunt (Ambrosium notant in margine) et ita esse oportere existimat Erasmus; id quoque Calvinus[s] ipse sequitur." "Certe," inquit Bellarminus, "1 Cor. 15. legendum est: 'Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis;' ut non solum nostra Latina versio habet, sed etiam Calvinus probat. At Græci constanter legunt, Dominus de cœlo, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανου. Quam depravationem mansisse vitio scriptorum ex corruptionibus Marcionis, patet ex Tertulliano, libro quinto in Marcionem." Hactenus Bellarminus. Post quem Rugerius: "loca quidem aliquot a Marcione corrupta Epiphanius tum observavit, tum etiam restituenda monuit: sed nec propterea sublata illa menda omnino fuisse novimus; cum in Græcis codicibus nunc quoque legatur, 'Secundus homo Dominus de cœlo: cum integra et germana lectio, quam etiam in Vulgata Latina editione habemus, sit 'Primus homo dē terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.' quam detractionem et corruptionem Marcionis fuisse testatur Tertullianus." Et postea "locum illum corruptum esse omnes fatentur, quem legendum dicunt 'Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis:' idque negare non audet Calvinus ille qui Latinos codices ex Græcis emendatos esse monebat." Respondetur; quod ait Rugerius, Epiphanium loca aliquot a Marcione corrupta restituenda monuisse, nec propterea tamen sublata illa menda omnino fuisse: nugatorium est. Neque enim dicit Epiphanius corruptelas a Marcione invectas Catholicorum libros occupasse: neque ex tot corruptelis ab Epiphanio indicatis, vel una ostendi potest in Græcis codicibus qui

[q] Prelect. princ. doctrin. controv. 5. quæst. 3. art. 3. [r] Cap. 46.
[s] Instit. lib. 2. cap. 13. par. 2. Ibid. cap. 7. sect. 12.

hodie extant. Nam ad textum illud 1 Cor. 15. 47. quod attinet: inter loca a Marcione depravata ab Epiphanio omnino non numeratur: neque etiam uspiam dicit Tertullianus genuinam esse eam lectionem quæ in Vulgato Latino Interprete habetur "Secundus homo de cœlo cœlestis:" a Marcione vero suppositam, quæ in Græcis codicibus cernitur "Secundus homo Dominus de cœlo." Pontificii hic 'ipsi sibi somnia fingunt.' Nam. 1.

* * * * * * * * * * *

* * * * * * * * * * *

Inter Marcionis corruptelas numerat etiam Nicolaus Zegerus in Epanorthotæ Prologo, postremorum trium versuum Epistolæ ad Romanos omissionem; *τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι, κατὰ τὸ Εὐαγγέλιόν μου καὶ τὸ κήρυγμα Ιησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, φανερωθέντος δὲ νῦν, διά τε γραφῶν προφητικῶν, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος. Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Αμήν.* Hanc enim clausulam "ab eo sublatam fuisse, refert in suis commentariis Adamantius, aut certe ipsius interpres Hieronymus, quemadmodum et hodie abesse cernitur in commentariis Theophylacti." Ita Zegerius. Et post eum Canus[t], ut probet Græcos Novum Testamentum violasse, citato Origene in commentariis super epistolam ad Romanos, subjungit: "Nam in plerisque Græcis exemplaribus, deest tota illa, clausula. Ei autem qui potens est, etc. Quam ne Theophylactus quidem habuit." Respondetur: olim sane in plerisque exemplaribus (Græcis an Latinis an utrisque incertum) totam illam clausulam defuisse apparet ex sequentibus Hieronymi verbis. "Qui[u] volunt prophetas non intellexisse quod dixerint, sed quasi in ecstasi locutos, cum præsenti testimonio, illud quoque quod ad Romanos in plerisque codicibus invenitur, ad confirmationem sui dogmatis trahunt, legentes: 'Ei autem qui potest vos roborare juxta Evangelium meum' et reliqua." Verum in Græcis exemplaribus, quæ typis excusa in omnium sunt manibus, coronide

[t] Loc. Theol. lib. 2. cap. 13.

[u] Hieron. Comm. in Epist. ad Ephes. cap. 3. lib. 2. op. tom. 4. pag. 351.

hac Epistola ad Romanos clauditur. In manuscriptis non habentur quidem isti versiculi in calce Epistolæ, sed inter decimum quartum et decimum quintum caput interseruntur integri, quo etiam in loco exponuntur a Chrysostomo, Theodoreto, scholiis Græcis quæ Theoduli et Œcumenii feruntur nominibus, atque ipso etiam Theophylacto. Neque enim ab illo omissa est hujus clausulæ interpretatio, (quod Zegerus et Canus affirmat), sed a Latino ipsius interprete, quod accidisse casu Erasmus arbitratur. "Priore[x] videlicet loco prætermisit ut consentiret cum Latinis codicibus, ad finem ubi ventum est, oblitus non adjecit." Quod vero Zegerus in Epanorthota ad decimum quartum caput Epistolæ ad Romanos, et post eum Beza, hujus transpositionis "Marcionem opinatur autorem, aut certe occasionem fuisse: utpote qui reliquam epistolæ hujus partem (quæ decimo quinto et decimo sexto capitibus continetur) notham affirmans, adeoque rejiciens ut testis est Hieronymus[y], hac epistolam coronide claudendam censuisse credatur:" et sibi ipsi contradicit, et authori quem testem advocat. Si enim a Marcione "sublata fuerit hæc clausula," quemadmodum in Epanorthotæ suæ prologo ex Origene aut ejus interprete Hieronymo confirmat Zegerus: quomodo credibile est, hac ipsa "epistolam coronide claudendam censuisse." Origenes vero aut illius interpretator (Ruffinus utique, falso creditus Hieronymus) a Zegero citatus, non modo affirmat verba ista Marcionem de hac epistola penitus abstulisse; sed etiam codices in quibus ea post decimum quartum caput reponuntur, diserte numerat inter illa exemplaria "quæ non sunt a Marcione temerata." Descriptis enim verbis hujus coronidis ita subjicit. "Caput[z] hoc Marcion, a quo Scripturæ Evangelicæ atque Apostolicæ interpolatæ sunt, de hac epistola penitus abstulit, et non solum hoc, sed et ab eo ubi scriptum est, Omne autem quod non est ex fide peccatum est, usque ad finem cuncta dissecuit. In aliis vero exemplaribus, id est, in his quæ non sunt a Marcione temerata, hoc ipsum caput

[x] Erasm. annot. in Rom. 14. [y] In Comm. Orig.

[z] Orig. Commentar. lib. 10. in Rom. cap. 16.

diverse positum invenimus. In nonnullis etenim codicibus post eum locum quem supra diximus, hoc est, Omne autem quod non est ex fide peccatum est; statim cohærens habetur, Ei autem qui potens est vos confirmare, alii vero codices in fine, id est, ut nunc est positum, continent." Sic igitur fontes Græcos a muris Pontici arrosionibus integros atque illæsos exhibuimus: "quarum aliquæ in Græco textu ad hunc usque diem hærere dicuntur," inquit Gregorius Martinus, timidius aliquanto hoc afferens nec ea qua socii confidentia asseverare ausus. Sed quam vere ista dicantur ab adversariis jam vidimus: videamus tamen an labem aliquam ex Nestorianorum fæcibus contraxerint Græca exemplaria.

"Sic enim objiciunt Anglo-Rhemenses, "Ecclesiastica historia quæ Tripartita dicitur notat Græcum textum qui nunc habetur, 1 Joh. 4. 3. a Nestorianis hæreticis corruptum; eamque lectionem esse veram quæ extat in editione Vulgata Latina; Omnis Spiritus qui solvit Jesus ex Deo non est, et fatetur Beza[a] Socratem in Ecclesiastica historia ita legere in Græco, *πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ιησουν Χριστὸν*, etc. Hæc Rhemenses nostri Prefatione ad Novum Testamentum, qui etiam ad Latinam lectionem tuendam, præter Socratem et Tripartitam historiam[b], citant etiam Irenæum[c], Augustinum[d] et Leonem[e]. Objicitur nobis hæc corruptio a Stapletono[f] quoque. Respondetur: quod locus iste a Nestorio corruptus dicatur, id totum ab uno Socrate pendet: in Tripartita enim historia nihil habemus aliud quam ipsum hoc ex Socrate repetitum.

[a] Socr. Hist. Eccles. lib. 7. cap. 32. [b] Lib. 12. cap. 4.
[c] Lib. 13. cap. 18. op. pag. 207. [d] Tract. 6. in Joh. op. tom. 3. pag. 871.
[e] Epist. 10. cap. 5.
[f] Relict. Princ. Doctrin. controv. 5. quæst. 3. art. 2.

Primum defectus exemplum a Lindano producitur ex Matthæi capite primo, versu undecimo, ubi, inquit, "attestantibus Epiphanio et Hieronymo, deest una generatio in omnibus exemplaribus Erasmianis ac Roberti Stephani, uno tantum excepto, quod ιδ est insignitum." Johannes Mariana pro editione vulgata, capite decimo sexto: "Epiphanius testatur libro primo, Epicuri[g] sectam explicando, Math. 1. 11. bis Jechoniam legi debere 'Josias autem genuit Jechoniam, Jechonias autem genuit Jechoniam et fratres ejus,' et a quibusdam indoctis rerum Evangelicarum ad ambiguitatem tollendam, velut emendandi gratia deletum esse posteriori loco Jechoniæ nomen, cum eundum esse putarent; cum prior Jechonias alio nomine Amasias diceretur, posterior 'Sedechias et Joachim,' qua correctione ex quatuordecim generationes tredecim factæ sunt." Hæc Mariana. Andradius quoque libro quarto Defensionis fidei Tridentinæ existimat, "tam Latina quam Græca exemplaria hoc in loco corrigenda esse:" quod confirmat tum authoritate Epiphanii[h], et Hieronymi[i], tum ex eo præcipue, quod "si Joachim generatio desideretur, constare non possint quæ Matthæus ait a Davide Rege ad transmigrationem Babylonis generationes esse quatuordecim, atque inde ad Christum usque totidem." Eademque est Johannis Maldonati in commentariis ad primum caput Matthæi, sententia.

Respondetur si una generatio necessario hic addenda: facit id adversus authoritatem Latinæ Pontificiorum editionis, non Græcæ: agnoscit enim ipse Andradius[k] omnia Latina exemplaria habere: "Josias genuit Jechoniam, et

[g] Imo post explicatam Epicuri sectam in Prolegomenis ad sectas Samaritanorum et Judæorum quæ distinctio in impressis libris neglecta Jesuitam induxit in errorem.

[h] Lib. 1. sect. 8.

[i] In 1. cap. Math.

[k] Andrad. lib. 4. pag. 686.

fratres ejus in transmigratione Babylonis:" verum vetustissima Græca habere: Josias autem genuit Joachim, Joachim autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis." Et in priorem quidem lectionem consentire Latina exemplaria, constat ex codicibus quibus in suis editionibus usi sunt, Robertus Stephanus, Nicholaus Zegerus, Johannes Hentenius, Lovanienses Theologi, Sixtus V. et Clemens VIII. Posteriorem vero in nonnullis Græcis codicibus extare, confirmat quoque Johannes Mariana[l]: quam videre etiam licet in variarum Novi Testamenti lectionum libellis a Roberto Stephano[m] anno 1568, et Gulielmo Cantero, anno 1571 concinnatis: quomodo et in Simonis Colinæi editione, quæ Parisiis, anno 1534 prodiit, habetur. *Ιοσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε Ἰεχονίαν*, vel *τὸν Ἰεχονίαν.* ut etiam Jacobus Faber Stapulensis in commentariis, quos in Evangelia Meldis anno 1521 in lucem dedit, ex vetusto archetypo Græco repræsentavit: fallitur enim Maldonatus, cum scribit Stapulensem affirmare se in antiquo quodam Græco codice legisse: "Josias autem genuit Joachim et fratres ejus in transmigatione Babylonis; Joachim autem genuit Jechoniam." Quæ lectio utut Jesuitæ probetur, nobis tamen absque veterum exemplarium fide probari non potest: ut nec altera illa, quam ex Epiphanio affert Johannes Mariana: "Josias[n] autem genuit Jechoniam, Jechonias autem genuit Jechoniam et fratres ejus," quemadmodum et illa duorum Jechoniarum distinctio quam ex eodem Epiphanio producit Mariana, omni fundamento caret; priorem Jechoniam alio nomine Amasiam dictum, posteriorem Sedechiam, et Joachim. Nec tamen vel illam Græcorum lectionem quæ Joakimum Christi genealogiæ inserit, vulgatæ lectioni temere præferendam: nec Jechoniæ duplicis distinctionem omnino contemnendam esse existimamus. Nam ut vulgata lectio hodie constanter cernitur in exemplaribus Evangeliorum Latinis, Syriacis, Arabicis, Æthiopicis, Anglo-Saxonicis, etc. ita et Græcorum codicum istam olim fuisse commu-

[l] Marian. pro edit. vulg. cap. 16.
[m] Vid. edit. Aldi et Erasmi et complect. et MSS. in eos.
[n] Vid. Petav. in Epiphan.

nem lectionem, vel illud argumento est, quod hinc calumniam Ecclesiæ struxerit impius Porphyrius, ob unius generationis in tertia Tesseradecade defectum, Evangelistam Matthæum insimulans falsitatis (ut constat ex Hieronymi commentariis ad initium primi capitis Danielis): et veteres patres Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, etc. ista quæstio exercuerit. Ad eam vero solvendam duorum Jechoniarum distinctio non parum facit, a veteribus hic adhibita. Quod enim dicitur, "Post[o] transmigrationem Babylonicam, Jechonias genuit Salathiel:" accipiunt de Jechonia Joakimi filio[p], eo scilicet qui Jehojacin sive Joachin dictus, patri in regno successit, atque a Nebuchadnetzare in Babyloniam deportatus, anno demum captivitatis suæ 37 ab ejus successore Evilmerodocho ad regiam dignitatem in aula Babylonica evectus est, quemadmodum ex fine sacræ Regum historiæ intelligitur. Itaque ab hoc inchoanda tertia tesseradecas, quæ a transportatione Babylonica ad Christum protenditur; connumerato nimirum tum ipso Jechonia, tum etiam Christo: nec enim alias summa constare potest. Quod autem versu illo legitur, "Josias genuit Jechoniam et fratres ejus, in transmigratione Babylonica:" minime intelligendum volunt, de Jechonia illo Joakimi filio, cujus nulli leguntur in Scriptura fratres: sed vel de ipso Joakimo cum Ambrosio, vel de Joachazo, qui Josiæ patris proximus in regno successor fuit[q], cum Euthymio. Quia enim in Græcis Bibliis et Ecclesiasticis scriptoribus Joakim pater et Joachin filius uno et eodem Joakimi censebantur nomine, idcirco et Jechoniæ appellationem utrique communem fuisse, Ambrosius censuit. "Ergo pater inter generationes superiores est computatus, qui successit Josiæ, filius inter posteriores qui successit patri, id est, nepos Josiæ:" inquit ille[r], ita demum concludens, "Non igitur suppressit alterum Evangelista, sed utrumque signavit; quod uterque Jechonias dictus sit. Ita addito juniore Jechonia, generationes quatuordecem computantur." Verum hac de re Hieronymus audiendus, initio commentarii in Danielem quo spectat

[o] Mat. 1. 12.

[p] 1. Chron. 3. 16.

[q] 2. Reg. 23. 30, 31.

[r] Libro 3. commentar. in Luc. cap. 3.

etiam Fastorum Siculorum[s] locus ille: *βασιλεύσας ἔτη ὁ Ἰεχωνίας, ὁ καὶ Ἰωακείμ, ἀπέθανε. καὶ βασιλεύει μετ' αὐτοῦ Ἰωακείμ υἱὸς αὐτοῦ, ἔκγονος Ἰωσίου, ὅντινα ἡ βίβλος τῶν παραλιπομένων καὶ τὸ Ἐυαγγέλιον Ἰεχωνίαν ὀνομάζει, ὅστις τρίμηνον ἐβασιλένσεν*, ut sensus sit, Josiam genuisse tum Jechoniam sive Joachazum, qui in Ægyptiaca captivitate defunctus est; tum fratres ejus Joakimum et Sedekiam, qui in Babylonica captivitate abducti sunt: postquam demum Jechonias alter, Joakimi filius, genuerit Salathielem[t].

Joachazam vero Jechoniam dictum fuisse, ex tertio libro Esdræ (qui Græcis primus est, ut canonicus Ezra et Nehemias secundus) confirmat Euthymius. Ubi enim in vulgatis nostris Græcis, et in editione vulgata Latina[u], Joachaz rex constitutus fuisse scribatur pro Josia patre ipsius; in suis libris Jechoniam ille reperit: quomodo et in Vaticana editione LXX. hodie legitur, pro qua sententia facit et Clemens Alexandrinus: cujus in primo Stromatum libro, verba hæc sunt: *Ἰωσίαν διαδέχεται Ἰεχωνίας* [*ὁ*] *καὶ Ἰωάκας ὁ υἱὸς αὐτοῦ, μῆνας τρεῖς*[x] *καὶ ἡμέρας δέκα. Τοῦτον Νεχὼ βασιλεὺς Ἀιγύπτου δήσας, ἀπήγαγεν εἰς Ἄιγυπτον, καταστήσας ἀντ' αὐτοῦ βασιλέα τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἰωακεὶμ, ἐπὶ φόρῳ τῆς γῆς ἔτη ἕνδεκα.*

* * * * * * * * * *

IV. Mat. cap. 10. ver. 12. "Intrantes in domum, salutate eam, dicentes pax huic domui: hoc totum (inquit Lindanus), dicentes pax huic domui, deest codicibus Erasmi Græcis, et Roberti Stephani plerisque, verum esse locum apud Græcos mutilum, testatur nobis editio Complutensis, Italicus codex Roberti et Regii 5 (leg. 2.) *στ. ιδ.* Suffragatur nobis et Syriacum Evangelium." Cui et Chrysostomum addit[y] Andradius. Nicholaus Zegerius in Epanorthote suo confirmat hæc verba adjicienda esse; 1. ex interpretatione Hilarii autoris antiquissimi. Secundo ex ipso sermonis tenore. "Quo enim (inquit) referetur quod subditur. 'Et siquidem fuerit domus digna, veniet pax ves-

[s] Apud Bezam. in Math. 1.
[t] Vid. Broughton conciliat.
[u] 3 Esdr. 1. 34.
[x] Josephum in eo secutus, non Scripturam.
[y] Andrad. lib. 4. defens. fid. Trid. pag. 676.

tra super eam:' si nulla imprecandæ pacis precedat mentio. Certe, ut citra hæc verba probe cohæreret sermo, potius dicendum fuerat; salutatio vestra ad vos revertetur. Tertio ex Hebræo codice, qui ita habet ותשאלוהו בשלומו לאמר שלום לזה הבית, i. e. salutate eam salutatione sua dicentes, pax huic domui."

Respondetur: si addenda sunt ista verba, non probant adversarii mutilatam esse Græcam editionem, sed quædam tantum illius exemplaria. Ipse enim Lindanus agnoscit ea verba reperiri in Complutensi editione et quatuor MSS. codicibus Roberti Stephani. Quibus addere licet et Simonis Collinæi editionem, et Biblia Regia ab Aria Montano adornatam, et textum Græcum Theophylacti Romæ anno 1542 excusum. Variant enim hic Græca exemplaria: quemadmodum etiam et Latina. In codice enim MS. emendatissimo Augusti Hunnæi omnino horum nihil lectum esse, testatur Fr. Lucas Brugensis, eandemque lectionem ex duobus MSS. et textu qui cum Hieronymi commentariis excusus est, annotant Lovanienses, quibus addo et venerandæ vetustatis exemplar quatuor Evangeliorum quod nostri inter veterum *κειμήλια* venerati sunt. Porro etiam Erasmus, et post eum Franciscus Lucas, non temere suspicantur, verba ista (quod alias sæpe factum) ex aliis Evangelistis huc addita fuisse. In vetustissimo enim quodam exemplari Latino adscriptum est, sed in margine: "Primum dicite, pax huic domui," eodem prorsus modo, quo apud Lucam, cap. 10. ver. 5, locus legitur, cum Latine tum Græce. Nec quicquam proferunt adversarii quod evincat, verba ista in Matthæo retinenda. Quod enim Zegerus Syriaci Evangelii et Andradius Chrysostomi authoritatem urget: inconsulto utique id factum, cum neque in Syriaco Evangelio, neque etiam in Chrysostomo Græco (Latina enim Arriani versio hic infida est) verba ista inveniantur; quemadmodum nec in Euthymio. Hilario vero opponimus Hieronymum, cujus apud Pontificios potior debet esse authoritas, qui ista in commentario suo non agnovit; quemadmodum ab Erasmo et Francisco Luca hic observatum est. Hebraico codici, qui e perfidorum Judæorum officina prodiit, et nullius pror-

sus apud doctos authoritatis est; opponimus codices Syriacos et Arabicos, veterum Christianorum opera elaboratos. Quod denique "ex ipso sermonis tenore" a Zegero prolatum est argumentum, id ex Hieronymi commentario recte solutum est a Francisco Luca. Occulte, inquit Hieronymus, "Salutationem Hebræi ac Syri sermonis expressit. Quod enim Græce dicitur, *χαῖρε*, et Latine Ave ; hoc Hebraico Syroque sermone appellatur שלום לך, sive שלום עמך id est, pax tecum." Ita in salutatione Angelica[z], ubi in Græco est *χᾶιρε*, in Latino Ave, in Syriaco est ܫܠܡ ܠܟܝ. Pax tibi : et in Apostolicis[a] illud *ἀσπάσασθε*, quod toties occurrit, a Syro interprete redditur ܫܐܠܘ ܒܫܠܡܐ , petite pro pace, vel postulate pacem. Ita hoc in loco, *ἀσπάσασθε αὐτὴν* salutate eam, nihil aliud est, quam pacem illi precamini, quemadmodum recte observavit Euthymius, quomodo et Syrus paraphrastes reddidit ܫܐܠܘ ܫܠܡܗ ܕܒܝܬܐ. Postulate pacem, vel Rogate pro pace domus, h. e. salutate domesticos ; adeoque et ipse codex Hebræus תשאלוהו בשלומו. Interrogate eam de pace sua, h. e. salutate eam salutatione sua, quemadmodum Zegero locum interpretari libuit. Qui cum hoc ipso agnoscat perinde esse, sive pacem sive salutationem dixeris ; mirum est non animadvertisse illum ex defectu illorum verborum "pax huic domui" nullam orituram orationis inconsequentiam ; ac si dicendum potius fuisset salutatio vestra, quam, pax vestra ad vos revertetur, si salutationis tantum et non pacis præcessisset mentio. Atqui ex Hebræorum et Syrorumi diotismo synonyma sunt ista, unamque et eandem rem denotant, unde Mat. cap. 23. ver. 7. ubi Pharisæi dicuntur salutationes amare in foro, *τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς*, Syrus dixit, ܫܠܡܐ ܒܫܘܩܐ Pacem in plateis; et quod ab Apostolo scriptum est[b] *ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ* "Salutatio mea manu," id Syrus expressit ܫܠܡܐ ܒܟܬܒܬ ܐܝܕܝ. Pax per scripturam manus meæ. Itaque Arabicus Matthæi interpres, nullum discrimen inter Pacis et salutationis vocabula hic agnoscens, totum locum ita reddidit : " Et cum intraveritis domum

[z] Luc. 1. 28. [a] 1 Pet. 5. 14. Rom. 16. etc.

[b] 1 Cor. 16. 21. 2 Thess. 3. 17.

salutate eam; et si fuerit domus digna, salutatio vestra veniet super eam: et si fuerit indigna, salutatio vestra revertatur ad vos."

V. Mat. cap. 24. ver. 41. illa verba "duo erunt in lecto uno; unus assumetur, et unus relinquetur," in Græcis vulgo codicibus desiderantur, quæ tamen Chrysostomus ad eum locum explanat, et Robertus Stephanus in vetusto et correcto codice se invenisse indicat. Objectio est Johannis Marianæ, pro editione vulgata capite decimo sexto. Respondetur * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

Joh. cap. 21. ver. 22, 23. vocabulum οὕτως in Græco desiderat Wilhelmus Lindanus[c], illam germanam esse lectionem affirmans: "Si sic eum volo manere donec veniam, quid ad te, quod vel solum sufficiat ad redarguendos istos Græcanicos codices, qui nunc passim in studiosorum versantur manibus, qui constanter ἐὰν, si, legunt. Verum legendum esse, uti vetera Latina habent non Si, aut Sic, sed Si sic, testatur inprimis codex aureus Caroli Magni Aquisgrani, ubi rasura germanam loquitur fuisse pridem lectionem. Accedit codex pervetustus Cusanæ bibliothecæ, quem ex præclari viri Nicolai Eschii fide recitat Nicolaus Zegerus in diligentissimo suo, quem nuper in lucem dedit, Correctore. Divus Hieronymus libro primo contra Jovinianum nobis recitat; 'Si eum sic volo esse.' Jam Novi Testamenti editio Syriæ hunc in modum, 'Si eum volo sic manere.'" Sic Lindanus. Adhæc addit ille a Lindano laudatus Nicolaus Zegerus, qui hanc lectionem in textu Evangelii a se correcto reposuit, "Si quis propius expendat veterum Græcorum, præsertim Cyrilli commentarium, utut contextus habeat, non me frustra divinare probabit. Nacti quoque tandem sumus vetustum quoddam correctorium, quod testatur olim tam in Græcis quam in antiquis Latinis, Si sic, scriptum fuisse." Hæc Correctore suo Zegerus. Respondetur: Si ista sit germana lectio ea ratione redarguendi erunt Lindano, non Græcanici solum quos iste insectatur codices, sed etiam Latini, quorum authoritatem sacrosanctam esse voluit Patrum Tridentino-

[c] Lib. 2. de opt. gen. interpr. cap.

rum sanctio. Ut enim in Græcis desideratur vox οὕτως (quam tamen hic addendam, nullo solido ut mox videbimus, argumento evincunt Adversarii :) ita a Latinis codicibus multo majore errore conjunctio " Si" abest, et contra manifestam Christi sententiam ex hypothetica propositio facta est categorica, quemadmodum ubi ad Vulgatæ editionis Latinæ examen perventum fuerit, Deo bene volente, plenius demonstrabitur. Dices fortasse, in Latinis codicibus errorem particularem esse, quandoquidem vetera nonnulla exemplaria exhibeant lectionem illam " Si sic :" in Græcis vero omnibus constanter deesse illud οὕτως. Verum in quibusdam Græcis libris extare illam particulam, in notis variarum lectionum textus Latini quas commentariis suis in Evangelia subjecit, confirmat Franciscus Lucas Brugensis. et si Zegero credimus, vetustum quoddam correctorium (jam superius citatum) hoc ipsum diserte testatur. Et antiquissimus quidam Græcus codex, quem Tridentum attulit Claromontamensis Episcopus anno Domini 1546, habuit *ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν οὕτως, ἕως ἔρχομαι*; quemadmodum in scholiis ad priorem Hieronymi librum contra Jovinianum fidem facit Marianus Victorius, Amerinus Episcopus. Sic etiam habuisse codicem Græcum Archiepiscopi Rhemensis et alium Lugdunensis refert Alphonsus Salmeron[d]—Denique in commentario quodam in Johannem haberi " ἐὰν οὕτως id est, Si sic eum volo manere :" author est in hujus loci interpretatione Johannes Gagneius. Quod vero ad Latinos codices attinet: qui vetustiores erant ac majori fide, si fidem hic meretur Johannes Mariana Jesuita[e], Sic eum volo manere, legebant ; etiam Gothicus ante sex centos annos descriptus : et Paulus Forosemproniensis[f] Romæ codicem Novi Testamenti, ut fama fert, ipsa Hieronymi manu descriptum, eam lectionem præferre ait. Quibus addo et codicem illum Evangeliorum longe vetustissimum magna veneratione in Hibernia nostra habitum : et veterem translationem Anglo-Saxonicam : adeoque (quod maximi est apud Pontificios momenti) Missale[g] Romanum ex decreto Concilii Tridentini

[d] Commentar. in Evangelicam Historiam, tom. 11. tractat. 32.

[e] Pro edit. vulgata, cap. 17.

[f] De Cel. Paschæ, par. 2. lib. 2.

[g] Missal. in festo S. Johannis Apost.

restitutum; et Biblia vulgatæ editionis Sixti V. et Clementis VIII. Pontificum authoritate edita, in quibus non alia cernitur lectio, quam vetus illa corruptela; "Sic eum volo manere donec veniam." Unde et Anglo-Rhemenses[h] affirmant illam Hieronymi lectionem (a Zegero et Lindano ex libro primo adversus Jovinianum citatam) non solum a Græca, sed etiam a Vulgata Latina differre. Quod ut de Vulgata Latina concedam: ita de Græca non facile admiserim. Quod enim asserunt, Hieronymum legere; "Si sic eum volo manere: idque secundum nullum exemplar Græcum quod hodie extat:" falsum omnino est. Nam et a nobis jam ostensum est, extare Græca exemplaria, in quibus ἐὰν οὕτως legatur: certumque est Hieronymum a sententia vulgatæ lectionis Græcorum codicum nequaquam recessisse. Sic enim eo loco, non tam verba quam sensus verborum Dominicorum ab eo relatus est: "Si eum sic volo esse, quid ad te." Quid vero, ut recte monuit Cardinalis Bessarion in disputatione de hac parte Evangelii Johannis "aliud est sic esse, nisi manere." Quod idem de Ambrosio dicendum, qui in oratione de excessu fratris sui Satyri, locum similiter citavit: "Si eum volo sic manere donec venio, quid ad te." Nimirum, quod scripsit Christophorus de Sacro Bosco[i], "ipsum manere donec veniam, implicite continet particulam Sic sive additum fuit sive non." Neque enim manere aliud hic notat, quam in vita permanere, seu non mori: ut apud Johannem, cap. 12. ver. 34. et 1 Cor. cap. 15. ver. 6. Unde[k] Cyrillus locum in hunc modum est interpretatus: "Nam si etiam vellem minime istum mori, quid tu unquam emolumenti, aut quid consolationis consequereris." Ut frustra omnino divinarit ex hoc Cyrilli commentario Nicolaus Zegerus, aliter legisse eum quam ipsius contextus habeat: qui in ipsa Georgii Trapezuntii versione, qui libello ad Papam edito, corruptam illam Latinæ editionis lectionem, "Sic eum volo manere," stabilire conatus est, eodem plane se habet modo, quo in vulgatis Græcis legimus; "Si eum volo manere, donec veniam,

[h] Præfat. Novi Testam. sect. 47.
[i] Sacrobosc. defens. Bellarm. part 4. cap. 6. (pag. 373).
[k] Cyrill. in Johan. lib. 12. cap. 66.

quid ad te." Nam quod ad aliorum etiam veterum Græcorum commentarios nos ablegat Zegerus, non magno id causæ suæ facit compendio: quum in promptu sit illa, a Luca Brugensi quoque hic adhibita responsio: quod "sic" particulam in textu non locent, sed verbum "manere" explicent; id quod quoddam "sit" in se comprehendit, aut subaudiendum relinquit. Ut omittam ex Græcorum horum veterum commentariis, promptius potuisse colligi, legisse eos, Si hic eum volo manere, quam Si sic: cum apud Chrysostomum legamus: *τί γὰρ εἰ καὶ βούλομαι αὐτὸν μένειν ἐνταῦθα*; apud Theophylactum: *τοῦτον δὲ ἐὰν θέλω μένειν ἐνταῦθα ἐν τοῖς περὶ τὴν Γαλιλαίαν τόποις, καὶ μὴ συναποστεῖλαί σοι, τί πρός σε*; et apud Nonnum, in Paraphrasi:

> Εἴ μιν ἕως ἔλθοιμι λιλαίομαι ἐνθάδε μίμνειν

Itemque

> Εἴ μιν δεῦρο μένειν ἔτι βούλομαι, εἰσόκεν ἔλθω,
> Πρός σε τί τοῦτο πέλει.

Venio jam ad Novi Testamenti editionem Syriacam: quam Lindanus affirmat hunc in modum habere, "Si eum volo sic manere." Sed falso: Syriaca enim editio cum vulgata editione Græca plane hic consentit eoque nomine a Johanne Mariana Jesuita accusatur, verba textus Syriaca sunt: ܐܢ ܨܒܐ ܐܢܐ ܕܢܩܘܐ ܗܢܐ ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܐܢܐ ܠܟ ܡܐ ܠܟ "Si volo ego ut maneat iste donec veniam ego, quid ad te." Nec minus fallit nos Lindanus in codice aureo Caroli Magni Aquisgrani observato, in quo rasuram loqui ait, priorem lectionem "Si sic" fuisse. Nam rasura illa (quemadmodum confirmat in notationibus ad varias lectiones Latinorum Bibliorum Franciscus Lucas Brugensis) non est in Caroli codice, qui 'si' duntaxat habet, habuitque;" sed in alio, qui Aquisgranensium sacerdotum cura ex eo descriptus est, ne *αὐτόγραφον* frequenti usu atque inspectione detereretur, aut maculas sordesve contraheret. Vetusto vero Nicolai Zegeri Correctorio, testanti olim tam in Græcis, quam in antiquis Latinis, "si sic" scriptum fuisse, opponimus aliud Augustini Hunnæi antiquum Bibliorum Correctorium; quod testatur, antiquos codices Latinos, una cum Augustino et Glossa, "Sic" legere; sed Græcum, "Si eum volo ma-

nere." Si tamen aliud fuerit illud Correctorium, idem enim ipsum esse suspicabat propemodum[l] Lucas Brugensis, et non eadem fide manuscriptos codices citaverit Zegerus, quo nuper Lindanus: ut non temere istis manuscriptos codices nobis venditantibus fidem adjungere debeamus. Nimirum "simpliciter purior, ac verior videtur lectio, quæ habet, Si: (non nobis tantum, sed etiam[m] Alphonso Salmeroni Jesuitæ). deinde variante scriptura, quum in aliis Sic, in aliis Si reperiretur, aliquis ascripsit alterum in margine, tandem utrumque relatum est in contextum." Quemadmodum in annotationibusad hunclocum ab Erasmo Roterodamo observatum est.

Rom. cap. 5. ver. 17. *οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες.* Editio Latina habet: Abundantiam gratiæ, et donationis et justitiæ accipientes. Deesse vero postremo loco in textu Græco conjunctionem copulativam, confirmant Anglo-Rhemenses[n] ex Theodoreto, qui ita in Græco legerit.

Respondetur: ita quidem legit textus qui cum Theodoreto excusus est: an vero ipse ita legerit ex commentario ejus intelligere non possumus. Sic etiam textus Græcus, qui cum Johanne Chrysostomo excusus est, legit *καὶ τῆς δικαιοσύνης*: quam conjunctionem tamen non legit Chrysostomi interpres Germanus Brixius. Desideraturque in Theophylacto; et Græca Catena, quæ Œcumenii et Theoduli præfert nomen. Quanquam inter utramque lectionem non multum sane intersit: nisi quod illa prior ad mentem Apostoli longe aptius quadrare videatur. "Dixit enim Apostolus (quemadmodum ad hunc locum observavit doctissimus Beza) ex Hebræorum idiotismo *περισσείαν τῆς χάριτος* pro *τὴν περισσεύουσαν χάριτα*: deinde quod subjicitur, *καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσῦνης* in epexegesi positum est, quia gratiæ nomen, quum ad omnia Dei beneficia pertineat, fuit explicandum, ut intelligeret lector, non de omnibus Dei beneficiis quæ per Christum percipimus, sed proprie de obedientiæ Christi imputatione hic agi." Huc accedit quod

[l] Luc. Brug. loc. citat. not. 494.

[m] Salmeron. in Evangel. tom. 11. tract. 32. pag. 257. a. et 259. a.

[n] Præf. in Nov. Testam. § 44.

Græcam lectionem secuti sint in hujus loci enarratione, ex Pontificiis doctissimi Cajetanus Cardinalis, et B. Arias Montanus, a quorum sententia non multum recedit Alphonsus Salmeron: qui in quadragesima prima ad hanc epistolam disputatione, ita scribit. "Pro gratia quæ opponitur delicto, posuit (Apostolus) gratiæ effectum, sive abundantiam, et donationem justitiæ, non enim Græce est, abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ, ut legit Ambrosius et interpres: sed, abundantiam gratiæ, et donationis justitiæ; ut sint duo membra, non tria." Postremo Erasmus Roterodamus, in annotationibus ad hunc locum, inquit "legendum est Doni justitiæ, ut intelligas ipsam justitiam esse donum, sublata conjunctione: jamque non erit opus illa distinctione Thomæ explicantis quid intersit inter gratiam, donationem, et justitiam. Quanquam Ambrosius addit nostro more conjunctionem, legens, Et justitiæ: sed arbitror mendum esse codicis, quando quidem tale nihil indicat illius enarratio. Certe Chrysostomus ac Theophylactus nobiscum faciunt." Hæc Erasmus.

1 Epist. ad Corinth. cap. 12. ver. 28. Post *γένη γλωσσῶν* genera linguarum, deesse *ἑρμηνείας γλωσσῶν*, Interpretationes sermonum, confirmat Wilhelmus Lindanus[o], "quod Ambrosius exponat, et Augustinus in Speculo recitet; imo ipse textus requirat, et Theophylactus[p] aperte indicet se legisse." Textum autem hanc additionem requirere ait propter alias duas clausulas huic respondentes: quorum altera posita est supra, versu decimo, *Ἑτέρῳ δὲ γένη γλωσσῶν, ἄλλῳ δὲ ἑρμηνεία γλωσσῶν*: altera infra, versu trigesimo: *μὴ πάντες γλωσσαῖς λαλοῦσι; μὴ πάντες διερμηνεύουσι*; propter quam rationem, una cum Ambrosii commento, et citatione Augustini, conclusit ante Lindanum in Epanorthote suo Nicolas Zegerus, corruptos hic esse codices Græcos, etiam ante Chrysostomi ætatem.

Respondetur: quasi vero tam esset insolens, in sacris literis offendere *τὰ ἀνανταπόδοτα*. Quanquam nulla subest ratio quod opinemur versum hunc vigesimum octavum cum versu decimo, qui tam longe ante præcesserat, cohærere:

[o] Lib. 2. de opt. gener. interpr. Scriptur. cap. 11. [p] Vid. Theophyl.

aut etiam in versu trigesimo qui sequitur, accuratam fieri antecedentium repetitionem; cum ibi nec ἀντιλήψεων, nec κυβερνήσεων, (quæ versu vigesimo octavo recensentur), ulla facta sit mentio. Fierique potest, quod in Apologia ad Jacobum Stunicam notavit Erasmus, "ut eruditus apud Latinos videns non consentire partes in medio cum iis, quæ præcesserant ac sequuntur, adjecerit, ex versu decimo, quod suspicabatur deesse." Certe additionem illam vulgo non esse vel in Græcis exemplaribus vel Latinis, fatetur ipse Lindanus: eamque nec Græcos habere, nec Latinos quosdam codices quamvis vetustos, agnoscit quoque Zegerus. Id quod de vetustis Latinorum codicibus confirmat Erasmus "ex iis quos ipsi exhibuit collegium S. Donatiani Brugis, et duobus aliis quos exhibuit collegium ecclesiæ Constantiensis." Quibus addere licet vetustissima exemplaria a Roberto Stephano notata: unum Caroli quinti Gallorum Regis, cognomento Sapientis, jussu descriptum; duo ex cœnobio S. Germani, alia ex cœnobio S. Victoris Parisiis; illud denique quod Johannes Coletus, Paulinæ ecclesiæ apud Londinenses decanus, exhibuit Erasmo, "adeo priscis literarum typis, ut ei ab integro discenda esset legendi ratio, et in noscitandis elementis fuerit repuerascendum." Mitto recentiora exemplaria Manuscripta quæ ipsi consuluimus, in quibus adscripta non erat hæc particula; Bibliorum Regiorum et Lovaniensium editiones, quæ eandem ex textu summoverunt in marginem. Neque ejus Græci meminerunt interpretes, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius: neque in Syra aut Arabica interpretatione ullum extat ejus vestigium. Quibus omnibus frustra duorum Latinorum opponitur authoritas; præsertim quum de uno non constet, cujusmodi sit authoritatis, id modo constat inter doctos Ambrosium non esse (quemadmodum etiam superius meminimus): de alterius authoritate quidem constat, sed quanta hoc in loco esse debeat, ut dubitaremus scioli alicujus effecit temeritas: quem ipse Bellarminus in censura[q] tertii tomi operum Augustini suspicatur,

[q] Apud Possevin in apparat. sacr. verb. Aurel. Augustin. cap. 5. vid. et Zegerum in Epanorthotæ Prologo.

in Speculo hoc "mutavisse textum Scripturæ; ut pro eo quem Augustinus posuerat, posuerit ipse eum quem Vulgata Latina translatio habet." Nisi igitur firmiori aliqua nos premere possint adversarii authoritate: nihil vetat quo minus cum[r] Cajetano Cardinale sentiamus illud "Interpretationes sermonum" in textu non haberi; sed adjectitium esse.

2 Epist. ad Tim. cap. 2. ver. 14. ubi in Græco legimus *μὴ λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων*: objiciunt Anglo-Rhemenses[s] nostros interpretes ad postremum membrum conjunctionem addidisse, quæ in Græco desiderabatur, ut sensus fieret commodior ac facilior, quemadmodum est in editione Vulgata Latina. In ea vero sic locus est expressus. "Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium." Respondetur * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

Argumentum ducunt Pontificii, ab additionibus ad Græcum textum temere atque inconsiderate factis, cujusmodi ostendi posse, duobus exemplis prolatis, probare conatur Wilhelmus Reginaldus[t]: Christophorus de Sacrobosco[u], et ex eo Jacob Gretserus[x], affirmat Græcos in hoc genere satis fuisse liberales, sed exempla non alia profert, quam illa duo quibus ante ipsum usus est Reginaldus. Atque horum alterum est unicum illud, quo illam Græci textus accusationem confirmavit Bellarminus[y]: "Constat quædam in omnibus Græcis codicibus inveniri, quæ non sunt partes divinæ Scripturæ." Quem secutus in Controversiarum Epitome Robertus Personius: "In Græco," inquit, "quædam habentur, quæ de Scriptura non sunt, sed addita fuerunt a Græcis ex Missa ipsorum: ut illud Matt. cap. 6: Quia tuum est regnum, etc." quasi scilicet plura ejus generis exempla ab eo proferri potuissent. Wilhelmus Lindanus[z] ex Evan-

[r] Caietan. in 1 Cor. 12.
[s] Præf. Nov. Test. s. 37.
[t] In Refutatione Reprehensionis Whitakerianæ, cap. 13. pag. 365.
[u] Sacrob. defens. pag. 361; parte quarta Defens. Decret. Tridentin. cap. 7.
[x] Defens. Bellarm. de verbo Dei, col. 726.
[y] Bellarm. lib. 2. de verbo Dei, cap. 7.
[z] Lib. 2. de opt. gener. interpr. Scriptur. cap. 7.

gelii secundum Matthæum decem primis capitulis, septem loca urget; ut ostendat in Græco vulgari textu quædam redundare superflua: et producuntur alia ab Anglo-Rhemensibus[a], ubi affirmant, "Græcum textum in locis longe plurimis seipsum superfluæ redundantiæ condemnare, et summopere Latini Vulgati integritatem asserere." Quod probant ex Roberti Stephani et Johannis Crispini Græcis Novi Testamenti editionibus: "in quibus cum passim plurimæ voces et sententiæ in Græco ut superfluæ sint notatæ, quæ in Vulgato Latino non comparent, argumento est, Latinum textum esse iis in locis Græco meliorem, veriorem atque sinceriorem." Verum istud argumentum oppido est ridiculum. Neque enim doctissimi illi typographi (quod olim in Homero Aristarchum factitâsse legimus[b]) notam apponebant ad nothum versum: neque id agebant ut textum Scripturæ a se editum veluti superfluis additionibus corruptum condemnarent: hoc tantum significatum volebant, hujusmodi voces aut sententias in aliquibus exemplaribus MSS. inventas non esse; quæ quidem reliquis amplius aliquid iis in locis legentibus præferenda esse, omnino non pronuntiant. Atque hoc ipsum a Lovaniensibus theologis in Latinorum Bibliorum Editione præstititum est: in quâ obeli cernuntur innumeri, illis dictionibus præfixi quæ in aliquibus codicibus MSS. non legebantur. Itaque pari ratione concludi posse contra Rhemenses, recte colligit D. Fulco: "Vulgatum Latinum textum seipsum superfluæ redundantiæ condemnare, et summopere Græci textus integritatem asserere; utpote in quo passim voces et sententiæ nonnullæ ut superfluæ sunt notatæ, quæ in Græco non comparent" quomodo exempli gratia, Act. cap. 5. ver. 8. vox "mulier" et Act. cap. 15. versu ultimo, sententia illa; "præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum" obelo signatæ sunt: earumque neutra in Græco extat contextu.

Examinemus jam exempla illa illustria, quibus se de-

[a] Præfat. in Nov. Test. s. 38. [b] Cicer. in Pisonem.

claraturum promittit Lindanus[d], Græcæ veritati quædam assuta esse redundantia: additis etiam ejusdem generis aliis, quæ ab aliis adversariis proferuntur.

1. Matt. cap. 5. ver. 11. "Dixerint adversus nos omne malum ῥῆμα," illud ῥῆμα redundare probat Lindanus; "quia non sit Vaticano, nec Chrysostomus legat ad Eph. 4: nec Augustinus de Serm. in Monte: et Hieronymus in commentariis, in Mattheum videatur legisse; cum dixerint omne malum ad vos." Similiter Johannes Mariana[e], vocem ῥῆμα addititiam esse confirmat, ex Chrysostomi lectione[f] eum locum Matthæi afferentis, ut est in codicibus Latinis. Respondetur sive addatur ista vocula, sive prætermittatur, ad loci sententiam nihil interest. Et cum Erasmus hic annotat Græcos codices quosdam addere ῥῆμα, satis indicat in quibusdam defuisse; id quod ita esse, etiam Bezæ vetustissimus codex, et exemplaria illa Græca Vaticana a Lindano citata[g], fidem faciunt. In Latinis quoque codicibus deest: quos (ut alias sæpe solet) secutus est Augustinus in libro de sermone Domini in monte. In textu quoque Matthæi, qui cum Hieronymo excusus est, deest: sed ex commentario colligere non potest Lindanus legisse Hieronymum "cum dixerint omne malum ad vos:" habet ille tantum, "omne maledictum adversus vos" quod quidem τὸ πονηρὸν ῥῆμα, proprius exprimere, quam illud simplex πονηρὸν, nemo non videt. Jam vero pro additione vocis ῥῆμα, facit consensus quindecim Græcorum exemplarium, quibus usus est Robertus Stephanus: quibus accedit ab Erasmo commemoratum exemplar quod a Leone pontifice missum secuti sunt Hispani: quæ lectio etiam in Bibliis Regiis Antuerpiæ editis retenta est. Eandem quoque exhibet textus Chrysostomi, Theophylacti et Euthymii, eandem translationes Syriaca et Arabica: quarum illa ܡܠܐ ܒܝܫܐ, hæc كلمة شر reddidit. Etiam author operis imperfecti in Matthæum[h] habet; "Omne verbum malum." Et quanquam pro altera lectione, Chrysostomi citetur au-

[d] Lindan. de opt. gen. interp. lib. 2. cap. 7. fol. 77. 6.

[e] Pro edit. vulgata. cap. 16.

[f] Lib. 3. de Sacerdotio, cap. 11.

[g] Lindan. de opt. gen. interp. lib. 2. cap. 3.

[h] Homil. 9.

thoritas, a Mariana quidem ex libro tertio de Sacerdotio, a Lindano etiam ex homiliis in quartum caput Epistolæ ad Ephesios: tamen dum Græcum Chrysostomum consulo, utrobique illud ῥῆμα reperio: nimirum Dialogo tertio περὶ ἱεροσύνης, in Augustana editione a Davide Hæschelio adornata, pag. 77. et homilia octava in epistolam ad Ephesios, pag. 1079 editionis Commelinianæ. Ut rectius judicaverint Laurentius Valla, et Cardinalis Cajetanus, verbum hoc in Latina editione deesse: quam Lindanus et Mariana in Græco textu redundare.

2. Mat. cap. 5. ver. 22. "Qui irascitur fratri suo εἰκῆ temere, reus erit judicio," εἰκῆ superfluum esse confirmat Lindanus[i], quod illud "non habeant codices Vaticani, nec castigatiores codices ætate Augustini et Hieronymi." Et Johannes Mariana[k] "Adverbium illud, inquit, esse additium ex Augustino libro primo Retractationum capite vigesimo nono et Hieronymo in eum Matthæi locum satis colligitur: et secundo Dialogo contra Pelagianos quasi redundans induci jubet." Respondetur: hujus loci lectione, et olim variabant et hodie variant Græca exemplaria: id quod Erasmi annotatio indicat. "In nonnullis Græcorum codicibus ascriptum est εἰκῆ." Atque ut in Vaticano exemplari (ad quod collatus fuit codex Werneri Neomagi, quo usi sunt Wilhelmus Lindanus et Franciscus Lucas Brugensis) non erat: ita in Bibliis Complutensibus quæ ad vetustissima exemplaria etiam ex Vaticana Bibliotheca petita, fuerunt excusa, et omnibus MSS. codicibus quibus usus est Robertus Stephanus erat ascriptum. Eandem lectionem confirmat editio Syriaca: ipsa Græca voce ܐܝܩܐ retenta: in editione Arabica, quæ Romæ prodiit, desideratur hæc particula: verum in Arabicorum canonum codice, quem MS. habeo, hunc in modum citatus est textus. Vetus quoque Latina editio, ante Hieronymi emendationem, habebat: "Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicii." quam lectionem etiam in MS. exemplari Christophori Plantini repertam indicat Franciscus Lucas Brugensis,

[i] Lib. 2. de Opt. gen. interpr. cap. 3. 7. et 12.

[k] Pro edit. vulg. cap. 16.

eamque author operis imperfecti in Matthæum homilia undecima et Augustinus, libro secundo de Sermone Domini in Monte ut receptam lectionem exponunt. Neque aliter legisse videatur Hilarius, quando in commentario hujus loci scripsit: "ex præcepto fidei non minus ream iram esse sine ratione susceptam, quam in operibus legis homicidium." Augustinus tamen postea[l] "codices, inquit, Græci non habent, sine causa, sicuti hic positum est: quamvis idem ipse sit sensus." Et post eum Anselmus Cantuariensis, in hujus loci enarratione: "sine causa, addunt quidam codices: sed in Græco non additur, nec est opus. Idem enim sensus est; si quid sit irasci fratri attendatur." At vero illud εἰκῆ in Græcorum codicibus non defuisse (quemadmodum hi significant) manifestum est ex Chrysostomi Theophylacti et Euthymii in hunc locum commentariis, qui hanc particulam et legunt et exponunt: eodemque modo textus iste legitur, in Justini Martyris[m] epistola ad Zenam et Serenum; et Basilii Ethicis[n]. Et non nisi in quibusdam codicibus, illud "sine causa" defuisse, apparet ex illo Hieronymi loco, libro secundo adversus Pelagianos: "licet in plerisque codicibus antiquis 'sine causa' additum non sit: ut scilicet ne cum causa quidem debeamus irasci." Neque usquam eo in libro jussit Hieronymus hasce voces 'sine causa' eradi, ut fingit Lindanus[o], aut quasi redundans induci, ut mentitur Mariana[p]: imo vero postea textum Evangelii hoc ipso modo citavit: "Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio;" atque ita legendum esse in Vulgata editione, quam hic mancam esse affirmat, in scholiis ad eum locum Hieronymi annotavit Marianus[q] Victorius, quod ipsum etiam Laurentius Valla, et Magdalius Jacobus Gaudensis (a Francisco Luca notatus) censuerunt. Negari tamen non potest Hieronymum[r] præ-

[l] Lib. 1. Retract. cap. 19.

[m] Pag. 395. edit. Commelianæ.

[n] Pag. 413. edit. Græcæ, Basileens.

[o] Lindan. de. opt. gen. interp. lib. 2. cap. 3.

[p] Marian. pro. edit. vulg. cap. 16.

[q] Marian. Victor. in Hieronymum lib. 2; advers. Pelagian. schol. 19.

[r] Lib. 1. commentar. in Matt. cap. 5.

ferre codices, qui non legunt 'sine causa' tanquam veriores. Sic enim scribit. "In quibusdam codicibus additur 'sine causa:' ceterum in veris definita sententia est, et ira penitus tollitur, dicente Scriptura; Qui irascitur fratri suo. Si enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, et inimicos nostros amare, et orare pro persequentibus; omnis[r] iræ occasio tollitur. Radendum est ergo, 'sine causa:' quia ira viri justitiam Dei non operatur." Verum quo judicio summus ille vir particulam "sine causa" radendum censuerit: vel inde æstimari potest, quod hac correctione pravum dogma stabilire voluerit, quasi scilicet ne cum causa quidem debeamus irasci," ut loquitur idem libro secundo contra Pelagianos. Quæ ἀπάθεια ut ab orthodoxis jampridem explosa est: ita exemplo Christi, agni illius immaculati et incontaminati[s], in quo nullus vitiosus affectus locum habere potuit, perspicue refellitur, qui Judæos cum ira circumspexisse dicitur[t]. Unde Nicolaus Zegerus, in scholiis ad quintum caput Matthæi: illud εἰκῆ, inquit, "legunt vetustissimi scriptores, uno Hieronymo dempto qui εἰκῆ radendum putat. Alioqui si de qualibet ira, et quolibet convitio accipias, peccasset et Christus." Chrysostomus[u], ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ ἔνοχος ἔσταὶ τῇ κρίσει, φησίν. οὐ γὰρ πάντῃ τὸ πρᾶγμα ἀνεῖλε. πρῶτον μὲν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπον ὄντα παθῶν ἀπηλλάχθαι· ἀλλὰ κρατεῖν μὲν δυνατὸν, ἐκτὸς δὲ αὐτῶν παντελῶς εἶναι ἀμήχανον. Ἔπειτα δὲ ὅτι καὶ χρήσιμον ταυτὶ τὸ πάθος, ἂν μετὰ τοῦ προσήκοντος οἴδαμεν αὐτῷ χρῆσθαι καιροῦ. "Qui irascitur," inquit, "fratri suo sine causa, reus erit judicio. Non enim omnino istum extinxit affectum. Primo quidem, quia impossibile est hominem passionibus liberari. Nam ut regere illas possumus, ita absque illis per omnia esse non possumus. Deinde quia etiam multis utilis est affectus iste, si illo videlicet opportune ac scienter utamur." Hactenus Chrysostomus: ex hoc loco vere concludens, "οὐ τοίνυν τὸ ὀργίζεσθαι, παράνομον, ἀλλὰ τὸ ἀκαίρως τοῦτο ποιεῖν, Non ergo ipsum irasci malum est, sed inopportune irasci." Similiter Theo-

[r] Jacob. cap. 1. ver. 20.

[s] 1 Pet. cap. 1. ver. 19.

[t] Marc. cap. 3. ver. 5.

[u] In Matt. 5. homil. 16.

phylactus: "ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ ἐκεῖνος κατακρίνεται. ἐὰν δέ τις ὀργίζηται, εὐλόγως καὶ ἐπὶ παιδείᾳ καὶ κατὰ ζῆλον πνευματικὸν, οὐ κατακριθήσεται." Et Euthymius: "Addens autem εἰκῆ temere, non omnimodam abstulit iram, sed intempestivam tantum abjecit: quæ enim opportuna est, utilis est."

3. Matt. cap. 6. ver. 4: "αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ, Ipse reddet tibi in propatulo." Objicit Lindanus, "non esse in vetustis Græcis Roberti Stephani, signatis δ. ϛ. η." sed plane fallitur: neque enim notavit Robertus Stephanus, in tribus illis exemplaribus defuisse integram illam sententiam, vel etiam verba illa ἐν τῷ φανερῷ: sed tantum pronomen αὐτὸς. Christophorus de Sacrobosco[x] objicit "particulam illam ἐν τῷ φανερῷ desideratum fuisse in Græcis tempore Augustini: quare oportere vel Græca tunc fuisse vitiata, vel nunc esse Latina integra." Gretserus etiam[y] repetit hic Lovaniensium theologorum, et Lucæ Brugensis annotationem; quæ ita se habet. "Multa Latina exemplaria, teste Augustino in hunc Domini sermonem, addunt 'palam.' Addit et unum eorum quæ hodie extant, quod Robertus Stephanus S. Germani latum dixit: consentiunt Syra: conformia sunt Græca; non ea solum, quæ nunc extant, sed et ea quibus usi sunt interpretes Græci. Verumtamen in eis, quæ olim consuluit S. Augustinus, defuit: et etiam nunc in exemplari Vaticano deest." Respondetur. Non recte quidem hinc infertur (quod colligit Christophorus de Sacrobosco) "vel Græca tempore Augustini fuisse vitiata, vel nunc esse Latina integra; sed illud potius, ut hodie, ita olim quoque variasse in hujus loci lectione exemplaria et Græca et Latina. Augustinus, de Sermone Domini in Monte[z], "Multa, inquit, Latina exemplaria sic habent 'Et pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi palam': sed quia in Græcis, quæ priora sunt, non invenimus 'palam': non putavimus hinc aliquid disserendum esse." Hæc ille. In Vulgata Latina editione illud "palam" sublatum fuisse putat Franciscus Lucas Brugen-

[x] Sacrob. Part. 4: pag. 360; Defens. Decreti Tridentini, cap. 7.

[y] Defens. cap. 14. lib. 2. Bellarm. de Verbo Dei.

[z] Lib. 2. cap. 2.

sis, ab Hieronymo illius editionis castigatore: licet vetus illud exemplar cœnobii S. Germani Parisiensis a Roberto Stephano citatum retineat "in palam." In Græcis codicibus quos consuluit Augustinus, illud *ἐν φανερῷ* non legebatur: sicut nec hodie versu quarto et sexto legitur in Græco Vaticanæ Bibliothecæ, et Theodoræ Bezæ vetustissimo codice. Habetur tamen utrobique in Bibliis Complutensibis ac Regiis, et MSS. omnibus quibus usus est Robertus Stephanus: eodemque modo in Græca Ecclesia hodie[a] legitur; ut et olim a Theophylacto et Euthymio lectum est. Et ne quis putet, quia Augustinus in Græcis quæ ipse consuluit, non invenit illud "palam," idcirco in codicibus quibus eo tempore Ecclesia usa est prorsus desideratum fuisse; eo nos errore liberavit Johannes Chrysostomus Augustini æqualis, qui homilia decima-nona in caput sextum Matthæi legit, ut hodie Græci habent codices, *ἐν τῷ φανερῷ*. Etiam author operis imperfecti in Matthæum habet: "Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto." Consentit vetus editio Syriaca ܒܓܠܝܐ reddens: et Arabica علانية atque etiam Hebraica utraque a Munstero et Titio edita (si alterutrius ulla sit authoritas) בגלוי. Denique Cardinalis Cajetanus in Vulgata Latina editione defectum hoc in loco notavit, non in Græco textu redundantiam.

4. Matt. cap. 6. ver. 13. * * * * * * * * * * * * * * * * *

5. Matt. cap. 6. ver. 25. "Ne estote soliciti de anima vestra, quid esuri sitis, aut quid bibituri," *καὶ τί πιήτε*, in Græco superfluum esse confirmat Jacobus Gretserus[b] ex Erasmo in hunc locum ita annotante. "Etiamsi 'quid bibatis' reperitur additum in nonnullis codicibus, superfluum est; quod cibi nomine potus contineatur, et aquæ potus nemini non pateat. Certe nec apud Chrysostomum additur nec apud Hilarium. Hieronymus indicat in nonnullis codicibus ascriptum fuisse, verum edisserens negligit. Nos passi sumus adjici, ne Latina non responderent Græcis.

[a] *Σαββάτῳ τῇ τυροφάγου καὶ τῇ γ ἑσπέρας τῆς πρώτης ἑβδομάδος τῶν νηστειῶν.* Lection. Evangel. excus. Venet. ab Antonio Pinello.

[b] Defens. lib. 2. Bellarm. de Verbo Dei, col. 727.

Certe in pervetustis exemplaribus non ascribitur." Respondetur: Cur vero hic filum orationis Erasmianæ abrumpit Gretserus, et verba quæ sequebantur proxime callide suppressit, licet paulo inferius etiam potus fiat mentio: "Nolite esse soliciti dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus." Videbat nimirum sic prorsus enervari duas illas Erasmi ratiunculas: ideo hoc loco superfluum existimandum "quid bibatis," quod cibi nomine potus contineatur, et aquæ potus nemini non pateat. Istæ enim rationes si valebunt, tollenda erit hæc particula, non solum ex versu hoc vigesimo quinto, sed etiam ex versu trigesimo primo in quo constanter legitur in omnibus codicibus, non Græcis solum sed etiam Latinis. Verum quidem est, in pervetustis exemplaribus Latinis eam particulam in hoc, de quo agimus, loco non ascribi, sed in Græcis tamen adscribitur, quorum potior est authoritas. Hieronymus[c] variasse hic olim exemplaria significat, quando in nonnullis codicibus additum esse ait: "neque quid bibatis." Atque ita citatus est locus a Petro Chrysologo[d]: "Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis." Ut recentiores interpretes Græcos Theophylactum et Euthymium omittam. In Syris codicibus legitur ܘܡܢܐ ܬܫܬܘܢ atque etiam in Hebraico Evangelio (si quæ ejus authoritas) tum illo a Sebastiano Munstero, tum altero a Johanne Titio edito. In Arabica editione Roma impressa deest, sed in MS. exemplari, quod punctis vocalibus distinctum est, legitur * * *
* * * * * * * * * * *

Erasmi vero annotationi, quid ni opponamus Laurentii Vallæ annotationem: "Deest apud nos 'et quid bibatis' sed quia potus utique aquæ solicitudinem non requiverit, ideo visum est aliquibus satis esse ut dicatur; ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. Nec oportere addi et quid bibatis; cum præsertim sequatur. Nonne anima plus est quam esca? non facta mentione potus. Verum ego nescio an minus simus soliciti de pane edendo, quam de vino potando, aut sicera, cæterisque potionibus præter aquam. Et Græce non tam esca dicitur quam alimentum, quod etiam potum comprehendit, τροφῆς, sed quid attinet

[c] Lib. 1. in Matt. cap. 6.

[d] Sermone 70.

disputare. Certe Græce legitur, et quid bibatis, καὶ τὶ πίητε, et posterius dicitur: Nolite ergo soliciti esse, dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus. Ex quo liquet de potu quoque fieri mentionem." Hactenus Valla.

6. Matt. cap. 9. ver. 13. "Non veni vocare justos sed peccatores εἰς μετάνοιαν, ad Pœnitentiam, habent Erasmi volumina et Roberti plurima. Sed non est in Syro, nec Vaticano, nec Roberti Italico β signato, nec Regio ι β. Sane D. Hieronymus nobiscum non legit." Ita Lindanus[e]. Similiter Andradius[f]: "Quamvis Græca illud volumina maxima ex parte habeant; tamen in omnibus fere Latinis, Græcisque nonullis, et Syriaco Novo Testamento diutissime suppresso, Viennæ vero Austriæ in lucem nuper emisso, desideratur. Quin etiam et D. Hieronymus, qui Latina cum Græcis summa diligentia contulit, in solo Evangelio Lucæ verba illa apposuit, in quo et Latina exemplaria summa ea consensione habent. Quare mihi persuadeo, verba illa a Matthæo, atque Marco consulto omissa, ab aliquo ex Luca illis fuisse adjecta, ut sententiam fortasse redderet apertiorem aut ne dissidere Evangelistæ inter se viderentur. Verum qui rem diligenter expenderit, satis perspiciet, non sine Spiritus Sancti instinctu illam orationis Christi particulam Matthæum atque Marcum prætermisisse." Ejus autem rei hanc assignat rationem quod "Matthæus atque Lucas idem significare nobis voluerunt, cum alter peccatores dixit a Christo non justos vocari, alter ad pœnitentiam addidit; atque misericordiæ sine pœnitentia consequendæ spem omnem peccatoribus præciderunt. Divina autem providentia factum esse Augustinus[g] putat, ut Evangelistæ eadem non eodem semper modo exprimant, ut discamus res verbis, non verba rebus præponere, nihilque aliud in loquente quærere nisi voluntatem, propter quam insinuandam verba promuntur." Hactenus Andradius. Etiam Bellarmino[h] fit verisimile, illam particulam εἰς μετάνοιαν, Matthæi capite nono in Græco esse superfluum, et in emendatis codicibus Græcis

[e] Lib. 2. cap. 7.

[f] Lib. 4. Defensionis Fidei Tridentinæ, pag. 680.

[g] Aug. de Verbis Domini, serm. 11. [h] Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 14.

non fuisse." Nam B. Hieronymus (inquit) in commentario eam non legit; et tamen Hieronymus diligenter contulit Græcum cum Latino, et ex Græco Latinum correxit." Cum Bellarmino quoque tenet Christophorus de Sacro-Bosco[i] particulam illam non esse a Matthæo sacro textui appositam, sed ab alio aliquo ad majorem explicationem inter describendum additam." Eandemque Bellarmini sententiam defendit Jacobus Gretserus[k], addens "Bezæ testimonium, qui hæc in duobus vetustis exemplaribus defuisse scribit." De altero etiam loco Marc. cap. 2. ver. 17. monet, codices Vulgatæ editionis carere illis verbis ad pœnitentiam: et duos etiam ex antiquis exemplaribus Græcis (teste Beza in caput secundum Marci), et Syriacam editionem Tremelii: et ad eum Marci locum hanc annotationem adjecisse Erasmum. "Græci addunt *εἰς μετάνοιαν*, ad pœnitentiam. Quanquam id suspicor adjectum a quopiam. Nam nec in antiquissimis codicibus nostris reperitur, nec in Constantiensi, nec in meo vetustæ typographiæ. Etiamsi apud Theophylactum additum est." Quæ eadem de loco Marci affert quoque Lindanus[l].

Respondetur * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

9. Matt. cap. 14. ver. 3. "Propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui." Christophorus de Sacrobosco[m], "opinatur audacem aliquem Græculum nomen Philippi ex Marco huc transtulisse. Nam Matthæo in animo erat tantum, rem brevissime perstringere." Et post eum Gretserus[n]: "Defuisse in uno vetere exemplari Græco apud Matthæum, in plurimis autem vetustis exemplaribus apud Lucam capite tertio, testatur Beza, et satis aperte olet glossema[o]." Respondetur: Quis vero Christophoro nostro revelavit, quod in animo habuerit Matthæus: et ut maxime illi de-

[i] Sacrob. Defens. Decret. Tridentino. part. 3. cap. 6. pag. 314.

[k] Grets. Defens. Bellarm. de Verbo Dei, pag. 703; in Defens. lib. 2. Bellarm. de verbo Dei, cap. 14.

[l] Lib. 2. cap. 3.

[m] Part. 4. Defens. Decret. Tridentin. cap. 7. loc. 10.

[n] Defens. Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, col. 728.

[o] Bez. postr. edit.

mus Matthæum hic præ Marco brevitatem affectasse, an illud propterea dare necesse erit, cum instituta brevitate unius nominis expressionem consistere non potuisse? an qui alias voces ad historiam non ita necessarias, imo et sententias quoque a Marco prætermissas in hac narratione exprimendas censuit; ita studuisse brevitati existimabimus, ut nomen proprium, quod ad lucem historiæ imprimis faceret, supprimendum putarit? Sed magis miranda alterius critici sagacitas, cui hoc scilicet satis aperte olet glossema. Certe enim sagacissime olfecisse oportuit, qui sensit tam aperte nominis Philippi mentionem in Matthæo olere glossema; quod tamen in loco Marci[p], cujus eadem prorsus cum altero conditio, odorari omnino non potuit. Quod vero ad Græca exemplaria attinet, nomen *Φιλίππου* hoc loco retinent, non modo codices omnes typis excusi, Complutenses, Regii, Erasmiani alii: sed etiam MSS. omnes, numero quindecim, quibus in sua editione usus est Robertus Stephanus: quomodo et Origenes in commentariis hujus loci legisse videatur. consentit textus Chrysostomi, Theophylacti et Euthymii; editio quoque Syriaca, Arabica, et Anglo-Saxonica: adeoque et textus (quod notandum) ipsius Hieronymi; unde et in ipsa Latina editione, quæ in Bibliis Complutensibus ac Regiis est impressa; atque in duobus manuscriptis codicibus a theologis Lovaniensibus signatis, Philippi nomen hoc loco legitur. An vero etiam hic opinabitur Sacroboscanus, audacem aliquem Græculum nomen Philippi hoc ex Marco codicibus Latinis (ne de Saxonicis et aliis quid dicam) inseruisse. Nimis profecto isti sunt audaces, qui quidlibet de quolibet effutire non verentur; et quælibet ægrorum capitum somnia satis esse ducunt ad authoritatem divini Verbi fontium exhauriendam.

10. Matt. cap. 15. ver. 8. ubi Latinus interpres habet, Populus hic labiis me honorat; textus Græcus plenius legit, quemadmodum habetur in ipso propheta Esaia[q]. *Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ*: priorem sententiæ partem, *Ἐγγίζει μοι τῷ στόματι αὐτῶν*

[p] Marc. cap. 6. ver. 17.

[q] Cap. 29. ver. 13.

superflue Græco textui appositam esse affirmat Christophorus de Sacro-Bosco[r], ait enim "Christum breviter ex Isaia, quæ ad causam qua de agebatur pertinebant decerpsisse: recentiores vero Græcos, quod amplius legerunt apud LXX. textui apposuisse: quare Græcos, non Latinos codices esse corruptos. Probatur autem (inquit) nam ut noster interpres, legit Chrysostomus. Græcorum nostrorum codicum lectionem secuti sunt Euthymius et Theophylactus: et Arabicus interpres locum ita reddens: Hic populus propinquus est mihi ore suo." Hebraica editio, tum illa a Munstero, tum altera a Titio edita, habet העם הזה בפיו ובשפתיו כבדני Populus iste ore suo atque labiis suis honorant me. Variasse tamen olim exemplaria non nego: indeque factum est veterum nonnulli locum hunc ita legerint, quemadmodum in editione Latina legitur. Id enim non ex Chrysostomi solum textu, sed etiam ex Syriaca editione, et Hieronymo[s] intelligitur. "At recentiores Græcos, quod amplius legerunt apud LXX. textui Matthæi apposuisse." Jesuitæ affirmanti non magis credo, quam ille mihi crediturus sit, si dicam, veteres Græcos quod legerunt apud Esaiam ἐν τῶ στόματι αὐτου in aliis interpretibus amplius quam in editione LXX. authoritate Matthæi permotos, verba illa textui Græco LXX. interpretum apposuisse. Quanquam enim in editione communi Græca, qua hodie utimur, et qua olim usus est Origenes[t], legantur ea verba: tamen in antiquo textu LXX. desiderata fuisse, tum ex Justini Martyris[u] citatione in Dialogo cum Tryphone, tum ex Græco Esaia quem ex Hexaplis desumptum una cum[x] Procopii commentariis in lucem dedit Johannes Curterius, intelligitur.

11. Mat. cap. 15. ver. 31. * * * * *
* * * * * * * * * * *

13. Marc. cap. 6. ver. 11. Verba illa ut superflua in Græco textu a Roberto Stephano et Crispino notari

[r] Part. 4. Defens. Decret. Tridentin. cap. 7. loc. 17.
[s] Lib. 9. comment. in Esai. cap. 29.
[t] Orig. in Matt. 15.
[u] Justin. pag. 238; edit. Commelianæ.
[x] Procop. in Esai. pag. 358.

affirmant Anglo-Rhemenses[y]. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόῤῥοις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ. Respondetur: Non notant typographi ista in Græcis redundare, sed in aliquibus MSS. exemplaribus desiderari. Nempe ex sedecim codicibus quibus usus est Robertus Stephanus, duo tantum carebant hac sententia, alter ex Italia, alter ex Regis Gallorum bibliothecâ petitus; quibus tertium addit Theodorus Beza. In reliquis MSS. et excusis omnibus, ut Matt. cap. 10. ver. 15. ita etiam hic constanter legitur: lectaque olim fuit a vetustissimo interprete Syro, et enarratoribus Græcis Theophylacto et Euthymio. Unde non immerito Laurentius Valla Latinum textum hic defectus, potius quam Græcum redundantiæ, accusandum existimavit "quod (inquit) a nobis (qui scilicet Latinum textum sequimur) detruncatum esse, minus mirabile facit, quod ex oratione Dominica multum detruncatum est."

14. Marc. cap. 10. ver. 29. in Græco superfluum esse ἢ γυναῖκα aut uxorem, ex Erasmo notant Anglo-Rhemenses[z]. Quod quidem "perperam a quopiam additum," inquit Erasmus; "vel hinc licet conjicere quod mox cum repetit eas relictas, non addit uxores. Verisimile est uxoris nomen hic adjectum ex Matthæo et Luca. Verum Marcus brevitatis studiosus, sub nomine domus judicavit contineri uxorem." Hæc Erasmus. Respondetur: Cum Græca omnia exemplaria, non ea solum quæ hodie extant, sed etiam quibus usi sunt Theophylactus et Euthymius, item interpretes Syrus et Arabicus constanter legerint ἢ γυναῖκα: dicendum potius fuerat cum Cardinale Cajetano deesse aliquid in editione Latina, quam cum Erasmo redundare in Græca, presertim cum Erasmi conjectura admodum infirmo nitatur fundamento. "Quæ enim in secunda enumeratione relicta sunt, ea brevitatis causa, et quasi jam nota sunt prætermissa:" ut recte monuit Euthymius. Quemadmodum 1 Cor. cap. 12. ἀντιλήψεις et κυβερνήσεις, quæ versu vigesimo octavo sunt propositæ, in repetitione quæ sequitur

[y] Rhem. Præfat. Nov. Testam. sect. 38.

[z] Præf. Nov. Test. sect. 38.

versu trigesimo sunt prætermissæ. Et hoc ipso loco, ubi repetuntur res relictæ, non "uxoris" tantum mentio est omissa sed et "Patris," cujus in versu præcedente nomen retinent omnes codices Græci et Latini. Neque magis sub nomine domus judicavit Marcus contineri uxorem, quam liberos, quorum tamen versu trigesimo una cum domo facta est repetitio.

15. Joh. cap. 5. ver. 2. Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά. De hoc loco ita Andradius[a], "Omnia quæ vidi Græca exemplaria habent, Est Hierosolymis ἐπὶ τῇ προβατικῇ, κολυμβήθρα id est, ad probaticam piscina: atque in Constantiensi exemplari expunctam esse particulam, ad sive super, putat Erasmus. Apud Cyrillum vero et Theophylactum, qui inter auctores Græcos sunt gravissimi, desunt, sicut in Latinis exemplaribus, particulæ illæ, ἐπὶ τῇ id est, super, sive, ad." Et Anglo-Rhemenses, "In[b] quo Græco exemplari quod hodie extat, est textus hic Joh. cap. 5. ver. 2: Est autem Hierosolymis probatica piscina, et tamen S. Chrysostomus, S. Cyrillus, et Theophylactus, ita in Græco legerunt; et Beza dicit eam esse meliorem lectionem; atque ita Latinus textus Romani Missalis confirmatur, et octo alia Latina exemplaria, quæ eo modo legunt. Nam nostra vulgata Latina, cum Græco textu hic legit, 'Super probatica.'" Hæc illi. Respondetur. In Græco Evangelii textu, qui excusus est cum Chrysostomo, et cum Theophylacto ut quidem Romæ est editus, ita legunt: Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. quomodo et Latinus qui cum Cyrillo est editus: "Est autem Hierosolymis probatica piscina." An vero ipse Chrysostomus aut Cyrillus ita legerit ex commentariis intelligi non potest, unde Erasmus in annotationibus ex Chrysostomo, inquit, aut Cyrillo certum deprehendi non potest de loci hujus lectione. Et Maldonatus Jesuita, licet existimet alios veterum complures eam lectionem secutos: non audet tamen ea, qua Rhemenses faciunt, confidentia Chrysostomo et Cyrillo tribuere.

[a] Lib. 4. Defens. Fidei Tridentinæ, pag. 676.

[b] Præfat. in Nov. Test. sect. 44.

Sic enim ille paulo cautius hac de re scribit: "Theophylactus et ut videtur Chrysostomus et Cyrillus videntur legisse προβατικὴ κολυμβήθρα, probatica piscina." Theodorus quoque Mopsuesta et Ammonius ita in Græca catena videntur interpretari, quasi eodem modo legerint: conjungunt enim duo hæc verba προβατικὴ κολυμβήθρα, quanquam in contextu eorum Græco altera sit lectio: eodem modo Hieronymus in locis Hebraicis, et alii auctores Latini legunt, et Theophilus Antiochenus[c]. Et hanc lectionem (si Alphonso Salmeroni[d] credimus) "Doctores Græci et antiqui sequuntur, et codex Syriacus illam tantum novit: alterius autem ne meminerunt quidem. Eidem subscribit Hieronymus in libro de locis Hebraicis: et ita se legisse testatur Theophylactus in commentario." Hieronymi hæc sunt verba: "Bethesda, piscina in Hierusalem quæ vocabatur προβατικὴ, et a nobis interpretari potest pecualis," ex quibus colligit Salmeron, προβατικὴ in casu recto legisse Hieronymum, et non in dativo ἐπὶ τῇ προβατικῇ. Theophylacti vero ista: "προβατικὴ δὲ ἐλέγετο ἡ κολυμβῆθρα, διότι τὰ πρὸς θυσίαν πρόβατα ἐκεῖ συνήγετο, καὶ τὰ ἔγκατα αὐτῶν ἐπλύνοντο ἐκεῖ. Probatica autem dicebatur piscina, eo quod oves ad sacrificium destinatæ illic congregabantur, et intestina earum illic abluebantur." Similiter et Beda in quintum caput Johannis probaticam piscinam appellat: et nominis rationem reddit. Verum omnino non sequitur authores istos, qui probaticam piscinam nominant, ista in nominandi casu legisse, omissis illis particulis ἐπὶ τῇ "in" vel "super probaticam piscinam." Eo enim modo legisse poterant, quo in Aldina Græcorum Bibliorum editione hodie legimus, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, in probatica piscina, perinde ac si esset adjectivum cum suo substantivo conjunctum, quomodo et Theophylactum[e] et vetustiores alios legisse notavit Beza; neque deesse qui ita legant et exponant, indicat ipse Maldonatus, ut sensus sit: "Est[f] Hierosolymis

[c] Theoph. libro quarto Allegor.
[d] Salmer. commentar. in Evangel. tom. 6. tractat. 18.
[e] Vid. Latin. vet. text. Theophyl. nam Roman. hic mutatus.
[f] Luc. Brug. not. sect. in Bibl. sect. 483.

ad probaticam piscinam, domus nimirum, quæ vocatur, domus benignitatis seu misericordiæ." Quod vero ad Syriacum codicem attinet a Salmerone, et Theophilum Antiochenum a Maldonato citatum: verum non est, illam secutos eos esse lectionem, quæ habet "Probatica" in casu nominativo. Illius enim, *προβατικῆς*, ne meminerunt quidem. In Syriaco enim tantum habetur: Est autem ibi in Urischelem ܕܘܟܬܐ ܚܕܐ ܕܡܥܡܘܕܝܬܐ locus quidam ablutionis. Et apud Theophilum Antiochenum: "Est autem Hierosolymis natatoria piscina, quinque porticus habens." Falsum item est quod affirmat Salmeron doctores Græcos legere *προβατικὴ κολυμβήθρα*, alterius autem lectionis, *ἐπὶ τῇ προβατικῇ, κολυμβήθρα*, ne meminisse quidem: falsum quod affirmant Rhemenses, Bezam dicere priorem illam lectionem esse meliorem. Nam vulgatam Græcorum codicum lectionem, in paraphrasi sua secutus est Nonnus:

> Ἦν δέ τις εὐποίητος ἐν εὐύδρῳ προβατικῇ,
> Εὐρυτενὴς ἀσάμινθος.
>
> Erat autem quædam elegans ad aquosam probaticam,
> Lata piscina.

Similiter legit et exponit Euthymius: "Est Ierosolymis piscina in loci situ qui dicitur Probatica." Et Johannes Maldonatus testatur se "consuluisse multos manuscriptos antiquos codices, imprimisque Vaticanum illum vetustissimum, et correctissimum majusculis scriptum literis, totoque orbe celeberrimum: et invenisse in omnibus. Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα." Eamque lectionem sequitur et interpretatur Beza: "Est autem Hierosolymis ad portam pecuariam, piscina." Nomen enim *πύλῃ* subintelligendum recte observat, ex Nehem. cap. 3. ver. 1. 32: et cap. 12. ver. 39.: ubi שער הצאן quod Hieronymus portam gregis transtulit, Græci interpretes *τὴν πυλὴν τὴν προβατικὴν* expresse appellarunt: ad quam portam scilicet piscinam Bethesda sitam fuisse, recte in Nehemia[g] suo notavit Arias Montanus. De Latinæ editionis lectione, dissentiunt hic inter se Andradius et Rhemenses: consentire

[g] In Apparat. Sacr. Biblior. Regior.

eam cum textu Græco affirmant Rhemenses, haberi enim in illa, super Probatica, sicut in hoc, ἐπὶ προβατικῇ: dissentire affirmat Andradius; præpositionem in ea deesse asserit, quæ in Græco est expressa. Et sane variant hic inter se exemplaria. Pro Andradii lectione facit Sixti V. editio: quæ ita habet: "Est autem Ierosolymis Probatica piscina." quomodo etiam in triginta MSS. exemplaribus lectum notarunt Lovanienses theologi. Rhemensium vero lectio, quæ cum Græco textu consentit, habetur in textu Bibliorum Regiorum, Hentenii et Lovaniensium theologorum; atque in textu Evangeliorum qui cum Hieronymi operibus excusus est, et in codicibus quos Laurentius Valla secutus est. "In Constantiensi codice sciolum quempiam erasisse præpositionem, super," animadvertit Erasmus. Habetur autem expressa non in impressis solum, qui a me nominati sunt codicibus, sed etiam in antiquis et fide dignis manuscriptis: quemadmodum confirmat Franciscus Lucas Brugensis[h]; qui ad hujus rei probationem tria producit exemplaria, præter sex illa quæ a Rob. Stephano, et tria cœnobii Gemblacensis quæ a Nicolao Zegero signata sunt. Quibus ex Hispaniæ bibliothecis, codicem Pallantinum addit Antonius Nebrissensis in Quinquagenis. In illo venerandæ vetustatis codice, quem inter sanctorum reliquias venerati sunt Hiberni, habetur, "super probaticam:" quam lectionem in vetustis exemplaribus se reperisse, nominatim in codice Caroli Magni, et Donatianico, testatur in Epanorthote suo Nicolas Zegerus. In Latinis Bibliis anno 1569. Coloniæ apud Quentelium excusis, et in textu Johannis, qui cum Bedæ commentariis est impressus, legitur: "Est autem Hierosolymis in Probatica, piscina quæ cognominatur Hebraice Bethesda:" eamque lectionem, ut emendatiorum codicum Latinorum, secutus est in concordia sua Evangelica Cornelius Jansenius: sive vero quis legerit, "super probatica," sive, "super probaticam," sive "in probatica" a Græca lectione ἐπὶ τῇ προβατικῇ non discedit. In illa autem lectione quæ a Sixto V. et Clemente VIII. comprobata est: "Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognomi-

[h] Notationib. ad Biblia, sect. 483.

natur Hebraice Bethsaida:" tria errata observat Antonius Nebrissensis. Primum quod " in" præpostio est detracta. Alterum quod " probatica" et " piscina" perinde videntur esse conjuncta, ac si esset adjectivum cum suo substantivo: cum sint interpungenda. tertium quod pro " Bethesda" legitur " Bethsaida." Hæc Antonius Nebrissensis[i], a quo etiam in commentariis ad hunc locum non dissentit Cardinalis Cajetanus.

16. Joh. cap. 5. ver. 16: " redundare in Græco illa verba *κὰι ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι* et quærebant eum interficere;" affirmat Christophorus de Sacro-Bosco; et ex versu decimo octavo hic esse posita, indeque non legi apud Chrysostomum. Eadem ex eo repetit Jacobus Gretserus, addens etiam hanc Erasmi annotatiunculam: " In Græcorum codicibus additum reperio, *καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι*, fortassis ob hoc quia sequitur; propterea magis quærebant eum interficere: sed reclamantibus magno consensu Latinorum codicibus." Respondetur: Variant hic Græca exemplaria. Duo Roberti Stephani MSS. secundum et octavum, quorum alterum ex Italia accepit, alterum ex Bibliotheca Regis Gallorum cum vulgato interprete Latino verba hæc omittunt. pro quibus etiam facit Nonni paraphrasis et Cyrillus[k]. Alia MSS. et excusa omnia hæc verba legunt: quæ etiam habentur in textu Theophylacti et Euthymii, atque etiam in editionibus Syra et Arabica. Quid vero Chrysostomus a Sacroboscano citatus hic legerit incertum est. Nam ex commentario nihil hic colligi potest: et textus ei adjunctus varius est. Ut enim quidam codices clausulam hanc non habent, ita alii eadem plene exhibent: quemadmodum videre licet in Græco-Latina editione Commeliana. Utra lectio præferenda, doctiorum esto judicum. certe Cardinalis Cajetani sententia fuit, non redundare in Græco, sed deesse in Latino quatuor illas dictiones; " Et quærebant ipsum interficere."

17. Joh. cap. 8. ver. 59: " *διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως*, Transiens per medium eorum, et præteriit sic. Hæc verba quæ reperiuntur in Græcis libris, sed non

[i] In Quinquagen. cap. 5.

[k] Commentar. in Johan. lib. 2. cap. 32.

in Latinis, Beza cum Erasmo censet a quopiam textui adjuncta; et priora quidem ex Lucæ cap. 4. ver. 30 : posteriora vero non ex aliquo Scripturæ loco, sed ad concinne nectendum dictum caput sequenti : quod ita sine dubio se habet. Neque negandum putavit ipse Whitakerus." Hæc Christophorus de Sacrobosco, et ex eo Gretserus : ut probet scilicet Græcos temere quædam textui addidisse, quæ quidem mutuatus est a Wilhelmo Reginaldo[m], qui hanc accusationem confirmat ex hac Theodori Bezæ in Joh. cap. 8, ver. 59, annotatione: "Assentior Erasmo, qui priorem partem putat ex Luc. cap. 4. ver. 30. irrepsisse in contextum, culpa librariorum, qui in margine descripta invenerunt: deinde ut hæc cum proximo capite cohærerent, additum fuisse *καὶ παρῆγεν οὕτως*. Ut autem ita credam adducor non modo ea ratione quam ille adfert, quia videlicet nec Chrysostomus nec Augustinus istius appendicis meminerunt, nec Latina vetus versio: sed etiam quod videantur ista parum probabiliter cohærere. Nam si sese occultavit, quomodo per ipsos medios transiit."

Respondetur : Verum quidem est Erasmum et Bezam in ea fuisse opinione, quæ jam exposita est, sicut etiam in contraria fuit Cardinalis Cajetanus, qui deesse hic septem dictiones in editione Vulgata Latina pronuntiat; ejusdem quoque cum Erasmo et Beza opinionis participem fuisse Whitakerum nostrum, non nego. Verum addit ille, "corruptelam hanc, si quæ sit, ex antiquis exemplaribus notari posse et corrigi : atque ita hoc respectu nullam esse causam cur Græcus textus integer aut rejiciatur aut improbetur." Et variasse quidem hic exemplaria illa Erasmi annotatio innuit. "Post hæc verba nonnulli Græcorum codices habebant, *διελθῶν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως*." Et Bezæ vetustissimus codex ea verba non habebat. Quanquam vero ea lectio confirmari videatur Chrysostomi et Augustini authoritate, qui de horum verborum sententia omnino non loquuntur, non tamen eorum silentium præjudicare debet communiori Græcorum codicum lectioni, cujus apud alios longe plures disertam mentionem factam invenimus. Ita enim Syrus Interpres

[m] Refutat. Reprehens. Whitakerianæ.

legit: ܘܥܒܪ ܒܡܨܥܬܗܘܢ ܘܐܙܠ et transivit inter eos, et abiit. Et Arabs: "et transivit per medium eorum, excurrens sic." Et Nonnus Græcus paraphrastes:

> *Σιγαλέοις δὲ πόδεσσι διερπύζων μέσος αὐτῶν,*
> *Ἀπροϊδὴς πεφόρητο λιθοσσόον ἐσμὸν ἐάσας·*
> *Οὕτω μὲν παράμειβε.*
>
> Tacitis autem pedibus gradiens per medium ipsorum
> Improvisus ferebatur lapidatorem cœtum relinquens:
> Sic quidem evasit.

Theodorus Heracleensis, citatus a Johanne Maldonato, ex Græca in Johannem Catena, "*ἐξουσίᾳ θεϊκῇ ἀόρατον ἑαυτὸν τοῖς ἐπιβουλεύουσι καταστήσας, διὰ μέσον αὐτῶν μὴ ὁρώμενος, καὶ ἐξῆλθεν, καὶ παρῆγεν οὕτως.* Divina virtute invisibilem insidiantibus se constituens, per medium eorum non visus, exiit et ita præteriit." Similiter, ab eodem Maldonato citati, Leontius, Theophylactus, et Euthymius, verba hæc legerunt et interpretati sunt. Quod vero ad objectum *ἐναντιοφανὲς* attinet: illi a Maldonato citati Græci interpretes Theodorus Heracleensis, Leontius, Theophylactus et Euthymius, quibus etiam accedit Judocus Clichtoveus in supplemento commentariorum Cyrilli in Johannem, et Cardinalis Cajetanus in commentariis ad locum hunc Evangelii, ita rem expediunt, ut Christum dicant sese abscondisse, "non occultando se in loco aliquo secreto, ubi a Judæis inveniri non posset, sed reddendo se invisibilem, interim dum per medios hostes suos gradiens de templo egrederetur." Ipse etiam Beza, qui nodum hunc nexuit, re postea melius expensa, eundem aliter quoque solvi posse agnoscit; si dicamus, Christum, "et ab iis qui in templo erant sese subduxisse, ac deinceps per eos medios quos foris reperiit transivisse."

18. Act. cap. 7. ver. 14: "*Ἀποστείλας δὲ Ἰωσὴφ, μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτου Ἰακὼβ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε.* Mittens autem Joseph accersivit patrem suum Jacob, et omnem cognationem suam, in animabus septuaginta quinque." Additionem "quinque" hic superfluam esse existimant aliqui: authoritate Mosis ducti, qui Genes. cap. 46. ver. 27. et Exod. cap. 1. ver. 5. animas tantum septuaginta numerat: cui tamen numero

Græci interpretes quos LXX. vocant, addunt quinque. Atque hæc corruptela, inquit[n] Augustinus Steuchus Eugubinus, " sive a librariis profecta sit, sive ab ipsis interpretibus, fecit ut etiam Actuum Apostolorum capite septimo is locus male legatur. Neque opinandum est, D. Lucam, Hebraica quomodo se haberent, ignorasse; sed vel hunc locum, ut se haberet ea tempestate, citasse, vel eandem ibi corruptelam a librariis accidisse, quæ et hic." hæc Augustinus Steuchus. Erasmus[o] ait, " Lucam secutum videri autoritatem LXX. tum ubique receptam: sive quod apud Hebræos detracti sunt a librariis anni quinque, sive quod non existimarit numeri rationem ad id quod tum agebatur pertinere." Similiter Melchior Canus[p] affirmat LXX. interpretes septuaginta quinque animas, Genes. cap. 46. et Exod. cap. 1. posuisse; quinque scilicet filiis Manassis et Ephraim annumeratis: Lucam vero LXX. interpretum editione usum esse, quoniam eo tempore illa erat præstantissima. " An vero (inquit) Hebraica exemplaria, quæ LXX. interpretes converterunt, nepotes illos Joseph in illa generatione supputarint, an potius ipsi LXX. interpretes per anticipationem addiderint, incertum est." Atque eadem fere ad verbum repetit Alphonsus Salmeron[q], addens ad extremum, LXX. interpretes " veriores fortasse codices Hebræos nactos esse, quam quos habuit Hieronymus: quanquam demptis illis quinque lectio Hebræa veritatem quoque suam habeat." Anglo-Rhemenses[r] objiciunt hic Bezam plurimum laborare ut probet magna corruptela locum Actorum esse depravatum: adduntque nostros dum se Hebraico solum textui adstringunt in Vetere Testamento, eo adigi ut Græcum Novi Testamenti deserant; aut si Græcum Novi tueri velint, necesse ut Hebraicum Veteris aliquando deserant. In eandem fere sententiam disserit quoque Gregorius Martinus[s].

Respondetur: Perplacet quidem Bezæ Bertrami Cornelii conjectura, qui Lucam putat non πέντε sed πάντες scripsisse.

[n] Commen. in Genes. cap. 46.
[o] Annotat. ad 7. cap. Actorum.
[p] Lib. 2. loc. Theolog. cap. 18.
[q] Commentariorum tomo 12. tractatu 24.
[r] Præf. in Nov. Testam. sect. 44.
[s] In Præfat. Detectionis Hæreticarum quas appellat S. Scripturæ versionum, sect. 18, 19.

Verum huic suspicioni, quæ non modo omnium exemplarium fidei, sed etiam rationi Grammaticæ et syntaxi contextus repugnat, non magis nos quidem tribuendum existimamus, quam Augustini Steuchi conjecturæ tribuendum putant Pontificii; de qua ita Melchior Canus: "Nullum auctorem ante Eugubinum, quum et in ea loca et in hanc quæstionem incurrissent plurimi, rem apertissimam animadvertere potuisse, mihi quidem non fit verosimile. Atque si hujusmodi solvendis nodis librariorum injuria pro libidine abutimur, verendum sane illud est, ne, dum alienam prodere conamur inscitiam, prodamus nostram. Alioqui si ita placet, omnes ambiguas quæstiones, et quæ in Scriptura sacra videntur esse pugnantia, ad istum modum explicemus. Id quod passim Eugubinus facit." Benedictus Pererius[t]: "Et olim hodieque omnes Græci codices sic habuerunt, et habent; nec ante Eugubinum, superiorum ullus doctorum in tractatu hujus difficultatis, ad illud inscitiæ librariorum asylum confugit: sic enim nihil esset negotii, quæstiones omnes, quantumvis arduas, expedire." Alphonsus Salmeron[u]: "Profecto difficile hoc recipimus, omnia exemplaria tum nova, tum vetera, Græca et Latina tribus simul locis fuisse corrupta: quod Hieronymus non admisit. Et alioqui facile est omnes quæstiones dissolvere, si liceat asserere pro libidine vitium librariorum subesse Scripturis." Et Johannes Lorinus[x]. "Unde obsecro habet Eugubinus mendum irrepsisse, quod ante ipsum agnovit nemo, et omnes tam codices quam expositores pro mendo non habuerunt." Atque ut ea Steuchi conjectura nullo modo est ferenda, ita nec reliquæ ejusdem generis ex Pontificiorum scriptis a me relatæ probandæ sunt, ut dicamus scilicet fieri potuisse, vel cum Cano et Salmerone antiqua "exemplaria Hebraica, quæ LXX. interpretes converterunt, quinque Josephi nepotes in illa genealogia supputarint:" vel cum Erasmo, "quod apud Hebræos detracti sint a librariis anni quinque" (quanquam de annis quid attinebat hic dicere; ubi non annorum, sed personarum instituitur

[t] Perer. disputat. in Genes. cap. 46. ver. 27.

[u] Salmer. commentar. tom. 12. tractat. 24.

[x] Lorin. comment. in Act. cap. 7. ver. 14.

enarratio): vel cum Gregorio Martino et reliquo Anglo-Rhemensium sodalitio, quod in eas nos hic adigi angustias sit necesse, ut vel textus Hebraicus Mosis, vel textus Græcus Lucæ sit deserendus; vel cum Augustino Steucho denique, quod Lucas locum Geneseos, ut Græce habebatur ea tempestate citarit, qui cum corruptus fuerit vel a librariis vel ab ipsis interpretibus, factum inde ut etiam in Actibus Apostolorum is locus male legatur: quam postremam rationem, prima illa qua usus est idem Steuchus, multo pejorem esse pronuntiat Pererius, "nec solum reprehensione sed etiam detestatione dignam. Si quidem dicere, Beatum Lucam scriptorem Canonicum qui afflatu et ductu Spiritus Sancti scripsit, falsum aliquid scripsisse aut scienter aut inscienter, temerarium est, ne impium dicam: si enim hoc semel admittatur, continuo totius Scripturæ fides et auctoritas labascet." Ita Pererius. Et ante eum Canus: "Lucam Evangelistam locum ex Veteri Testamento ut ea erat ætate, depravatum citasse; multo absurdius invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. Aut enim ignorantem facimus Evangelistam, si eum latebat depravatio; aut timidum facimus, si divina auctoritate pollens, non est ausus depravata restituere, quod sine ulla auctoritate Eugubinus est ausus." Similiter scribit et Lorinus: qui falso tamen sententiam hanc Bezæ cum Eugubino communem facit.

Id igitur primoloco erit ostendendum, neque textum Lucæ Græcum, neque Mosis Hebraicum in numerorum notatione esse depravatum: deinde rationes indicandæ, quibus Moses et Lucas inter se conciliari possunt. Quod ad primum attinet, illud constat, non modo Hebraica omnia Mosis exemplaria in numero septuaginta et Lucæ Græca in septuaginta quinque consentire; sed etiam eosdem plane numeros utrobique exhiberi in Latina editione, quam authenticam declaravit Synodus Tridentina: ut si quæ corruptelæ suspicio fontibus impingatur, eadem textum, quem omnibus viribus propugnare conantur Pontificii, involvi necesse sit. Deinde et illud constat, Hieronymi temporibus, eodem modo se habuisse lectionem Græcam et Hebraicam, quo hodie habet: quod ex ipsius in Genesim quæstionibus manifestum est. Ulterius vero etiam illud demonstrare aggre-

diar, temporibus vel Apostolicis vel quæ proxime ab iis abfuerunt, utrumque numerum et septuaginta, et septuaginta quinque celebrem extitisse: ut nullo modo fiat verisimile posterioribus temporibus, numerum quinarium librariorum inscitia, vel Mosis textui detractum (quod fieri potuisse existimat Erasmus), vel Lucæ adjectum, atque ex eo corrupto Græcorum Mosis interpretum editionem esse depravatam, quod Beza factum dicit. Et numerum quidem septuagenarium, quem Moses habet, esse integrum confirmat Hieronymus[y] ex ipsis LXX. interpretibus in Deuteronomio dicentibus, "quod in septuaginta animabus ingressus est Jacob in Ægyptum. Si quis igitur (inquit ille) nostræ sententiæ refragatur, Scripturam inter se contrariam faciet: ipsi enim LXX. interpretes, qui hic (in Genesi) posuerunt septuaginta quinque animas, per *πρόληψιν*, cum Joseph et posteris suis Ægyptum ingressas esse dixerunt, in Deuteronomio septuaginta tantum intrasse memorant." Et Philo in libro *περὶ ἀποικίας*, sive de migratione Abrahami, ita locum illum Deuteron. cap. 10. ver. 22. legit: 'Εν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς κατέβησαν οἱ πατέρες σου εἰς Αἴγυπτον. quomodo etiam in Bibliis Complutensibus ac Regiis et Romana editione LXX. interpretum hodie legitur: quanquam in editionibus[z] Germanicis vetere lectione immutata habeatur, 'Εν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε ψυχαῖς. Eam deinde recensionem quæ in Hebraicis codicibus capite quadragesimo sexto Geneseos habetur, luculenter confirmant Flavius Josephus[a], et Onkelos in Chaldaica sua paraphrasi. Quibus addere liceat, testimonium R. Simeonis filii Jochai in Zohare[b], et Ezekieli Poetæ vetustissimi in Tragœdia, quam de Hebræorum eductione ex Ægypto scripsit: qui Jacobum cum septuaginta animabus in Ægyptum descendisse asserunt: ut omittam quod nonnulli huc allusum esse putant, cum in deserto Elim duodecim fontes et septuaginta palmas invenerunt, ex adverso duodecim tribuum et septuaginta hominum, qui descenderant in Ægyptum: et sicut etiam

[y] Hieron. tradit. Hebraic. in Genesim.

[z] Argentorat. an. 1527; Basil. an. 1550; Francofurt. an. 1597.

[a] Lib. 2. *αρχαιολογίας*, cap. 4. [b] Zohar in Exod. col. 27.

cum septuaginta discipuli cum duodecim Apostolis, judicaturis duodecim tribus Israel, a Christo electi sunt. Adscribo tantum verba Ezekieli Poetæ, qui in prologo dramatis quod inscripsit Ἐξαγωγὴν, quemadmodum citatur ab Eusebio[c], Mosem ita loquentem introducit:

> Ἀφ' οὗ Ἰακὼβ γῆν λιπὼν Χαναναίαν
> Κατῆλθ' ἐς Ἄιγυπτον, ἔχων ἑπτάκις δέκα
> Ψυχὰς σὺν αὐτῷ.
>
> Ex quo Jacob terram linquens Chananæan
> Venit in Ægyptum, habens septies decem
> Animas secum.

Ita ex antiquissimis authoribus numeri septuagenarii quem Mose legimus, integritas asserta est. De quinario vero superaddito illustre habemus testimonium Philonis Judæi, qui Lucæ σύγχρονος fuit, λέγεται[d] γὰρ (inquit) ὅτι ἦσαν αἱ πᾶσαι ψυχαὶ ἐξ Ἰακὼβ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. Narratur quod in universum erant septuaginta quinque animæ in Jacob progenie. Hæc Philo, septuaginta quinque animas ex Jacobi progenie cum septuaginta annis ætatis Abrahami conferens: ne quis errorem etiam hic irrepsisse putet in numeros. Huic adjungo et alterum antiquitatis testimonium, ex Clementis Alexandrini libro primo Stromatum. "Ευφόρος δὲ, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν, καὶ ἔθνη, καὶ γλώσσας πέντε καὶ ἑβδομήκοντα λέγουσιν εἶναι· ἐπακούσαντες τῆς φωνῆς Μωϋσέως λεγούσης· ἦσαν δὲ πᾶσαι αἱ ψυχαὶ ἐξ Ἰακὼβ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα, αἱ εἰς Ἄιγυπτον κατελθοῦσαι. Ephorus[e] autem et alii multi Historici, et gentes et linguas dicunt septuaginta quinque cum audiissent vocem Mosis dicentis: Erant autem omnes animæ ex Jacob progenie septuaginta quinque, quæ descenderunt in Ægyptum." Postremo numerum septuaginta quinque in septimo Actorum capite, magno consensu exhibent editiones omnes, Græca, Latina, Syriaca, Arabica, Æthiopica, etc. neque ullum exemplar a quoquam productum est quod aliter habuerit, nec aliquis veterum

[c] Lib. 9. Præparat. Evangelic. cap. 4.

[d] Phil. Jud. Ἐν τῷ περὶ ἀποικίας, pag. 286; edit. Græcæ.

[e] Ephorus sc. Isocratis discipulus ideoque LXX. interpretib. antiquior.

interpretum in hujus quæstionis tractatione diversam lectionem indicavit. Ut veterem illam et ab omnibus gentibus, quæ Christianum profitentur nomen, receptam lectionem contra omnem et veterum authoritatem et exemplarium fidem, post tot demum secula mutare velle, plane temerarium videatur.

Itaque videndum potius, quomodo antiqua lectione utrobique retenta, Moses et Lucas inter se conciliari possint. Eucherius in quæstionibus Veteris Testamenti, proposita hac interrogatione: "Cum in Deuteronomio septuaginta tantum animæ cum Jacob Ægyptum scribantur ingressæ, quomodo postea in Actibus Apostolorum introisse Ægyptum quinque et septuaginta animas refertur"? hanc responsionem subjicit. "Constat quidem eo tempore quo Jacob ingressus est cum Joseph filiisque ejus Ephraim et Manasse septuaginta animas tantum fuisse. Ibi vero ubi septuaginta quinque animarum numerus refertur, quasi per anticipationem etiam filios nepotesque Ephraim et Manasse numerandos putavit, quos postea in Ægypto natos divinæ relatio lectionis ostendit." Nimirum in postremo Geneseos capite narrat Moses, "habitavisse Josephum in Ægypto, ipsum et familiam (sive *πανοικίαν*, ut habet textus Græcus) patris sui: vidisseque ab Ephraimo natos filios usque ad tertiam generationem; etiam filios Machiris filii Manassis natos esse et educatos super genua ejus:" ubi, quod res peculiari animadversione digna occurrere videretur, in voce שלשים mem majusculum מם רבתי notarunt Hebræi. Cum vero ex vigesimo sexto Numerorum capite constaret, Ephraimo natum Shutelachum, Shutelacho Heranem (Græcis Edomum vel Edenem dictum) itemque Manassi Macirem, Maciri Gileadem: istos quatuor Josephi nepotes, una cum Tachano (quem Taamum et Tanachum appellant) alio Ephraimi filio, ad Jacobi progeniem, quæ Geneseos capite quadragesimo sexto recensetur, adjecerunt, atque ita septuagenario capitum numero quinque insuper addiderunt Græci interpretes, quos Lucam in Actis simpliciter secutum esse, communis veterum est sententia; a posterioribus etiam recepta, Beda[f],

[f] Bed. in Genes. cap. 48; et Act. 7.

Lyrano[h], Tostato[i], et reliquis. Ita Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim (et ex eo Albinus sive Alcuinus in quæstionibus in Genesim, et Strabo Fuldensis in Glossa ordinaria): "non debuit (inquit) Sanctus Lucas, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata, et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore Septuaginta interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ[k], qui ignotus et vilis, et non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicunque Sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata." Quod postremum (ut hoc etiam obiter moneam) velut parum prudenter et considerate ab Hieronymo scriptum notat Whitakerus[l] noster: verum non videtur animadvertisse vir doctissimus, verba uti et abuti Hieronymo esse synonyma: ut cum scribit "Abutimurque[m] hoc testimonio si quando opus fuerit," et "abutendum[n] est hoc testimonio et adversum Ecclesiæ feminas," et de Christi in cruce clamantis voce agens: "Principio[o] (inquit) vicesimi primi psalmi abusus est:" et alibi passim. Verum illa maxima adhuc superest difficultas, quomodo defendi possit, Jacobum cum septuaginta quinque animabus in Ægyptum intrasse; cum ex sacra historia certo constet quinque Josephi nepotes a Græcis interpretibus superadditos, post Jacobi descensum in lucem esse editos. Eum nodum hunc in modum solvit Augustinus, in Quæstionibus super Genesim: et eum secutus Eucherius in fine tertii libri commentariorum in Genesim: "Si[p] quisquam (inquit) exigit, quomodo etiam secundum historiæ fidem verum sit,

[h] Lyr. in Genes. 46.

[i] Tostat. in Genes. 46.

[k] Atqui verba illa non Lucæ sunt, sed Stephani, et quidem Stephani non apud gentes, sed apud Synedrium Hierosolymitanum perorantis. Et si Stephanus ipse Hellenista fuisset, dicendo 75. Hebræis displicuisset, dicendo 70. neque illis neque Hellenistis suis: quia in Deuteronom. x. 22. tam Græcus quam Hebræus textus habet 70: ut hoc ipso in loco notavit etiam ipse Hieronymus.

[l] Whitak. de scriptur. quæst. 1. in fine cap. 3.

[m] Hieron. Com. in Esai. lib. 1. cap. 1.

[n] Ibid. lib. 2. cap. 3.

[o] Hieron. Comment. in Matt. lib. 3. cap. 27.

[p] Aug. Quæst. 173. in Genes. op. tom. 3. par. 1. pag. 422.

Jacob cum septuaginta quinque animabus in Ægyptum intrasse: non illo uno die quo venit, ejus ingressum oportet intelligi, sed quia in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis, et per Joseph eum constat in Ægyptum intrasse, introitus ejus accipiendus est, quamdiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret. Toto quippe illo tempore nasci et vivere potuerunt omnes, qui commemorantur, ut septuaginta quinque animæ compleantur usque ad nepotes[q] Benjamin. Sicut enim dicit, 'Hi[r] filii Siæ, quos peperit ipsi Jacob in Mesopotamia Syriæ,' loquens etiam de iis qui non erant (ibi) nati: quia illic parentes eorum, ex quibus nati sunt, pepererat, ibi eos perhibet natos; quoniam causa qua nascerentur ibi nata est, id est parentes eorum, quos Lia ibi pepererat: ita quoniam causam intrandi in Ægyptum Jacob in Joseph habuit, totum tempus quo in Ægypto vixit Joseph, ingressio erat Jacob in Ægyptum per suam progeniem, quæ illo vivo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur." Quare sicut cum Moses dicit, "Omnes[s] animas familiæ Jacobi quæ venit in Ægyptum, fuisse septuaginta" non stricte accipienda sunt verba, sed ita necessario exponenda, ut non septuaginta animas cum Jacobo in Ægyptum venisse, ("nam[t] utique quos ibi invenit, non cum eis intravit:" invenit autem[u] in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus) sed septuaginta animas ad Jacobi familiam, quando intravit in Ægyptum (annumeratis ipso Josepho scilicet cum duobus filiis, quos tum natos habuit) pertinuisse, intelligimus: ita cum Stephanus dicit, Josephum accersivisse patrem suum Jacob, et omnem cognationem suam, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, non necessario hinc colligitur septuaginta quinque animas accersitas (cum ne septuaginta quidem fuerint uti diximus; demptis a summa, præter uxores filiorum Jacobi, a Mose[x] disertis verbis exceptas, etiam Josepho cum duobus filiis quos reli-

[q] Nepotes Benjamin. in edit. Græca, Gen. 46. commemorantur, qui in edit. Hebræa, Chaldaica et Latina, et Josepho antiqui. lib. 2. cap. 4. recensentur in filiorum numero.

[r] Genes. cap. 46. ver. 15.

[s] Genes. cap. 46. ver. 27.

[t] Augustin. in quæst. super Genes. quæst. 152; Eucher. lib. 3. in Genes.

[u] Hieron. tradit. Hebr. in Genes.

[x] Genes. cap. 46. ver. 26.

quis accenset Moses) sed latiori modo possent verba accipi, ut innuerent, septuaginta quinque animas ad illam συγγένειαν pertinuisse, additis nimirum ipsius Josephi, qui author profectionis fuerat, non filiis tantum, sed etiam nepotibus quos ad tertiam usque generationem vidisse eum refert Moses.

Verum erunt fortasse, quibus non facile persuaseris Stephanum hic ad Græcam editionem Veteris Testamenti respicere voluisse: vel quod is non tam ad Hellenistas qui illi editioni assueverant, quam ad Hierosolymitanum Synedrium, cui in pretio erant ipsi fontes Mosaici, concionem habuit: vel quod non omnes filios quos vivente patre suscepit Ephraim, Græci interpretes in illa recensione numerasse videantur: vel denique quod Græca editio in loco illo Geneseos ita vitiosa sit, et non modo cum Hebraica veritate, sed etiam secum ipsa pugnet, ut ipse Augustinus acerrimus illius[y] editionis patronus hic plane hæreat, et "nescire se utrum possint cuncta ad literam convenire" ingenue agnoscat. Videndum est, inquit ille[z] et post eum Eucherius[a], "quid sibi velit, quod cum Joseph et filii ejus non amplius quam octo commemorantur, Benjamin vero et ejus filii simul undecim reperiantur; non decem et novem omnes, sicut sunt octo et undecim, sed decem et octo referantur in summam; et postea Joseph cum filiis suis, non animæ octo, sed novem fuisse dicantur, cum octo inveniantur. Hæc omnia quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem: sed nescio utrum possint cuncta ad literam convenire; præcipue in numeris quos in Scripturis esse sacratissimos et mysteriorum plenissimos ex quibusdam, quos inde nosse potuimus, dignissime credimus." Hactenus Augustinus. Videndum igitur an aliæ rationes suppetant, quibus Moses et Stephanus conciliari possint. Et ejusmodi sane possunt assignari, sive ad traditionem aliquam celebrem eo tempore apud Hebræos, sive ad ipsam Scripturam Mosaicam Stephanum in numero proposito respexisse dicamus. Laurentius Codomanus[b] dicendum putat, ultra sexaginta sep-

[y] Vid. hic Liveli. contra LXX.

[z] Quæst. 152. in Genesim.

[a] In Genes. lib. 2. cap. 32.

[b] Lib. 1. Chronologiæ, cap. 7.

tem personas, quæ cum Jacobo[c] in Ægyptum descenderunt, vixisse adhuc octo vel septem infantes in utero materno simul descendentes. Quemadmodum Hebræi ad[d] complendum numerum triginta trium filiorum Leæ[e] asciscunt Jocebedam filiam Levi[f], uxorem Amrami, quam in Ægypto natam, sed in terra Canaan conceptam affirmant. Affert autem ad sententiæ suæ confirmationem Codomanus, quod Moses[g] dicitur " asino imposuisse suam uxorem et suos filios;" quarum alter, videlicet Eliezer[h], tunc temporis in utero materno adhuc gestabatur. Nam si uterque natus fuisset, non unum sed duos circumcidisset Zippora[i], nec propter liberationem a gladio Pharaonis natu minor dictus fuisset Eliezer[k], ideoque textus Hebræus[l] non duorum natorum, sed tantum unius filii Mosis mentionem facit." Hæc ille: quæ nec tueri nec refellere propositum est. Aliam affero ista conciliandi rationem, quæ mihi quidem longe videtur probabilior. Scribit Moses[m], omnibus editionibus consentientibus, non Hebræa solum, Chaldaica et Latina sed etiam ipsa Græca, " omnes animas, quæ ingressæ sunt cum Jacobo in Ægyptum exceptis uxoribus filiorum Jacobi, fuisse sexaginta sex." Additis enim tum Josepho cum duobus filiis, qui jam fuerant in Ægypto, tum ipso Jacobo, ex Hieronymi[n] et aliorum doctorum sententia, constituitur numerus ille septuagenarius. At præter Josephum qui in Ægypto antea fuerat, undecim filii cum Jacobo in Ægyptum descenderant: quorum unius, Judæ scilicet, Scriptura[o], alterius (Reubenis fortasse) traditio, uxorem prius mortuam fuisse indicavit. Duos enim patriarchas qui incestu, nurus unus, novercæ alter, se pollue-

[c] Gen. cap. 46.

[d] R. Salonok. Jarchi in Genes. 46. et Num. 26.: R. Moses. bar Naehman. R. Abr. Aben-Ezra, in Gen. 46. etc. Vid. Guil. Langium de annis Christi lib. 2. cap. 4. pag. 262.

[e] Genes. cap. 46. ver. 15.

[f] Exod. cap. 6. ver. 20; Num. cap. 26. ver. 59.

[g] Exod. cap. 4. ver. 20.

[h] 1. Paral. cap. 23. et Exod. cap. 18.

[i] Exod. cap. 4. ver. 25.

[k] Exod. cap. 18. ver. 4.

[l] Exod. cap. 2. ver. 22.

[m] Genes. cap. 46. ver. 46.

[n] Hieronym. Tradit. Hebr. in Genes. Beda in Act. 7. Albin quæst. in Genes. Strabus in glossa ordinaria.

[o] Genes. cap. 38. ver. 12.

rant, uxoribus postea se orbasse, in Judæorum historiis legisse poterat Stephanus. Cæterorum vero novem Patriarcharum uxores, numero illi sexaginta sex eorum qui cum Jacobo in Ægyptum descenderunt additi, septuaginta quinque constituent. Ex ipsa Scriptura Mosaica conciliationem eruere conatur Franciscus Junius, tum in annotationibus ad Genesim[r] tum fusius in Parallelis.

19. Act. cap. 18. ver. 21 : *δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα.* Hæc verba adulterina esse confirmat Christophorus[s] de Sacro Bosco ex Lyrano, qui in hunc locum ita annotat : "Quod autem in aliquibus libris interponitur : Oportet me diem solennem advenientem facere Jerosolymis, non est de textu, nec est in libris correctis : quia nec tunc Paulus ivit in Jerusalem, sed postea per magnum tempus." Respondetur : Sententia hæc habetur tum in aliis omnibus Græcis exemplaribus, tum in textu Chrysostomi, Œcumenii et Theophylacti. Eandem habent editiones Syriaca et Arabica. Vetus quidam Castigator in suo correctorio, a Nic. Zegero citatus, indicat, "haberi quidem in Græco, non item in antiquis glossematibus," ubi glossemata intelligenda Latinorum : qui editionem vulgatam exposuerunt. Quanquam etiam in nonnullis Latinorum libris lectum esse, "Oportet me diem solennem advenientem facere Hierosolymis :" ex ipso Lyrano intelligimus, atque sic fere in uno quodam quo usus est exemplari se legisse confirmat Zegerus in Epanorthote : et in aliis nonnullis codicibus manuscriptis se vidisse testatur Johannes Lorinus ; qui in commentariis ad hunc locum ita scribit : "Carthusianus agnoscit hanc lectionem, monetque incertum esse, de quo festo loquatur. Quod idem facit Cajetanus, legunt eodem pacto Vatablus et Clarius, utpote Græcum secuti textum, et nonnulli codices manuscripti, quos vidi. Et cum Chrysostomus etiam, ac Œcumenius ita legant ; non ausim tam facile negare, esse de textu." Hæc contra Lyranum Lorinus : cujus authoritas, præsertim aliorum quos citat doctorum (a quibus etiam non dissentit Alphonsus Salmeron[t])

[r] Cap. 46. v. 27.

[s] Sacrobosc. defens. decret. Tridentin. part. 4. cap. 6. loc. 50.

[t] Salmeron. commentar. tom. 12 : tractat. 48. in Act.

testimoniis roborata, longe potior est habenda quam Sacroboscani cum Lyrano delirantis judicium. Nam ratio quam ex Lyrano profert Christophorus, nullius est momenti. Unde enim didicit Lyranus " Paulum tunc non ivisse Hierosolymam." certe quum additur versu sequenti, *καὶ κατελθὼν εἰς Καισάρειαν ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος τὴν ἐκκλησίαν, κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν*: ex illo ascendendi verbo, nemo est qui non intelligat Paulum tum Hierosolymam venisse: quod etiam interpretatio Syra, ab Immanuele Tremellio ex antiquissimo codice manuscripto Heidelbergensis Bibliothecæ edita, disertis verbis expressit. Hinc Emanuel Sa, in notationibus ad versum vigesimum primum, Paulum ait Cæsarea ascendisse in ecclesiam scilicet Jerosolymæ: deinde ex Jerusalem Antiochiam venisse. Et Cardinalis Cajetanus: " Ascendit procul dubio Hierosolymam: et salutavit ecclesiam, quæ erat Hierosolymis: et descendit in Antiochiam. Voluit Lucas intelligi adventum Pauli in Hierusalem ex descripto ascensu ex Cæsarea, et descensu in Antiochiam salutata ecclesia, insinuans simul per hæc, quod Paulus nihil aliud fecit evangelicum Hierosolymis quam quod salutavit Ecclesiam; prohibitus a fratribus ne excitaretur tumultus propter ipsum. Et hic est quartus Pauli in Hierusalem aditus post conversionem ejus." Hactenus Cajetanus.

20. Rom. cap. 11. ver. 6: Εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις. *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἔργον*. Si vero ex operibus, non est amplius gratia: alioquin opus jam non est opus. Totam hanc sententiam, quæ in Græca editione habetur, non autem in editione vulgata Latina, textui superflue esse additam, objiciunt Anglo-Rhemenses[u], quod confirmant tantum testimonio Erasmi qui ad hunc locum ita annotat: " Quoniam hanc additionem non reperio apud Origenem, nonnihil addubito, num ea sit germana lectio: præsertim quum Chrysostomus hunc enarrans locum tantum legat, *εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις*. nec addit his quicquam. Atque ut Latinæ lectioni magis faveam (ait idem post alia nonnulla interjecta), facit quod Paulus non hic agit, an opus sit opus; sed gratiam astruit, quam Judæi

[u] Præfat. in. Nov. Testam. sect. 38.

conabantur expellere." Hinc Andradius monet; "Erasmum[x] et ipsa Pauli disputatione, et Chrysostomi Origenisque auctoritate commotum, Latina exemplaria Græcis antetulisse, neque enim verisimile esse putavit, integram illam sententiam a duobus Pauli Apostoli gravissimis enarratoribus potuisse temere prætermitti. Quibus adde, minime etiam Augustinum, Primasium, atque Hieronymum, et Græcæ linguæ peritissimos, et in Pauli non modo sententiis explicandis, sed verbis etiam numerandis diligentissimos illam orationem fuisse præterituros, si in Græcis et Latinis, quibus usi fuere, exemplaribus extaret. Hieronymi vero eo in hac parte auctoritas major esse debet, quo fuit in Novo Testamento e Græco convertendo Augustini testimonio diligentior. ad ipsum enim ad hunc modum scribit[y]: non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam Græcam contulerimus." Post Andradium etiam Bellarminus[z] fatetur quidem "esse in Græcis codicibus illam sententiam, et a Theophylacto explicari; tamen ab ullis aliis agnosci negat. Nam nec Origenes (inquit) nec Chrysostomus, nec Ambrosius, nec ulli alii explanatores hujus loci ejus meminerunt: sed nec Augustinus qui frequentissime hunc locum tractat et præcipue libro secundo de bono persever. cap. 18. Immo et Erasmus in annotationibus ad hunc locum, rejicit hanc additionem tanquam superfluam." Hæc Bellarminus. Similiter et ejus assecla Christophorus de Sacro-Bosco[a], "sine dubio (inquit) ea sententia non fuit in correcto exemplari, quo usus est vetus interpres; unde nec Ambrosius nec Augustinus ejus meminerunt, neque Origenes: quod magno argumento est eam sententiam ab aliquo Græco additam, ut metathesi (antithesi volebat dicere) locum illustraret; ut ita successu temporis, irrepsisse in quosdam codices, ad quos nostri Græci fuerunt excusi." Alphonsus Salmeron in Epistola ad Romanos, "Erasmo hæc lectio non placuit, nec codex Aldinus, aut

[x] Andrad. Lib. 4. Defens. fidei Tridentinæ, pag. 676.

[y] Augustin. epist. 71. op. tom. 2. pag. 161.

[z] Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 14.

[a] Parte 4. defens. cap. 2. loc. 4.

Hispaniensis illam habet, nec Origenes nec Chrysostomus Græci, nec Ambrosius aut Hieronymus Latini: et ideo videtur adjectitia." Postremo Jacobus Gretserus[b], ut probet contra Hunnium verba illa esse superflua: hæc addit, quæ ad verbum ex Toleti annotationibus (suppresso illius nomine) transcripsit: "Prior illa pars, 'Si autem ex operibus, jam non est gratia,' superflua videtur. Jam enim dixerat 'si ex operibus jam non est gratia.' Posterior autem pars 'alioquin opus, jam non est opus' quantum ad sensum, in priori sententia significata est."

Respondetur: Quod ad Erasmum attinet, cujus solius testimonio accusationem hanc Græci textus firmant Rhemenses, a Bellarmino quoque et reliquis adversariis repetito: non ille quidem rejicit hanc additionem tanquam superfluam (quemadmodum fingit cum Anglo-Rhemensibus Bellarminus): "sed nonnihil se addubitare ait, num ea sit germana lectio." et hujus suspicioni opponimus Jacobi Fabri Stapulensis et Thomæ Cardinalis Cajetani judicium; qui verba hæc non in Græco textu redundare, sed in Latino deesse adfirmate pronuntiant. A quorum sententia ut discedamus non cogunt vel authoritates vel rationes quas hic producunt adversarii.

[b] Defens. Bellarm. de Verbo Dei, lib. 2. cap. 14. loc. 6.

Postremum accusationis caput ea loca complectitur, quæ vocum aliquot commutatione in Græco textu putantur depravata: cujusmodi fere sunt quæ sequuntur.

1. Matt. cap. 21. ver. 30. Ἐγὼ κύριε. Christophorus de Sacro-Bosco[c] affirmat "errorem esse in Græco, non enim legendum Ego Domine: sed, Eo Domine, ut in Latino. sic (inquit) legit Chrysostomus: 'Vado Domine;' quomodo legendum res ipsa loquitur." Hæc ille. Respondetur: Ita sane locum intelligendum res ipsa loquitur: non legendum tamen. Altera enim lectio etiam Francisco Lucæ Brugensi "germana esse videtur: quippe cui (inquit[d]) præter Græcorum exemplarium multitudinem, etiam Syri et Græci interpretes Theophylactus atque Euthymius consentiant." estque hic, ut notat idem[e], "Hebraismus, qualis legitur Genes. cap. 37. ver. 14. et 1 Sam. cap. 3. ver. 4. 5. 6. 9.: promptum se offerentis ad parendum; pro eo quod nos dicimus Latine, Præsto sum." In Chrysostomo[f] non legimus, Vado Domine (quomodo Christophorus citat) sed simpliciter, ἀπέρχομαι, Vado. Ut ex eo non magis possit colligi in Græco textu reponendum esse ἀπέρχομαι, quam auferendum κύριε. ut non dicam, pari ratione in textu reponi posse, ναὶ κύριε: quod apud Originem[g] legamus; "Secundus respondit, Etiam Domine." Erasmus quidem in nonnullis Græcis reperit pro ἐγὼ, ὑπάγω, id est, abeo, sed ut arbitratur ad Latinorum exemplaria castigatis. Et Beza vetustissimum exemplar Græcum habuit ἐγὼ κύριε ὑπάγω: quomodo et Arabs vertit انا امضي يا رب Ego vado Domine." Quidam etiam codices legunt ἐγὼ κύριε, ἐγὼ ὑπάγω Ego Domine ego vado: "quæ duo in Novi Testamenti a se anno 1563 editi margine Basileenses signarunt:" quemadmodum in

[c] Parte 4. defens. Decreti Tridentini, cap. 7. loc. 20.

[d] Luc. Brug. notat. in Biblia. sect. 445.

[e] Luc. Brug. commentar. in Matt. 21.

[f] Chrysost. in Matt. homil. 68.

[g] Origen. in Matt. tractat. 18.

suis ad Biblia notationibus monet F. Lucas Brugensis. "Quæ omnia (ut idem[h] alibi observat) verisimile est fuisse substituta, ab iis qui non intellexerint primam illam germanamque lectionem ἐγὼ κύριε, Ego Domine." Sed et idem[i] dubitari posse ait, "Scriptorumne, vel errore, vel audacia, pro 'ego' positum sit in Latino textu 'eo:' quod[k] si etiam Latinus interpres non vertit 'ego' sed 'eo;' sensum tamen Græci textus expressisse pronuntiat, non ipsa verba." Cui adjungere liceat et Laurentii Vallæ censuram in hæc verba; "Eo Domine. Quia sequitur et non ivit, mutaverunt temerarii corruptores, ego in eo; non intelligentes non satisfacere hanc responsionem filii jussioni patris, quæ fuit: fili, vade hodie operari in vinea mea, quia nec filius prior respondit non eo, sed nolo, id est, ire et operari. Ita cum hic respondet, ego Domine, perinde est ac si dixisset, obtemperabo tibi Domine. Sed quid argumentor, cum veritas Græca sic habeat, ἐγὼ κύριε." Hæc Valla.

2. Matt. cap. 27. ver. 9: τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου προφήτου, Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam. Cardinalis Cajetanus in commentariis ad hunc locum, credi posse ait, "quorundam malignitate aut errore pro Zacharia scriptum esse Hieremiam: quia sententia horum verborum in illo[l], non in hoc inveniatur." Scriptorum etiam errore fieri potuisse ut nomen mutatum fuerit: existimat Erasmus, Claudius Guilliandus, et recentiorum tractatorum alii. Ex antiquis Hieronymus[m] errore librariorum factum putat, ut Jeremiæ nomine citetur, quod in Zacharia est scriptum. Eusebius[n]: Ἔνθα καὶ ἐπιστήσεις ἐπὲι μὴ ταῦτα φέρεται ἐν τῇ τοῦ Ἱερεμίου προφητείᾳ, εἴτε χρὴ ὑπονοεῖν περιῃρῆσθαι αὐτὰ ἐξ αὐτῆς κατά τινα ῥᾳδιουργίαν, ἢ καὶ σφάλμα γραφικὸν γεγονέναι, τῶν ἀμελέστερον τὰ τῶν ἱερῶν εὐαγγελίων ἀντίγραφα πεποιη-

[h] Luc. Brug. in notis ad varias lectiones edit. Græcæ evangel.

[i] Luc. Brug. notat in biblia. sect. 445.

[k] Idem in commentar. ad Matt. 21, 30.

[l] Zachar. cap. 11. ver. 12, 13.

[m] Lib. 4. commentar. in Matt. cap. 27; et in Psal. 77. si modo horum commentariorum idem sit author.

[n] Euseb. Libro 10. Demonstrat. Evangelicæ, cap. 4.

μένων σφαλέντος τινὸς, καὶ ἀντὶ μὲν τοῦ Ζαχαρίου Ἱερεμίαν τεθεικότος, ὡς δέον οὕτως ἀναγεγράφθαι. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ζαχαρίου τοῦ προφήτου. Hic diligenter considerabis, quum hæc in Hieremiæ prophetia non habeantur; num arbitrari oporteat ea per quandam malitiam ex illa sublata esse, an vero librarii erratum fuisse, qui negligentius sanctorum Evangeliorum exemplaria confecerit, et ex negligentia in errorem inciderit, et pro Zacharia Hieremiam posuerit: ut pote quum ita scripto opus fuerit; Tunc completum est quod dictum est per Zachariam prophetam." In priori sententia est Anastatius Sinaita ita scribens: Διάφορα[o] τεύχη ψηλαφήσας, Ιερεμίου τοῦ προφήτου, οὐχ' εὗρον ὅλως ἐν αὐτοῖς τὰ τριάκοντα ἀργύρια τῆς τιμῆς τοῦ Χριστοῦ οὔτε τὴν πρᾶσιν τοῦ ἀγροῦ τοῦ κεραμέως. εἰ οὖν αὐτῆς ἱερᾶς γραφῆς οὐκ ἐφείσαντο οἱ κακόπιστοι, πόσῳ καὶ μᾶλλον τῶν διδασκαλικῶν λόγων. Cum diversa exemplaria Jeremiæ prophetæ in manus sumpsissem: in illis penitus non reperi triginta argenteos, pretium Christi venditi, neque figuli agrum venditum. Si igitur ne ipsis quidem sacris a fide orthodoxa alieni parcunt: quanto minus falsarias manus a doctorum lucubrationibus abstinebunt." Hæc Anastasius: cujus sententia nullo modo probari potest, quandoquidem locus a Matthæo citatus, in nullis omnino Jeremiæ exemplaribus inveniatur, Hebraicis Chaldaicis Græcis aut Latinis: neque iis solum quæ hodie extant, sed etiam quæ ante Anastasii tempora tum in Synagoga tum in Ecclesia legebantur. Quod constat ex verbis illis Origenis, "Inter[p] ea quæ scripta sunt, non invenitur hoc Jeremias alicubi prophetasse in libris suis, qui vel in ecclesiis leguntur vel apud Judæos referuntur: si quis autem potest scire, ostendat ubi sit scriptum." Et Hieronymi: "Hoc[q] in Jeremia penitus non invenitur." Ut si veterum aliqui testimonium hoc Jeremiæ prophetæ nomine citarint (quod facit Gregorius Nysenus, in Psalmorum

[o] Anas. Sin. in 'Οδηγῷ. cap. 12.

[p] Orig. Tract. 35. in Matthæum. op. tom. 3. pag. 916.

[q] In lib. de optimo genere interpretandi ad Pammachium. op. tom. 4. par. 2. pag. 252; et lib. 4. commentar. in Matth. tom. 4. par. 1, pag. 132.

inscriptiones tractatu secundo: et author quæstionum ad Antiochum, quæ[r] Athanasio tribuuntur) id factum sit, non quod in ipsa Jeremiæ prophetia legerint, sed quod eo nomine in vulgato Matthæi textu citatum invenerint. Neque vero ullo modo verisimile est (quod ad Euthymii commentarium a Johanne Hentenio editum ex Græcorum ut videtur scholiis annotatum invenimus) "abjecta hæc esse ab eo Jeremiæ libro qui legitur, dolo ac malitia Judæorum, cum multa sint alia in Prophetis, quæ magis urgeant mysterium Messiæ contra Judæos, nec tamen ausi sunt illa abradere," quemadmodum tomo decimo commentariorum in Evangelia, tractatu vigesimo quinto, confirmat Alphonsus Salmeron: quanquam idem paulo post, nescio quomodo, ipse hic impingat. Sic enim scribit, "Ne corruptum esse locum asseram, ut illi Patres existimant, dicendum est revera hæc verba in vero Jeremia olim scripto inventa fuisse, in quo nunc vitiato non extant: et hujus sententiæ est Origenes in hunc locum, quem sequuntur Chrysostomus et Euthymius." Egregium scilicet sacri contextus defensorem, cui religio est textum Matthæi unius voculæ vel additione vel commentatione corruptum existimare; et ita tamen facile persuaderi sibi patitur, Jeremiæ prophetiam (cujus apud hominem Christianum non minus sacrosancta esse debeat quam ipsius Evangelii authoritas) unius aut alterius periodi substractione esse vitiatam. Sed illud tam verum est scilicet, quod asserit Jesuita, "revera hæc verba in vero Jeremia olim scripto inventa fuisse" (in quo tamen qui ea invenisse se dixerit, nemo hactenus inventus est); quam quod ejusdem sententiæ patronos facit Origenem, Chrysostomum et Euthymium. Cum Chrysostomum hâc de re nullum quidem verbum habere, Origenem vero et Euthymium, non de vero Jeremia, qui nunc vitiatus sit, sed de alio aliquo libro Jeremiæ apocrypho scripsisse certum sit. Ut non dicam ipsum Salmeronem concludere ad extremum "hæc esse verba Jeremiæ, ex traditione fortasse accepta:" quod si ex traditione, non igitur (ut idem antea somniavit) ex scripta prophetia, olim integra, nunc vitiata. Origeni

[r] Athan. op. tom. 2. pag. 319. edit. Commelinianæ.

vero magis placet altera illa ab Eusebio proposita sententia (quæ et quibusdam recentioribus, ut dixi, non displicet): in Matthæi textu[t] "errorem esse scripturæ, et pro Zacharia positum Jeremiam:" verum cum nec Origenes nec Eusebius nec quisquam alius in ullo exemplari Zachariæ nomen reperisse indicet; et constanter reclament omnes codices, qui variis linguis habentur editi, nobis omnino hæc suspicio probari non potest. Itaque longe præferenda est eorum sententia qui existimant, Matthæum tantum scripsisse per Prophetam, omisso omni Prophetæ nomine: scriptorem vero aliquem, quum putaret Jeremiæ citari testimonium, ejus nomen ad marginem adscripsisse, quod postea aliquis alius in contextum inseruerit. Nam et in hoc ipso capite semel[u] et sæpe quoque alias[x] Matthæus Prophetarum citans testimonia, quem intelligat, non est solitus exprimere (ne enim cum Baronio[y] nunquam exprimere consuevisse affirmem; facit, quod alibi quoque[z] Jeremiam, quater[a] vero Esaiam nominatim ab eo citatum inveniam): et variasse olim hoc in loco codices Evangeliorum, nec omnes habuisse, per Jeremiam prophetam, sed tantummodo, per prophetam, constat Augustini testimonio, cujus hæc sunt verba: "Si[b] quis movetur quod hoc testimonium non invenitur in scriptura Jeremiæ prophetæ, et ideo putat fidei Evangelistæ aliquid derogandum: primo noverit non omnes codices Evangeliorum habere, quod per Jeremiam dictum sit, sed tantummodo per Prophetam: possemus ergo dicere his potius codicibus esse credendum, qui Jeremiæ nomen non habent. Dictum est enim hoc per Prophetam, sed Zachariam: unde putatur codices esse mendosos qui habent nomen Jeremiæ; quia vel Zachariæ habere debuerunt: vel nullius, sicut quidam, sed tantum, per Prophetam dicentem, qui utique intelligitur Zacharias." Hæc Augustinus. Similiter Strabus in Glossa ordinaria, Zacharias Episcopus Chrysopolitanus libro quarto Concordiæ Evangelicæ: et Anselmus Archie-

[t] Origen. tractat. 35. in Matt. cap. 27. op. tom. 3. pag. 916. [u] Ver. 35.
[x] Matt. cap. 1. ver. 22.; cap. 2. ver. 5. 15. 23.; cap. 13. ver. 35.; cap. 21. ver. 4.
[y] Baron. tom. 1. Annal. cum 34. sect. 19. [z] Matt. cap. 2. ver. 17.
[a] Matt. cap. 3. ver. 3.; cap. 4. ver. 14.; cap. 8. ver. 17.; cap. 12. ver. 17.
[b] Aug. de con. Evang. lib. 3. cap. 29. op. tom. 3. par. 2. pag. 114.

piscopus Cantuariensis in Matthæi caput vigesimum septimum: "Quidam (inquiunt) codices non habent, per Jeremiam, sed tantum, per Prophetam." Et Nicolaus Lyranus: "Vox Jeremiam non est de textu, ut dicit Hieronymus: nec etiam in antiquis libris est." Apud Rupertum Tuitiensem[c] textus ita legitur: "Tunc impletum est quod dictum est per prophetam, dicentem:" addit vero in commentariis Rupertus: "Propheta per quem hoc dictum fuerat, Zacharias est: sed per incuriam scriptorum inolevit, ut hic pro Zacharia nominaretur Jeremias." Adde quod in vetusto manuscripto Latinorum Evangeliorum exemplari quod ex Jesuitarum bibliotheca Theologis Lovamiensibus, qui in Latinis Bibliis emendandis laborarunt, commodatum est; scriptum sit similiter: "Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam, dicentem." Et, quod majus est, vetustissimus interpres Syrus eodem plane modo legit. Cui et Arabem, adjungit Franciscus Junius[d]; proculdubio quod a manuscripto codices quo ille usus est, Jeremiæ nomen abesset, quod tamen in Romana Arabicorum Evangeliorum editione repositum videmus. Atque hæc sententia maxime placet, tum doctioribus Pontificiis, Francisco Titelmanno[e], Cornelio Jansenio[f], Johanni Maldonato[g], et Cæsari Baronio[h]; tum Theodoro Bezæ et aliis nostrorum plurimis. Augustino tamen non placet, et cur non placeat, hanc causam assignat, "quia[i] et plures codices habent Jeremiæ nomen; et qui diligentius in Græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse: et nulla fuit causa cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret: cur autem de nonnullis codicibus tollerentur, fuit utique causa, ut hoc audax imperitia faceret; cum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur." Verum ista tanti non sunt pon-

[c] Lib. 11. de gloria et honore filii. hominis, super Matthæum.

[d] Lib. 1. Sacrorum Parallelorum, sect. 48.

[e] Titelman. in Elucidat. cap. 27. Matt.

[f] Jansen. comment. in Concord. Evangelic. cap. 140.

[g] Maldonat. comment. in Matt. 27. 29.

[h] Baron. Annal. tom. 1. an. 34. sect. 19.

[i] Augustin. de consens. Evangel. lib. 3. cap. 7. op. tom. 3. par. 2. pag. 114.

deris, ut aliter opinantes a sententia cogant abscedere. Illud enim ad defensionem satis fuerit, quod in nonnullis Græcis exemplaribus Jeremiæ nomen sit desideratum, quanquam forte vel antiquiora vel plura illud adscriptum habuerint, Neque enim tantum fidei illis codicibus qui Jeremiæ nomen habent, addere potest vel multitudo vel antiquitas, quantum aliis hoc ipsum quod in Jeremia citatum testimonium omnino inveniri nequeat: præsertim cum id omnes intelligant qui in exemplarium collatione vel mediocriter versati sunt: non illam semper præferendam esse lectionem quam codices antiquiores exhibent; et majorem exemplarium numerum sæpenumero vincere meliorem. Neque id admodum movebit, quod nulla causa fuisse videatur, cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret: si consideremus in alio Matthæi loco, non meliori sane de causa depravationem huic similimam olim contigisse. Ut enim ubi dicitur: "Tunc[j] impletum est quod dictum est per Prophetam," quod Jeremiæ nomen temere ab aliquo adjectum asseritur, cum testimonium illud non in Jeremiæ sed in Zachariæ scriptum sit prophetia: ita ubi omnia exemplaria nunc legunt, "Ut[k] impleretur quod dictum erat per Prophetam," in nonnullis codicibus, qui Augustini ferebantur sæculo, Esaiæ nomen est additum[l], cum citata Prophetia non in Esaia sed in Psalmo septuagesimo septimo (vel septuagesimo octavo, secundum Hebræos) inveniatur. Jam vero lectionem neque recentiorum tantum neque paucorum fuisse codicum, argumento est, quod impius ille Porphyrius adversus nominis Christiani professores hoc ipsum proposuit: "Evangelista vester Matthæus tam imperitus fuit, ut diceret, quod scriptum est per Esaiam prophetam: Aperiam in parabolis os meum, et loquar propositiones ab initio." Si causam quæras, cur additum Esaiæ nomen fuerit: vel nulla dari potest, vel illa certe, quod Asaphi nomen (cujus titulo Psalmus ex quo desumptum fuit hoc testimonium, inscriptus est) ab aliquo adscriptum videatur, quod alius non intelligens, et scriptoris vitium existimans, supposito Esaiæ notioris Pro-

[j] Matt. cap. 27. ver. 9. [k] Matt. cap. 13. ver. 35.

[l] Hieronym. in Matt. 13. op. tom. 4. pag. 54. et Psalm. 77. tom. 2. pag. 316.

phetæ vocabulo emendare voluerit. Atque ita in altero loco, quum ad marginem primo adscriptum fuerit nomen Zachariæ, facile mutari illud potuit in nomen Jeremiæ: vel quod oscitante librario (quod sæpe fit) unum nomen pro altero exciderit: vel quod inter voces ipsas nonnulla esset affinitas (non minor saltem quam inter Asaphi et Esaiæ nomina), vel quod in literarum compendiis facile potuit ζου in Ιου degenerare (quæ Bezæ est conjectura), vel etiam quia secundum translationem LXX. qua vetus usa est Ecclesia, non videbatur in Zacharia hoc testimonium reperiri posse; quippe quod ita discreparet ab Hebraica veritate, ut nihil habere simile videretur, quemadmodum in commentariis suis Jansenius et Maldonatus confirmant. Sic enim locus se habet in editione quæ dicitur LXX. Καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτοὺς, εἰ καλὸν ἐνώπιον ὑμῶν ἐστι, δότε τὸν μισθόν μου, ἢ ἀπείπασθε. καὶ ἔστησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργυροῦς. καὶ εἶπε κύριος πρὸς μὲ, κάθες αὐτοὺς εἰς τὸ χωνευτήριον, καὶ σκέψαι εἰ δόκιμόν ἐστι, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν. καὶ ἔλαβον τοὺς τριάκοντα ἀργυροῦς, καὶ ἐνέβαλον αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον κυρίου εἰς τὸ χωνευτήριον. quæ Hieronymus[m] ex Vulgata editione ita Latine repetit: "Et dicam ad eos; si bonum est coram vobis, date mercedem mihi, aut renuite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Dixitque Dominus ad me: Pone illos in conflatorium; et considera, si probatum sit, sicut probatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et misi eos in domo Domini in conflatorium." Hic nihil est, inquit Jansenius, "quod cum citato ab Evangelista testimonio conveniat, nisi illud; 'et statuerunt mercedem meam triginta argenteos.' Unde illud; 'Pretium appretiati quem appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus:' Augustinus existimat nec apud Zachariam, nec apud Jeremiam reperiri, ac proinde accipiendum ex persona Evangelistæ dictum. At Evangelistæ testimonium, quod citat, adducit non tantum ut ostendat pretium Christi fuisse prædictum; sed magis ut ostendat prædictum esse eo pretio a Judæis

[m] Hieronym. de optim. gener. interp. ad Pammach. op. tom. 4. par. 2. pag. 252.

agrum figuli emendum." Hæc Jansenius : et qui eum *κατὰ πόδας* hic sequitur (licet egregie id dissimulet) Alphonsus Salmeron. Deinde etiam (quod monent iidem, et ante eos monuit Claudius Guillandus[n]) ut nomen Jeremiæ adscriberetur, in causa facile potuit, quod apud eum capite trigesimo secundo de agro a se empto ex præcepto Domini legatur. Huc enim respexisse Matthæum, etiam nostris temporibus defendit Franciscus Vatablus[o] (quam recte ; nihil attinet dicere) neque ab ea sententia alienus est ipse Augustinus[p]. Itaque mirum est, inquit hic Johannes Maldonatus, " cum eodem loco dicat, satis esse causæ, cur hoc testimonium Jeremiæ tribuatur, quod Jeremias cap. 32. ver. 9. emerit agrum ; negare nunc eam ipsam causam satis esse potuisse, ut aliquis putans Evangelistam ad illum Jeremiæ locum allusisse ; nomen Jeremiæ ad marginem annotaverit, alius in contextum transtulerit." Adde quod erroris quoque causa esse potuit Græci textus cum Hebraico, quod apud Veteres ferebatur et pro ipsius Matthæi vero atque germano a multis habebatur Evangelio, inconsiderate facta collatio. In eo enim verisimile est, ita se locum habuisse, quomodo nunc in Evangelio Syriaco legitur : Tunc impletum est quod dictum fuit ביד נביא per manum prophetæ : hic enim communis Hebræorum et Chaldæorum est idiotismus. Verso a ד in ר (quod ob literarum similitudinem, proclive admodum, et sæpe a LXX. nonnunquam etiam Hieronymo factum) emergit ביר׳ id cum nota compendii vatet *διὰ Ἱερεμίου*, sive in Jeremia, quemadmodum in notis ad Parallela Sacra observat vir Hebraicarum rerum peritissimus Johannes Drusius. Verum quia multi fortasse non facile sibi persuaderi patientur tot codices vitiari potuisse : non abs re fuerit etiam aliorum sententias proponere, qui vulgata lectione retenta, propositam difficultatem solvere conati sunt, si quidem " commodius plures exitus inveniuntur, quibus quæstiones difficiles dissolvuntur :" ut in simili re dixit Augustinus[q]. Atque ut ab ipso incipiamus Augustino is (et eum secutus

[n] In Matt. cap. 27. [o] In annotationibus ad Jerem. cap. 32.

[p] De con. Evang. lib. 3. cap. 30. op. tom. 3. par. 2. pag. 115.

[q] Augustin. quæst. 25. in Genesim. op. tom. 3. par. 1. pag. 384.

Strabus in Glossa ordinaria, Beda et Anselmus Cantuariensis in Matthæi caput vigesimum septimum) existimat, "secretiore[r] consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ, fieri potuisse, ut animo Matthæi Evangelium conscribentis pro Zacharia Jeremias occurreret: atque sic esse insinuatum, ita omnes sanctos Prophetas uno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur; et ideo indubitanter accipi debere quæcunque per eos Spiritus Sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum." Verum hæc responsio videtur duriuscula. Dicere enim Jeremiam pro Zacharia citari potuisse, quod idem per omnes Prophetas spiritus locutus sit, non immerito Johanni Maldonato violenta videtur interpretatio, ut de ea pronuntiare non dubitaverit Johannes Major: "Istud[s] secretum consilium non recipio sed abjicio." Aliter igitur respondetur, petitum esse locum ex utroque Propheta conjunctim, puta ex Jeremiæ capite trigesimo secundo et Zachariæ capite undecimo. Ita Strabus in Glossa ordinaria, et Anselmus Cantuariensis: "Apud Jeremiam (inquiunt) invenitur de empto agro, sed non sub hoc nomine pretii: apud Zachariam de triginta argenteis, et nihil de emptione agri. Utrumque ergo interpretatur Evangelista ad hoc quod de Domino completum est: et confert in unum triginta argenteos, quod est in Zacharia; et agrum emptum quod est in Jeremia." Inde et Anastasius Abbas[t] in libro contra Judæos: "De venditione, et pretio triginta argenteorum Zacharias et Hieremias Prophetæ locuti sunt et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quod appretiarunt filii Israel." * * * * *
* * * * * * * * * * * *

3. Marc. cap. 1. ver. 2. ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. Editio Vulgata Latina legit: "Sicut scriptum est in Esaia Propheta." Ubi Melchior Canus "novitios[u] ridet interpre-

[r] Augustin. de consen. Evang. lib. 3. cap. 30. op. tom. 3. par. 2. pag. 115.
[s] Maj. in Matt. cap. 27.
[t] Apud Hen. Canisium, tom. 3. par. 3. Lect. Antiq.
[u] Canus, lib. 2. loc. Thes. cap. 18.

tes qui e pravis Græcis Latina emendant non prava:" colligitque "summo eos jure magnaque ratione facere, qui non in hoc solum sed in aliis quoque locis, Græcis exemplaribus posthabitis Latinam editionem venerantur. Græca autem hic esse vitiata ita probat Erasmus, tametsi fatetur Græca exemplaria omnia, quæ videre quidem ipse potuit, ἐν προφήταις habere; lectionem nostram probat tamen, Græcamque asserit a Græcis fuisse immutatam. Hieronymus etiam in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi solam hanc, quam habemus lectionem, habet: alterius autem eo loco ne meminit quidem. Et Porphyrius libro decimo quarto Marcum Evangelistam eo nomine accusat, quod homo imperitus et rudis, vel suas literas nesciat, idque quasi ab uno eodemque propheta scriptum referat, quod non ab uno, sed a duobus scriptum est. Cui calumniæ Chrysostomus[x] respondens non causatur, aut codices mendosos esse, aut certe ab impio locum depravatum: sed plane consentit, eo prorsus modo lectum iri, quo Porphyrius in objectione legit. Qua ex re perspicuum fit, ante Chrysostomi et Hieronymi tempora in editionem nostram omnes et Græcos et Latinos codices consensisse." Hæc Canus. Et legendum esse, "in Esaia propheta," clarissime probari asserit Wilhelmus Reginaldus[y], "ex Syriacis Bibliis, S. Hieronymo[z], S. Augustino[a], S. Epiphanio[b], et S. Chrysostomo[c] speciatim hunc locum adversus Porphyrium defendente."

Respondetur: Et hodie variant, et olim variabant in hujus loci lectione Græca exemplaria. Quamvis enim exemplaria omnia quæ vidit Erasmus, ἐν προφήταις habuerint (quod etiam secuti sunt Theophylactus et Euthymius) indicarunt tamen alii "in bibliotheca Vaticana haberi codicem Græcum majusculis descriptum," qui legat ἐν τῷ Ἡσαΐα προφήτῃ: quod ipse Erasmus monet, et Lucas Brugensis in Notationibus confirmat. Sed et Bezæ vetustissimus codex majusculis item descriptus; exemplar quoque vetustis-

[x] In hom. de initiis Evang. secundum Marc.
[y] Reginald. in Refutat. Reprehensis.
[z] Hieron. de optimo genere interpretandi. cap. 3.
[a] Aug. quæst. 57. Vet. et Nov. Testam. op. tom. 3. App. pag. 64.
[b] Epiphan. contra hæres. lib. 2. [c] Chrysost. cap. 1. Marci.

simum quod ex Italia nactus est Robertus Stephanus, et aliud quod Regis Gallorum Bibliotheca eidem suppeditavit, similiter legunt ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. Olim vero variasse exemplaria ex Irenæi scriptoris antiquissimi libro tertio adversus hæreses manifestum est. Nam in capite quidem undecimo non procul a fine ita citatum habetur: "Initium Evangelii, quemadmodum scriptum est in Esaia Propheta." Verum prius in eodem capite, Irenæus in hunc modum scripserat: "Marcus interpres et sectator Petri, initium Evangelicæ conscriptionis fecit sic. 'Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei, quemadmodum dictum est in Prophetis, Ecce, mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam: Vox clamantis in deserto; Parate viam Domini, rectas facite semitas ante Deum nostrum.' Manifeste initium Evangelii esse dicens, sanctorum prophetarum voces;" et postea capite decimo octavo, "Propter hoc et Marcus ait: 'Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est in Prophetis,' unum et eundem sciens Filium Dei Jesum, qui a Prophetis annunciatus est." Ut omnino falsum sit, quod perspicuum esse affirmat Canus: "in alteram lectionem, ante Chrysostomi et Hieronymi tempora, omnes et Græcos et Latinos codices consensisse." Quamvis enim illam jam olim fuisse receptam lectionem ex Porphyrii objectione sit perspicuum: non est tamen consequens, omnes in eam codices consensisse; non magis quidem quam in illam, Matthæi cap. 13. ver. 35. quæ jam in nullis vel Græcis vel Latinis habetur codicibus; "Ut impleretur quod scriptum est per Esaiam prophetam:" quia et impius Porphyrius (quemadmodum in commentariis qui Hieronymo tribuuntur in Psalm. 77. modo notavimus) proposuit adversus nos hoc ipsum dicens: "Evangelista vester Matthæus tam imperitus fuit, ut diceret, Quod scriptum est per Esaiam prophetam, Aperiam in parabolis os meum:" neque etiam si Chrysostomus et Augustinus (quanquam nec commentariorum in Marcum Chrysostomum neque Quæstionum in Vetus et Novum Testamentum authorem esse Augustinum doctinorunt) aliter objectam difficultatem solvere conati, codices mendosos esse causati non sunt: sequitur ab aliis aliter respon-

deri non potuisse. Hieronymus quidem in libro de optimo genere interpretandi quæstionem tantum proponit: "Quomodo Marcus statim in principio voluminis sui posuit: 'sicut scriptum est in Esaia propheta; Ecce ego mitto angelum meum:' quod non scribitur in Esaia, sed in Malachia novissimo duodecim prophetarum." Verum libro primo Commentariorum in Matthæum ita ipse solvit: "Nos nomen Esaiæ putamus additum scriptorum vitio, quod et in aliis locis probare possumus, aut certe de diversis testimoniis Scriptura rum unum corpus effectum." Epiphanius initium Marci sic recitat: Ἀρχὴ[d] τοῦ εὐαγγελίου ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ: non Esaiæ prophetæ nomini subjungens testimonium ex Malachia petitum (quemadmodum fit in editione vulgata Latina) sed alterum quod versu trigesimo sequitur revera ex Esaia petitum. Cum autem in omnibus qui extant codicibus, primo loco positum videamus Malachiæ testimonium, atque ei deinde adjunctum aliud ex Esaiæ prophetia desumptum, recte pronuntiat Theodorus Peltanus Jesuita, "emendatiores[e] esse codices Græcos, qui legunt, Sicut scriptum est in Prophetis: quam alios, in quibus legitur, Sicut scriptum est in Esaia Propheta quod etiam ante ipsum inter Pontificios senserunt Hofmeisterus et Cajetanus.

4. Marc. cap. 7. ver. 3. ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας. Author editionis Vulgatæ Latinæ, vertit, "Nisi crebro laverint manus. Ubi Erasmus existimat legisse eum in Græco πυκνῇ, quod sonat frequenter aut crebro: ejusque conjecturam Beza et alii commendant, atque eam translationem Anglicana Biblia retinent. At nunc legitur, πυγμῇ, quod brachii longitudinem usque ad lacerti juncturam significat. Quis vero non putet Evangelistam sic dicturum; Pharisæi crebro lavant, quia alias non edunt: potius quam ita, Nisi ad cubitum usque laverint, non edunt." Hæc Anglo-Rhemenses[f]. Respondetur: Theophylactus quidem in Marc. cap. 7. et Euthymius in Matt. cap. 15. (vel

[d] Epiph. κατὰ ἀνοήτων, pag. 186. libro secundo hæres. 51.

[e] Peltan. not. in Victoria Antiocheni commentar. in Marc. cap. 1.

[f] Præfat. in Nov. Testam. sect. 45.

ut apud eum capita distinguuntur, 27), *πυγμῇ* lavari exponunt, *ἄχρι τοῦ ἀγκῶνος νίπτεσθαι*, ad cubitum usque lavari, *πυγμὴ γὰρ λέγεται τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος ἄχρι καὶ τῶν ἄκρων δακτύλων*: inquit Theophylactus. Tantum vero abest ut Græca lectione retenta, ista sententia necessario sit amplectenda: Græci contextus rationem, eam prorsus non admittere contendant Erasmus et Beza, quandoquidem neque *πυγμὴ* ipsum *ἀγκώνα* sive lacerti juncturam declarat: et ut maxime declararet, non *πυγμὴ* dicendum fuisset, sed *πυγμῆθεν* potius, id est, a cubito sive cubito tenus. Sed nec illud *πυκνῇ* probat Beza, quod prorsus inusitatum est (pro quo *πυκνὰ* vel *πυκνῶς* authoribus est in usu): neque omnino aliud legisse videtur Latinus interpres, quam quod hodie in libris Græcis legimus. Arabicæ duæ diversæ paraphrases (ut notat Scaliger[g]) omittunt: tertia ab illis diversa exponit 'sæpissime' ex interpretibus Græcorum, qui *πυγμῇ* pro eo quod Homero *πύκα*, id est, frequenter, accipiunt. Inde infimæ vetustatis Christiani scriptores *πύξ* et *πυγμῇ* pro eodem usurpant, id est 'sæpissime:' *πὺξ* vero adverbialiter sumptum, idem interdum significare, quod diligenter et assidue, ex hoc incerti authoris (quem Procopium putat) apud Suidam[h] loco, ostendit vir doctissimus Isaacus Casaubonus[i]: *οἱ δὲ φράγγοι ἵνα ἐσκηνημένοι ἐτύγχανον, πύξ τε καὶ ἐπὶ πολὺ βόθρους ὀρύξαντες, ταύτῃ ἀσφαλέστατα ἔμενον.* Inde cognatum vocabulum *πυγμῇ* tertio casu adverbiascere (ut *κύκλῳ*, *παῤῥησία*, aliaque id genus) et non aliud significare quam *ἐπὶ πολὺ*, id est, sedulo et accurate, existimat Casaubonus. Quam expositionem confirmat Syrus Marci interpres, qui *πυγμῇ* hic reddidit ܒܝܨܝܦܐܝܬ id est, diligenter et accurate: quemadmodum Luc. cap. 1. ver. 39. *μετὰ σπουδῆς* vertit ܒܝܨܝܦܐܝܬ studiose et sedulo. Neque aliter vocem *πυγμῇ* accepit Epiphanius de Scribis inquiens: *πυγμῇ*[k] *μὲν τᾶς χεῖρας νιπτόμενοι, πυγμῇ δὲ καὶ καθαρισμοὺς τινὰς δι' ὑδάτων καὶ λουτρῶν ἀποσμηχόμενοι*; quod Cornarius vertit: "Crebro manus lavantes, crebro item purificationes

[g] Scalig. Elench. Trihæret. Serarii, cap. 7.

[h] Suid. voc. *πύξ*.

[i] Casaub. not. in Marc. 7. 3.

[k] Epiphan. lib. 1. hæres. 15.

quasdam per aquas et lavacra, detergentes." Ita Nicolao Serario Jesuitæ[1], πυγμῇ aliquid agere, est hoc ipsum iterato, sæpe ac enixe agere: "ducta (ut ille ait) metaphora a pugilum pugna, quæ πυγμὴ dicitur. In hac enim sæpe, ac magno cum conatu, et magna cum diligentia pugni jactantur." Neque multum ab hac sententia discedit ipse Beza, qui hic significatum putat "summo studio affectatas fuisse istas ablutiones a Judæis; ut facere solent qui manum manui affricant, et pugnum (quod πυγμὴ proprie notat) inserunt alterius palmæ." Ut hoc vocabulo notare voluerit Evangelista, Pharisæos non tam solitos crebro lavare, antequam cibum caperent (quod non videatur verisimile), quam diligenter lavare; et, pugno in cavum manus alterius immisso, magno se conatu defricare, ne quid sordium forte adhæresceret. Josephus Scaliger in Elencho Trihæresii Nicolai Serarii, capite septimo, agnoscit quidem hoc factum: et voce πυγμῇ diligentem et accuratam lotionem significari. Ipse tamen notari putat ritum, qui Judæis נטילת ידים dicitur, hoc est χειραρσία, sive elevatio manuum in pugni figuram compositarum, eum vero ritum his verbis exponit: quæ quia ad loci hujus intellectum multum faciunt, transcribere placuit: "Judæus lotioni manuum operans quinque digitorum ἄκρα inter se jungit: et quum extremitates digitorum sic inter se commiscuit, inde fit, ut manus in pugni speciem collecta sit, non tamen ut nexum pugnum, qui Græcis πυγμὴ καὶ γρόνθος dicitur, faciat, sed πυγμὴ vocatur, quia aliud nomen reperiri non potuit. Πυγμὴ enim proprie est manus compressio digitis quatuor in volam inclusis, solo pollice in indicem incumbente. Hoc vero manus schema colligitur pollicis ungue cum quatuor digitorum summitatibus conjuncto. Cum igitur manus sic configuratæ fuerint, attolluntur ita ut aqua, quæ inter lavandum manibus hæserit, una cum sordibus per exteriores partes manuum ad cubitum usque defluant, et mox manibus eodem schemate manente terram versus pronis demissis, ab cubitis in terram decidant. Itaque in lotione manuum tria fiunt: lavantur manus ita ut omnes sordes eluantur. Componuntur

[1] In Trihæresio, lib. 2. cap. 3.

deinde in pugnum, postremo elevantur et demittuntur. Inde vides quare elevatio manuum vocata sit accurata illa χειρόλουσιά, quæ ab antiquis usque temporibus hactenus utuntur Judæi. Sordes autem, et si quæ in manibus adhuc cum aqua adhæserint, vocantur חוצצי טבילה τὰ λεπτὰ τῆς λουσεως." Hæc Scaliger. Quibus addi possunt, quæ ex Centum benedictionum libro in notis ad caput octavum Deuteronomii transtulit Sebastianus Munsterus. Hujus enim accuratæ lotionis et elevationis manuum manifesta habent vestigia. Tradunt igitur prius quam edendum sit, manus esse abluendas et tergendas: alioquin panem, qui comeditur, immundum judicari. Tum modum lavandarum manuum sic definiunt. "Standum est, cum lavas manus; et non innitendum parieti, aut aliquo sustentaculo. Eligenda aqua pura, non salsa aut corrupta, quam canis dedignatur bibere. Fundenda est aqua tribus vicibus supra manus: in prima fusione sunt digiti sursum levandi, in posterioribus vero demittendi. Sunt manus simul levandæ, non una post alteram. Nec satis erit, si manus absque aqua cum mappa bene terseris, aut si illotis manibus ad mensam accesseris et cochleari usus, nuda manu cibum non contigeris. Qui vero e cloaca ad mensam accedere voluerit, is tenetur bis lavare manus suas. Deinde opus est in lotura manuum, ut manus sinistra tanquam famula subserviat dextræ. Tum lotæ manus sursum sunt levandæ, ad benedicendum Deum, etc." Hujusmodi sunt Judæorum δευτερώσεις, a Spiritu Sancto hoc in loco notatæ.

5. Marc. cap. 15. ver. 25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum: cum vero Johan. cap. 19. ver. 4. legamus, fuisse horam quasi sextam, cum Pilatus in Christum sententiam jam proxime laturus esset: credit Cajetanus, "in capite decimo quinto Marci, errore scriptorum mutatam sextam in tertiam propter characterum similitudinem designantium ternarium et senarium." Et Johannes Mariana[1], proposita Cajetani sententia, "quod locus aliquis in divinis libris in omnibus codicibus et linguis vitiatus esse possit," ad ejus confirmatio-

[1] Pro edit. vulgata, cap. 23.

nem hoc addit: "Quidam Marc. cap. 15. ver. 25. cum Johan. cap. 19. ver. 4. conciliant: Marci locum in omnibus codicibus et linguis propter similitudinem notarum Græce ternarii et senarii corruptum esse putantes viri antiquitate et auctoritate præcipua: in quo numero Hieronymus erat in Psalmi 77. initio, et S. Thomas[m]: quibus addi poterit et Nonnus Pöeta, qui in ipso carmine (ubi error non admittitur; propter syllabarum quantitatem) locum Johannis sic expressit:

Ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατήφορος ὥρη
Καὶ Πιλάτος ταχυεργὸς ἐπ' εὐλάϊγγι θοώκῳ
Ἑβραίοις ἐβόησεν, ἴδε σχεδὸν ἵσταται ἀνήρ.

Erat autem extensa tertia mortifera hora.
Et Pilatus celeriter agens, in confecta ex bonis lapidibus sede
Hebræis magna voce dixit: Ecce prope stat homo[n]."

"Hujus loci Johannis difficultas (ait Laurentius Ramirez de Prado) ita torsit aliquos nostri et præteriti ævi interpretes, ut eos coegerit profiteri depravatam litteram incuria librariorum; et ausi sint sacrosanctam Bibliorum fidem communibus violare manibus, asserentes scribarum peccatum inde fluxisse, quia Græci litteris Alphabeti scribebant numeros, et ternarium sic notabant, γ, senarium sic, ϛ, figuris satis apud eos propinquis. Itaque cum planius vellent scribere explosis notis horam tertiam pro sexta per errorem litteris scripserunt. Ego vero qui neminem debere affirmo, ut sensum eliciat, verba corrumpere

(Nobis non licet esse tam disertis
Qui Musas colimus severiores.)

textus nostri veram scripturam esse contendo." Hæc ille in Pentecontarchi sui capite trigesimo octavo, ubi recte reprehendit illam Cæsaris Baronii assertionem: "Evangelistas[o]

[m] Thom. 3. P. 9. art. 9. ad. 2.

[n] Vid. Casaub. exercit. pag. 668. 670. et ibi Baron. Petr. Alexandrin. in Chronic. Sallianum; Maldonat. in Matt. 27. 47. Luc. Brugens. in Marc. 15. 25.; Joh. Buison. Harmon. Evangelic. Torniell. an. Mund. 4084. sect. 14. etc. Augustin. de consens. Evangelist. lib. 3. cap. 13. op. tom. 3. par. 2. pag. 122.

[o] Baron. Annal. tom. 1. an. Christ. 34.

in conscribendis horis horologium non habuisse præ manibus, ut per sua puncta singulas horas distribuere potuissent; sed de horis scripsisse, quod tunc opinati essent." Sic ne opinari potuit qui præeunte Spiritu Sancto verba profert? absit, absit, inquit Ramirez * * * * *
* * * * * * * * * * *

6. Luc. cap. 2. ver. 14. de illa Hymni angelici clausula, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, ita in commentariis suis scribit Johannes Maldonatus. "Omnes nunc Græci codices habent εὐδοκία, bona voluntas, atque ita omnes non antiquissimi Græcorum interpretes legunt, Andræas Ierosolymitanus, Nicephorus, Theophylactus, Euthymius, et his antiquior Gregorius Nazianzenus[o]. Sed non dubito multis fretus auctoribus affirmare, Græcos nunc codices hoc loco esse corruptos, legendumque esse εὐδοκίας bonæ voluntatis, ut noster legit interpres, cujus magna profecto auctoritas esse debet: et omnes fere antiquissimi auctores Latini simul, et Græci, Origines[p], Cyprianus[q], Cyrillus[r], Ambrosius[s], Augustinus[t], Cæsarius[u], Leo[x], Gregorius[y], Beda[z] et Bernardus[a]. Ratioque ipsa docet, ita esse legendum. Nam quis quæso sensus est; 'in hominibus bona voluntas.' Exponunt quidam, Et in terra pax hominibus, quæ est bona Dei erga illos voluntas, ut sit appositio: sed hoc quam violentum est? Præterquam quod non sunt hæc duo membra sed unum; quare nomen pacis necessario cum hominibus jungi debet. Itaque non potest alterum substantivum, nisi in secundo casu cum iisdem recte conjungi." Hæc Maldonatus. Similiter etiam Andradius[b], "Græca (inquit) omnia exemplaria summa consensione habent: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax,

[o] Orat. 2. de Pascha.
[p] Homilia in Lucam, cap. 13.
[q] In libro de nativitate Domini.
[r] Cateches. 12. sect. 32.
[s] Ambros. serm. 3. de nat. Dom. op. tom. 2. app. pag. 396.
[t] Aug. lib. 2. de Sermone Domini in Monte, cap. 10. et alibi.
[u] Cæsar. homil. 12.
[x] Leo, serm. 6. de Nativit.
[y] Gregor. lib. 28. Moral. cap. 7. et tom. 8. in Evangelia.
[z] Bed. in commentar. Luc. 2.
[a] Bernard. serm. 4. in vigilia natalis Domini, et serm. 2. de septiformi spiritu in Christo, et serm. 1. de S. Andræa, et serm. 13. de laude et gloria semper attribuenda.
[b] Lib. 4. Defensionis Fidei Tridentinæ.

hominibus bona voluntas; verum cum Origenes[c], Chrysostomusque[d] non semel cum vulgato interprete εὐδοκίας, id est, bonæ voluntatis, legant; quis eos existimabit a veteribus exemplaribus temere defecisse? cum præsertim Latina hæc verba sententiam contineant non apertam modo atque perspicuam, sed cum aliis Scripturæ locis mirabiliter consentientem? Nam cum Hebræi soleant genitivis appellativorum pro adjectivis uti; et filii promissionis, atque vasa iræ vel misericordiæ ii dicantur ab ipsis, quibus promissiones destinantur, aut in quos iram vel misericordiam decrevit Deus exercere, homines certe bonæ voluntatis dicuntur, quos tanta Deus fuit benevolentia prosecutus, ut eorum causa mortalium sese miseriis socium adjunxerit. Quocirca Deo Optimo Maximo admirabiles illi atque angelici spiritus gloriam immortalem concinunt, hominibus vero, quos singulari quadam benevolentia sempiternum numen complexum est, pacem, hoc est, bonorum omnium affluentiam, Hebræorum dicendi more, annuntiant." Hæc Andradius: quæ plenius referre placuit, quod recte et orthodoxe (quod etiam Maldonatus facit) loci sententiam explicavit. Multo profecto rectius quam Anglo-Rhemenses nostri: qui non solum in præfatione quam Novo Testamento a se verso præfixerunt, cum istis objiciunt, "Origenem[e] et Chrysostomum legisse; 'Hominibus bonæ voluntatis:' eamque lectionem Bezæ magis probari addunt, quam quæ in Græco, qui hodie extat, textu extat:" sed etiam in annotationibus ad hunc locum, quod Maldonatus et Andradius ad Dei benevolentiam vere retulerunt, id illi ad liberum hominis astruendum arbitrium violenter trahunt. "Similiter observa (inquit[f] Christophorus[g] de Sacro Bosco) Origenem et Chrysostomum Lucæ capite secundo legisse 'pax hominibus bonæ voluntatis:' quamvis Græca hodie habent, 'in terra pax, in hominibus εὐδοκία:' item hos authores intelligere textum, non de beneplacito divino sive de favore Dei erga homines, sed de ipsorum hominum bona

[c] Origen. in Luc. homil. 13.
[d] Chrysost. in Matt. hom. 36. item. serm. de nat. et de ascensione Domini.
[e] Præf. in Nov. Test. sect. 41.
[f] In secunda parte Defens. Decret. Tridentini, cap. 9.
[g] Sacrob. pag. 186. 187.

dispositione. Sic enim homilia de nativitate Domini Chrysostomus: 'In terra pax: in quibus pax? in hominibus, et quare Gentiles pacem non habent? quare Judæi pacem non habent? ideo adjecit pax in hominibus bonæ voluntatis, hoc est qui suscipiunt natum Christum.' Sic vero Origines in Lucam homilia decimatertia: 'Pax quam non dat Deus super terram, non est pax bonæ voluntatis.' Et paulo post[h]: 'neque ait simpliciter, non veni pacem mittere, sed cum additamento, super terram: neque e contrario dixit, Non veni pacem mittere super terram hominibus bonæ voluntatis.' Atque hæc sine dubio valde commendant Latinam nostram translationem." Hactenus Christophorus de Sacrobosco: et Johannes Mariana monet in codice Petri Fagiardi Velesii Marchionis "prorsus[i] ut in editione vulgata lectionem diversam adnotatam esse: *καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἀνθρώποις εὐδοκίας*: ne putes Ecclesiam temere nostram lectionem prætulisse, eaque uti in precibus Ecclesiasticis."

Respondetur: Non est verum quod scribunt Maldonatus et Andradius, omnes nunc Græcos codices summa consensione habere; "hominibus bona voluntas." Nam præter exemplaria quæ secutus est Velesius Marchio (de quo Mariana) etiam Theodori Bezæ vetustissimus codex, qui in publica Cantabrigiensis Academiæ Bibliotheca asservatur, et codex Lugdunensis (si modo is alius est) antiquitatis venerandæ ab Alphonso Salmerone[k] citatus, *εὐδοκίας* legit, hoc est, Benevolentiæ, sive ut vetus interpres Latinus reddidit, Bonæ voluntatis: quam lectionem secuti sunt Patres plurimi, Latini præsertim a Johanne Maldonato citati: quibus addere etiam liceat Irenæum[l], Hilarium[m], Origenem vel quicunque author fuit Tractatus primi in Matthæum: Pseudo-Pontianum in tertia epistola, Hieronymum[n], et

[h] Imo statim post; neque enim locum inspexisse videtur Christophorus.

[i] Mar. pro edit. vulg. cap. 17.

[k] Salmer. tom. 3. commentar. in Evangel. tractat. 35.

[l] Iren. adv. hær. lib. 3. cap. 10. op. pag. 186.

[m] Hilar. De Trin. lib. 2. op. pag. 802.

[n] Hieron. Comm. in Esai. lib. 1. cap. 2. op. tom. 3. pag. 23. et lib. 3. cap. 6. pag. 60, et comm. in Ezech. lib. 4. pag. 785. et comm. in Hab. lib. 2. cap. 3. pag. 1622.; Comm. in Matt. lib. 4. cap. 28. tom. 4. par. 1. pag. 142.; Epist. 53.

Severianum apud Chrysostomum, in sermone de pace, et authorem operis imperfecti in Matthæum, homilia secunda. Beza quoque licet in contextu interpretatus sit, in hominibus benevolentia: "non recusem tamen legere εὐδοκίας," inquit idem in annotationibus. Neque sane causa est cur quis lectionem illam recuset: neque periculum est ut vel a Græcorum qui hodie extant codicum consensione, vel a sententia orthodoxa recedamus, si illud εὐδοκίας referamus ad homines: modo intelligamus (quod in annotationibus probe monet Erasmus) homines sic dici bonæ voluntatis, quemadmodum dicuntur filii gratiæ, filii charitatis, filii electionis, et filii iræ, quos Deus sua gratia, suaque charitate dignatur, aut quos elegit, aut in quos exercet iram suam; ita dicantur homines bonæ voluntatis, erga quos Deus gerit bonam voluntatem: qui non secundum justitias nostras sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit. Ut illud bonæ voluntatis additum fuerit (quemadmodum idem observat eodem loco) "ne putaremus eam pacem cunctis hominibus promiscue dandam: sed electis tantum, quos Deus libera voluntate sua dignatus est." Quomodo Veterum nonnulli acceperint, et quid de Sacroboscani ea in re observatione sentiendum, malo ut a viro[o] egregie docto, et sibi olim in Gallia noto Johanne Maldonato, quam a me discat. Sic enim in commentariis suis de Veterum sententia scribit Maldonatus: "Quo sensu dicantur homines bonæ voluntatis, in eo mihi videor a multis eorum, non sine ratione dissentire. Putant enim illi, bonæ voluntatis homines appellari, qui bonam habent voluntatem, et ad recipiendam divinam misericordiam, et pacem illam, quæ annuntiabatur, propensam: quales illi ipsi pastores erant, quibuscum angeli loquebantur. Et quidem ita ut Ambrosius significari his dicat verbis pacem non debiti esse, sed meriti; quasi pax non quibusvis hominibus, sed bona eam voluntate merentibus promittatur. Quod a summo licet profectum auctore, imitari lectorem nolim." Hæc ille, de

pag. 580.; Epist. ad Algasiam, pag. 206.; Epist. 53. tom. 4. par. 2. pag. 580. Epist. 86. Epitaph. Paulæ, pag. 675.; Lib. adv. Helvidium, pag. 134.

[o] Sacrobosc. part. 4. defens. decret. Tridentin. cap. 7. pag. 362.

sententia veterum: suam vero quæ sana et orthodoxa est, ita aperit. "Ευδοκίαν esse ait proprie, quæ ab Hebræis vocatur רצון: nisi quod רצון in scriptura sacra et de Deo, et de hominibus; εὐδοκία vero, quantum equidem observare potui (inquit), fere de solo Deo dici solet: significat enim bonam Dei erga homines voluntatem, et, quam vulgo vocamus gratiam: quod vetus interpres solet reddere beneplacitum, sicut verbum εὐδοκεῖν, bene placere[o]." Itaque sensum esse affirmat: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, id est, iis, quos Deus amavit, qui Deo placuerunt, quos bona Deus prosecutus est voluntate, quibus verbis prædestinatos designari addit, atque ita demum concludit: "Potius ergo significatur, non hominum merito sed sola Dei misericordia atque liberalitate, et ut ipsius prædestinationis verbo utar, τῇ εὐδοκίᾳ, beneplacito, ut noster vertit interpres, hanc inter Deum et homines reconciliatam esse pacem. Hoc enim est, quod quasi hunc locum explicans scribit D. Paulus[p], in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus." Cum Maldonato et Andradio consentit Johannes Gagneius; monens hic, "Græcum verbum εὐδοκία, apud veteres Græcos theologos usurpari pro antegressa Dei in nos bona voluntate, ac propenso favore: ideoque hoc in loco, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, exponendum esse, in hominibus quos propenso favore suo dignatus fuerit Dominus." Nos observare vult Sacroboscanus, Origenem et Chrysostomum non solum in genitivo legere bonæ voluntatis, sed etiam "textum intelligere, non de beneplacito divino sive de favore Dei erga homines, sed de ipsorum hominum bona dispositione:" apparet ab ipso recte non fuisse observatum. Illam enim quam citat de Nativitate Domini homiliam[q], non Chrysostomi esse, sed incerti alicujus monachi, qui se in Occidente vixisse indicat, in quarto Bibliothecæ sanctæ libro animadvertit Sixtus Senensis. Et in altero testimonio, quod ex Origene[r] citat nihil habetur, ex quo possit quis colligere, non de beneplacito divino sive de

[o] Ephes. cap. 1. ver. 9.
[p] Ephes. cap. I. ver. 7.
[q] In Luc. cap. 2.
[r] In Luc. homil. 13.

favore Dei erga homines, sed de ipsorum hominum bona dispositione, authorem textum intellexisse: Immo vero ex primis illis verbis, quæ ab ipso Christophoro producuntur: "Pax quam non dat Dominus super terram, non est pax bonæ voluntatis:" bonam voluntatem referri ab eo non ad homines, sed ad pacem, perspicuum esse affirmat Erasmus Roterodamus, qui et ipse quoque existimat, genitivum referendum non ad homines, sed ad pacem: quomodo et Cornelius Jansenius sensum loci reddidit: "Et[s] in terra sit hominibus pax bonæ voluntatis Dei, hoc est, pax et reconciliatio proveniens non ex hominum meritis, sed ex gratuita et propensa Dei erga nos benignitate." Et ne dicas cum Stapletono[t] Jansenium hic infeliciter sequutum esse Erasmum: ipse Bellarminus affirmat "illud[u] 'bonæ voluntatis' melius conjungi cum pace, ut hic sit sensus: In terra pax hominibus, Pax, inquam, bonæ voluntatis Dei erga homines. Nam *εὐδοκία* (inquit) ut plurimum, non est bona voluntas hominis, sed bona voluntas Dei erga homines." Et Emanuel Sa Jesuita[v], bonæ voluntatis, interpretatur, ex bona Dei voluntate, seu beneplacito, nam Græce (inquit) est *εὐδοκία*. Ita videmus quocunque modo ista legantur verba, vel ipsis adversariis judicibus rectius hinc colligi liberam Dei gratiam, quam liberum hominis arbitrium.

Jam quod attinet ad alteram lectionem, quæ in Græcis codicibus vulgatis habetur: eam confirmant cum alii authores Græci fere omnes, tum Origenes quoque et Chrysostomus, quos pro Latinæ editionis lectione notarunt adversarii. Ait Stapletonus[w] Origenem, libro primo contra Celsum, *εὐδοκίας* in genitivo legere, sicut Latinus textus habet, quod falsum est: legit enim in nominativo *εὐδοκία*, sicut Græci codices habent, quod advertere debebat Genebrardus, vel quisquis notulam illam ad Origenem[x] editum Parisiis apposuit. "Legit vero Origenes cum Latinis 'bonæ voluntatis;' non ut Græculi 'bona voluntas.'" In Ariani vel Trapezuntii potius Latina translatione commentariorum Chrysostomi in

[s] Jansen. commentar. in Concord. Evangelic. cap. 8.
[t] Stapleton. Antidot. in Luc. cap. 2.
[u] Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11.
[v] In Notationib. ad Luc. cap. 2. ver. 14.
[w] Staplet. loco citato.
[x] Orig. homil. 13. in Lucam.

Matthæum tribus locis habetur pax hominibus bonæ voluntatis, sed in Græco Chrysostomo, homilia vicesima sexta in Matthæum, capite octavo, et homilia sexagesima nona, capite vicesimo primo (indeque homilia vicesima sexta ad populum Antiochenum, de monachorum vita, quæ hinc tota est decerpta) diserte legitur, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, in hominibus bona voluntas. Homilia vero trigesima sexta in Matthæum, capite decimo, ab Andradio citata, illud "hominibus bonæ voluntatis," omnino non habetur, sed tantum, Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Quod ad sermonem de Ascensione Domini attinet, ab eodem Andradio citatum, legit quidem Latinus interpres, "in terra pax hominibus bonæ voluntatis:" sed contra authoris mentem legisse manifestum est, tum ex epithetis quæ ipse adjungit, "hominibus qui rebellati sunt, qui inimici fuerunt, qui alienati erant, qui contumaces judicati sunt:" quæ argumenta sane sunt non bonæ, sed pessimæ voluntatis: tum ex Græco Chrysostomi contextu, in quo expresse habetur, ἐν[x] ἀνθρώποις εὐδοκία, τοῖς ἐκπεπολεμωμένοις, τοῖς ἀγνώμοσιν. Idem vero Chrysostomus in epistolam ad Colossenses, homilia tertia, diserte εὐδοκία legit, et non de hominum bona dispositione, sed de reconciliatione cum Deo interpretatur. "Διὰ τοῦτο εὐχαριστοῦντες λέγομεν, Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. ἰδου, φησι, καὶ ἄνθρωποι ἐφάνησαν εὐαρεστοῦντες λοιπόν. τί ἐστι εὐδοκία; καταλλαγή. Propterea gratias agentes dicimus; Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas. Ecce inquit, apparuerunt etiam homines de cætero beneplacentes. Quid est εὐδοκία, bona voluntas, vel, beneplacitum? Reconciliatio." Atque hinc intelligimus quid de eo dicendum sit quod ait Johannes Mariana: "Ecclesiam non temere alteram lectionem prætulisse, eaque uti in precibus Ecclesiasticis." Etsi enim Romana Ecclesia, vulgatæ editionis Latinæ lectionem secuta[y] in sua liturgia usurpare soleat; "Hominibus bonæ voluntatis:" Græcam tamen Ecclesiam communem Græcorum codicum lectionem prætulisse, eaque

[x] Chrysos. tom. 5. edit. Savilianæ, pag. 599. 43.

[y] Ut in Concil. Toletan. IV. cap. 12. videre est.

in precibus Ecclesiasticis usam esse illa Chrysostomi verba ostendunt. Διὰ τοῦτο εὐχαριστοῦντες λέγομεν, Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. quomodo etiam in Græca Liturgia, quæ Jacobo Apostolo[z] tribuitur, et constitutionibus Apostolicis quæ a Clemente dicuntur editæ[a], hymnus iste totidem plane verbis repetitus habetur. Sequuntur hanc lectionem Epiphanius, Andradius Hierosolymitanus, et Eusebius[b], quos Alphonsus Salmeron[c], mira vel negligentia vel impudentia, alteram lectionem secutos affirmat. At Franciscus Feuardentius[d] non solum legisse eos, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, in hominibus bona voluntas, sed etiam recte legisse notat: et legisse certe dubitabit nemo qui ipsos authores consulet, Eusebium loco notato, Epiphanium[e] et Andream Hierosolymitanum sermone in salutationem Angelicam, ubi et εὐδοκίαν interpretatur, "ἣν αὐτὸς εὐδόκησεν ὁ πατὴρ, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν ἀγαπητὸν ἀποστείλας πρὸς τοὺς κατακρίτους ἡμᾶς, ἵνα τὴν εὐδοκηθεῖσαν ἐν αὐτῷ παρὰ τοῦ πατρὸς σωτηριάν, ὡς ὁμοθελὴς τοῦ πατρὸς εἰς ἡμᾶς ἐκπληρώσῃ, qua ipsimet beneplacuit patri, filium suum dilectum ad condemnatos nos mittere, ut probatam et acceptam patri per ipsum salutem, quasi consentiens patri, in nobis expleret." Eandem quoque lectionem sequuntur ab ipso Salmerone citati Græci authores, Gregorius Nazianzenus oratione in Pascha secunda, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Leontius et ex recentioribus autoribus plerique. Eandem sequuntur Paulus Emisenus in homilia priore de incarnatione Christi[f], Nazianzeni scholiastes Nicetas, et Nicephorus Calistus[g], necnon Gregorius Nysenus[h], si eum suis verbis loquentem audiamus, ὅτι ἴδον οἱ ἄγγελοι ἐπὶ γῆς τὴν εἰρήνην τὴν ὑπὲρ

[z] Jacob. Liturg. pag. 17. edit. Græc. Paris.

[a] Constit. Clem. fol. 125. b. et 145. a. edit. Græc. Venet. lib. 8. cap. 13. et lib. 7. cap. 48. (al. 47).

[b] Lib. 4. demonstrat. Evangelicæ, cap. 10.

[c] Salmer. commentar. in Evang. tom. 3. tract. 35.

[d] Feuard. annotat. in Irenæ. advs. hæres. lib. 3. cap. 11.

[e] Hæres. 30. contra Ebionæos, pag. 72. edit. Græcæ.

[f] Tom. 4. operum Cyrilli Alexandrini, edit. Basil. col. 102.

[g] Lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 12.

[h] Tractatu 2. in Psalmorum inscript. cap. 14.

τῆς ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας τῷ βίῳ ἡμῶν ἐπιφανεῖσαν, quæ Jesuita Gretserus, non fidus interpres, ita Latine reddidit: "Quando Angeli viderunt pacem, quæ vitæ nostræ in hominibus bonæ voluntatis illuxit." Neque aliam secutus est Titus[i] Bostrorum episcopus (ut vulgo habetur) in secundi capitis[k] Lucæ enarratione, ubi Christum "factum esse nobis pacem, bonamque voluntatem" scripsit. Eodemque modo in epistola ad Rutgerum Rescium anno 1536. scripta reperisse se ait[l] Nicolaus Clenardus in Arabicorum Evangeliorem codice ante annos sexcentos, translato, quomodo et in Romana editione legitur: المجد لله في الاعالي وعلي الارض السلم وفي الناس المسرة Gloria Deo in excelsis, et in terra pax, et in hominibus hilaritas," et in Syra interpretatione vetustissima: ܫܘܒܚܐ ܠܐܠܗܐ ܒܡܪ̈ܘܡܐ ܘܥܠ ܐܪܥܐ ܫܠܡܐ ܘܣܒܪܐ ܛܒܐ ܠܒܢܝ̈ܢܫܐ. Gloria Deo in excelsis, et super terram pax, et voluntas bona erga filios hominis." Ubi observa, in utraque translatione et Syriaca et Arabica, ad extremum membrum copulam esse additam, quæ in Græco textu non cernitur, atque ita tria gratulationis hujus membra clare distingui, quæ etiam distincte explicata sunt tum a Græcis Andræa Hierosolymitano, Theophylacto et Euthymio, tum a Fabro Stapulensi, Cajetano et aliis recentioribus: a quibus Maldonatus poterat discere, quem sensum præ se ferrent illa verba, in hominibus bona voluntas. "Cum autem apud Græcos non intercedat conjunctio 'et' inter duas has partes, 'in terra pax, in hominibus bona voluntas vel beneplacitum,' sicut intercedit inter illas 'Gloria in altissimis Deo, et in terra pax:' apparet convenientissime duos illos nominativos, 'pax et bona voluntas' conjungi per appositionem, ut sit iste sensus: in terra pax, hoc est, bona voluntas Dei erga homines. Nihil enim aliud est pax Dei

[i] Tit. Bostr. tomo 1. Biblioth. Patr. col. 1100.

[k] In Epiphanii oratione de laudibus S. Mariæ, ut in 6. tomo Surii impress. Colon. an. 1575. pag. 814. edita est, legitur: In terra pax, in hominibus bona voluntas, verum in 2. tomo Bibliothecæ patrum, impress. Paris. an. 1589. Col. 39. ita immutatam invenimus lectionem: In terra pax, hominibus bonæ voluntatis.

[l] Clenard. lib. 1. epistol. ult.

cum hominibus quam beneplacitum illius erga eos quibus prius offensus erat." Hæc Cornelii Jansenii[m] est sententia: qui convenientissimam esse censuit appositionem illam, quæ Maldonato tam violenta visa est. Sed et Salmeron quoque verbum εὐδοκία in nominativo non incommode per appositionem legi potuisse judicavit, ut esset sensus: "In terra pax hominibus; quæ quidem pax nihil est aliud, quam beneplacitum Dei in Christo, per quem salvare nos voluit." Et ante utrumque Erasmus: "Nominativus hic εὐδοκία per appositionem refertur ad pax; perinde quasi percontanti, unde ista pax quam nunciatis, respondeant Angeli: non est ex meritis vestris, sed hæc pax est pius affectus Dei erga homines." Sic enim ordinandus est sermo: In terris pax, quæ est bona voluntas Dei in hominibus, id est, erga homines. Adjungam et Theodori Bezæ sententiam, quandoquidem ejus hic authoritatem urgent adversus Græcam lectionem Anglo-Rhemenses. "Quod si," inquit ille, "tria membra constituamus (ne quis miretur copulam in secundo membro expressam, quum potius vel totam orationem esse ἀσύνδετον, vel tertio demum membro copulam exprimi, ex omnium linguarum more oportuerit), erit tertium hoc membrum quasi ἐπιφώνημα, pronuntiatione adjuvandum; ut sic designetur omne illud suum beneficium ex illa immensa Dei φιλανθρωπία exoriri." Ita videmus utramque lectionem et commodam esse, et a magnis authoribus approbatam, ut non facile dixeris quæ cui sit præferenda: sententiam vero eodem redire (quocunque modo verba inter se construuantur) ut sciamus, pacem illam ab Angelis annuntiatam, non ex hominum meritis, sed ex mera Dei misericordia provenire.

7. Luc. cap. 20. ver. 28. Εάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ ἔχων γυναῖκα, καὶ οὗτος ἄτεκνος ἀποθάνῃ, Si alicujus frater mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis moriatur. Vetus interpres Latinus ita habet: "Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit," quasi ἄτεκος ᾖ, non ἀποθάνῃ legisset, quod rectius esse opinatur Beza: cujus testimonium, Latinæ editionis lectionem Græcis omnibus exemplaribus præferentis, objicit nobis

[m] Jansen. comment. in Concord. Evangelic. cap. 8.

Wilhelmus Reginaldus[n] et Reginaldum secutus Christophorus de Sacrobosco[o], et Sacroboscanum secutus Jacobus Gretserus[p]. Hoc vero cum propter alia dixisse Bezam ait Sacroboscanus, "tum maxime eo quod melius Græco fluat contextus Latinus."

Respondetur: non magis adversus nos valere potest Bezæ authoritas, ut verbi ἀποθάνῃ repetitionem in Græco textu redundare dicamus; quam adversus Pontificios Cardinalis Cajetani, ut cum ipso illud in Latino deesse dicant. Neque enim si alicui videatur Latinus contextus melius fluere quam Græcus; tanti id est momenti ut adversus omnium Græcorum codicum consensum valere debeat, cum eadem etiam lectio in Theophylacto et Euthymio inveniatur, neque aliter etiam Arabicus interpres legisse videatur, qui sic locum interpretatus est. "Si mortuus fuerit frater alicujus, et ei fuisset mulier, et non fuisset mortuo filius."

8. Joh. cap. 7. ver. 39. "Pro illis verbis, 'nondum erat Spiritus datus:' Græci codices habent, 'nondum erat Spiritus Sanctus.' At Chrysostomus vulgatæ editionis lectionem sequitur commentariis ad eum locum. Victorinus item contra Arianos, tum Leo magnus sermone tertio de Pentecoste." Ita objicit Johannes Mariana[q] * * *

* * * * * * * * * * *

* * * * * * * * * * *

9. Joh. cap. 10. ver. 29. Ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί. Pater meus qui dedit mihi, major omnibus est." Objiciunt Anglo-Rhemenses[r] S. Cyrillum[s] ita locum legere et exponere, quomodo habetur in editione vulgata Latina: "Pater meus quod mihi dedit majus omnibus est." Imo si Nicolao Zegero[t] credimus, "ita legunt vetusti interpretes omnes Græci pariter ac Latini, præter unum Chrysostomum; qui juxta modernos Græcorum codices legit;" pro sua vero lectione e Græcis unicum tantum citat (eundem scilicet quem Rhemenses) his verbis: "Nos-

[n] In Refutat. Reprehens. Whitakerianæ, cap. 13. pag. 393.

[o] Defens. parte 2. cap. 3. pag. 154. et parte 4. cap. 5. pag. 336.

[p] Defens. Bellarm. de Verbo Dei, lib. 2. col. 747.

[q] Pro edit. vulg. cap. 16.

[r] Præfat. in Nov. Testam. sect. 44.

[s] Lib. 7. in Johan. c. 10.

[t] Zeger. schol. in Johan. cap. 10.

tram lectionem D. Cyrillus Græcus (si Latinorum minor tibi est authoritas) interpretatur:" qui idem etiam a Richardo Bristoo[u] ita citatus est: "Quædam Græca exemplaria, etiam antiquis temporibus, eodem modo habebant quo nos habemus: nominatim vero exemplar quod S. Cyrillus qui Græcus fuit doctor, exponit."

Respondetur: concedimus quidem Latinos authores Latinæ editionis lectionem secutos esse: ut videre est apud Hilarium[x], Ambrosium[y], Hieronymum[z], et Augustinum[a]: apud Tertullianum quoque in libro adversus Praxean, in vulgatis codicibus legitur: "Pater quod mihi dedit, majus est omnibus," verum Vaticani tres codices manuscripti, a Pamelio in annotationibus ad eum locum citati, habebant: "Pater qui major est omnibus, dedit mihi." "Græci vero omnes codices, et impressi typis, et scripti manu, omnesque auctores Græci legunt: *ὁ πατήρ μου, ὅς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστι*:" inquit in commentariis ad caput decimum Johannis Johannes Maldonatus. Tantum abest ut cum Zegero dicendum existimarit, "omnes vetustos interpretes Græcos præter unum Chrysostomum, ita hunc locum legisse, quemadmodum in editione Vulgata Latina legitur." Vulgatam enim Græcorum lectionem interpretati sunt, non solum Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius: sed etiam Theodorus Mopsuestiensis, et Leontius, a Maldonato ex Græca Catena citati. Quibus accedit et Nonnus, in paraphrasi sua locum hunc ita reddens:

——— *γενέτης ἐμὸς ὅττι νομεύειν*
Ὅς μοι πῶεα δῶκεν, ὑπέρτερος ἔπλετο πάντων.

——— Pater meus quia ad pascendum
Qui mihi greges dedit, superior est omnibus.

Similiter legit et Basilius, libro primo ad Eunomium, et Athanasius (vel quicunque author fuit sermonum illorum contra hæreses, antiquus certe et pius) in primo[b] contra Macedonianos Dialogo. Neque aliquem ex Græcis docto-

[u] Bristo in Replic. ad Fulconem, cap. 6. par. 4.
[x] Lib. 7. de Trinitate.
[y] Lib. 3. de Spiritu sancto. ca. 18.
[z] Lib. 6. commentar. in Ezech. cap. 18.
[a] In Johann. tract. 48.
[b] Tom. 2. oper. Athanas. pag. 239. edit. Commelin.

ribus nominare possunt adversarii qui aliter legerit: nam quod Zegerus Bristous et Anglo-Rhemenses S. Cyrillum nobis objiciunt, doctorem et Græcum et antiquum: omnibus debent ludibrium. Fugit enim bonos illos viros, quatuor libros intermedios Cyrilli in Johannem commentariis interjectos (inter quos est septimus hic ab illis citatus) non esse S. Cyrilli veteris illius Alexandrini Episcopi, quod isti somniarunt; sed Jodoci Clichtovei scriptoris recentissimi. Ipsum vero Cyrillum legisse eo modo, quo Græci hodie habent codices, apparet ex Thesauri illius libro duodecimo: immo et in commentariis in Johannem ita et legisse et interpretatum esse, fragmenta inde decerpta, quæ ex Græca Catena retulit hic Maldonatus, fidem faciunt. Græcorum vero codicum et interpretum lectionem confirmat paraphrastes Syrus; ita locum reddens ܐܒܝ ܓܝܪ ܕܝܗܒ ܠܝ ܡܢ ܟܠ ܪܒ ܗܘ. Pater enim meus qui dedit mihi, omnibus major est. et Arabs: لان ابي الدي اعطاني هو اعظم من الكل quia pater meus qui dedit mihi, est major omnibus. Ipse quoque textus editionis Vulgatæ Latinæ, qui in Complutensibus et Regiis Bibliis est editus, et qui ab Emanuele Sa Jesuita in notationibus explicatur, ita legit: "Pater meus qui dedit mihi major omnibus est." Et omnino præferendam esse hanc lectionem, evincunt argumenta a loci circumstantiis et sensu petita, quæ hisce ipsis verbis a Johanne Maldonato proponuntur: "Primum Græcæ lectionis sensus et melior est, et facilior. Deinde manifestum est, Christum argumentari probareque neminem posse de manu sua oves suas rapere, quod quomodo faciat, Græca lectione perspicuum est, apparet enim argumentum: Pater qui dedit eas mihi oves, major, potentiorque omnibus est: Ergo nemo potest de manu ejus eripere: atqui ego, et Pater unum sumus; ergo nemo de manu mea potest rapere. Quo autem modo Latina lectione argumentetur, prorsus non apparet. Præterea si voluisset Christus dicere, quod sibi Pater dedisset majus omnibus esse, non dixisset, Pater meus, quod dedit mihi, sed quod dedit mihi Pater. Denique quorsum dicat, Pater qui dedit mihi, major omnibus est, nemo non videt: quorsum autem dixerit, Pater quod dedit mihi,

majus omnibus est, non facile quisquam viderit." Itaque merito Græcorum lectionem secuti hic sunt cum alii viri docti, tum Pontificii ipsi Faber Stapulensis, Cardinalis Cajetanus, Emanuel Sa Jesuita.

10. Act. cap. 7. ver. 16. Græcus textus legit: "Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem." Ubi Augustinus Steuchus, et Aloysius Lipomanus, trigesimum tertium Geneseos caput enarrantes, locum esse depravatum affirmant, et scribendum: "Positi sunt in sepulchro, quod emit Jacob pretio argenti a filiis Hemor patris Sichem." Similiter Andreas Masius, in commentariis ad caput ultimum Josuæ, existimat "ad hunc modum emendari debere codices Græcos: ut pro Abraham, scribatur, Jacob, illudque τοῦ Συχὲμ, expungatur, tanquam supervacaneum, et non minore audacia, quam inscientia olim a quopiam additum sacris verbis. Neque enim temere omissum a Syro esse opinor, interprete longe vetustissimo. Quod si vero retinendum est, scribendum omnino esse non τοῦ Συχὲμ, sed πάτρος Συχὲμ, ut est in Geneseos capite trigesimo tertio." Contra hos vero integritas sacri textus erudite asseritur a Benedicto Pererio, cujus ista sunt verba: "Equidem[c] video planam et facilem esse viam hanc solvendi propositam difficultatem; eamque libens ipse insisterem, nisi me multa inde revocarent, immo vero quasi prehensum manu vehementer retraherent. Principio, ad probandum aliquem Scripturæ locum esse corruptum et mendosum, proferre oportet complures libros, vel excusos typis vel manuscriptos, aut certe unum et alterum reverendæ vetustatis, spectatæque fidei, atque exploratæ sinceritatis, qui diversam vel etiam contrariam lectionem haberent. Hoc isti auctores nec faciunt, nec vero facere possunt. Nullus enim est in hac ætate nostra, nec in ulla superiori ætate fuit, aut Græcus, aut Latinus codex, secus habens eo loco, quam habet vulgata lectio Latina. Deinde permirum est

[c] Perer. in 2. disputat. in Genes. cap, 23. ver. 19.

tam insignis mendi et depravationis Scripturæ, non venisse in mentem Beato Hieronymo, Bedæ, Rabano, aliisque rimandi codicum errata, lectionumque varietatem indagandi curiosissimis atque solertissimis. Nec sane inter nomen Jacob, et nomen Abraham, ulla est literarum similitudo, propter quam utique facilis est et proclivis unius vocis in aliam commutatio. Nec Jacob emit sepulchrum pretio argenti, ut eo loco dixit Stephanus; sed centum agnis emit partem agri, in usum prædii, non autem sepulturæ." Itaque concludit Pererius, probari non posse, hoc in loco mendum esse; "cum contra ejus integritatem ostendat omnium codicum cujusque seculi constans et perpetua consensio, et mira Latinorum cum Græcis concordia, magnumque veterum scriptorum, nihil de hujusmodi suspicantium mendo, silentium." Atque iisdem de causis, etiam ab aliis Pontificiis, Melchiore Cano[d], Alphonso Salmerone, et Johanne Lorino, sententia hæc ut temeraria jure explosa est. Beda vero, et eum secutus Rabanus Maurus[e], suam hac de re, sed modeste hunc in modum proponit sententiam. "Beatus Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem, duas enim pariter narrationes conjungens, non tam ordinem circumstantis historiæ, quam causam de qua agebatur, intendit." * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

11. Act. cap. 13. ver. 20. "Καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. Et post hæc annis circiter quadringentis et quinquaginta dedit Judices usque ad Samuelem Prophetam." Hic inquit in commentariis ad hunc locum Cardinalis Cajetanus, "scite corruptos esse codices Græcos: et legendum esse trecentis quinquaginta annis, nam fere tantum temporis intercessit inter Josue et Saulem, quo toto tempore fuerunt Judices. Convincitur autem hic error scriptorum ex tertii libri Regum sexto capite, ubi clare dicitur quod anno quadringentesimo ac octogesimo ab egressu filiorum Israel de Ægypto fundatum est templum. Ex hoc siquidem numero si subtraxeris octoginta annos regum (Saulis et Davidis) et

[d] Can. lib. 2. loc. Theol. cap. 18. [e] In commentariis ad 7. cap. Actorum.

quinquaginta annos deserti et Josue, 350. relinquuntur Judicibus. Nec Paulus dicit adamussim 350. sed fere 350. annis dedit Judices usque ad Samuelem inclusive." Hæc Cajetanus. Anglo-Rhemenses[f] ad Bezæ annotationes in hunc locum nos remittunt, ubi is non quidem Latinos codices Græcis præferendos putat (quod illi sectione trigesima nona insinuare volunt) sed cum Luthero[g], pro *τετρακοσίοις* Lucam scripsisse *τριακοσίοις*, adeoque Latinam pariter atque Græcam scripturam vitiatam hic esse arbitratur, nec eo usque tamen cum Luthero progressus est, ut vel in Græco manifestum errorem esse dixerit, quod Rhemenses illi fingunt vel receptam scripturam in translatione sua immutandam existimaverit.

Melchior Canus[h] Græcorum exemplarium fidem hic defendit: sed ita defendit ut alteri scripturæ in capite sexto libri tertii Regum, adeoque toti sacræ Chronologiæ non minus grave vulnus infligat. Ait enim non numerum 450. qui in Actis Apostolicis, sed 480. qui tertio libro Regum habetur, vitio librariorum esse corruptum : verum

> Non tali auxilio, nec defensoribus istis
> Tempus eget.

Ut enim Alphonso Salmeroni[i] minime ferendum videtur, quod Cajetanus sua authoritate mutat numerum annorum in Actis Apostolicis, quasi omnes Græci et Latini codices essent corrupti: recteque judicat Johannes Lorinus[k], satis eum "refelli ex fide communi auctorum, et ex authoritate codicum omnium atque Vulgatæ editionis[l]:" ita omnino ferendum non est, ut unus Canus contra omnem et auctorum et codicum et ipsius quoque Vulgatæ editionis auctoritatem, numerum, qui in Regum historia legitur, scribentium errore dicat esse inductum : omninoque argumento

[f] Præfat. in Novum Testam. sect. 39. et 49.

[g] Luther. in supputat. annorum mundi, in fine 7. tomi operum.

[h] Lib. 11. locorum Theologic. cap. 5.

[i] Salmeron. commentar. tomo 12. tractat. 37.

[k] Lorin. commentar. in Act. 13. 20.

[l] Vid. hic Genebrard. contra Funceium. In Funceium, 350. hic legentem, invehitur Beda, Præfat. Retractat. in Acta Apost. Genebrardus in Chronograph. locum in textu Græco vitiatum esse suspicari se non posse dicit.

esse debet ipsius rationes esse falsas, quod mendum in hoc Scripturæ loco inesse dicat, ac proinde ad veram rationem codices Hebraicos, Græcos et Latinos esse corrigendos. Sciendum est igitur, annorum 450. numerum, licet in omnibus codicibus constanter retineatur (ideoque sine magna temeritate mutari non possit) eodem tamen modo in omnibus codicibus non esse collocatum. Nam inter diversas lectiones, quas, ex antiquissimis exemplaribus desumptas, ad calcem Novi Testamenti anno 1568. a se excusi edidit Rob. Stephanus, etiam hanc reperimus: *κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις πεντήκοντα. καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτὰς*, etc. atque ita habuisse codicem quemdam Græcum, Parisiis editum, notavit Beza; et Johannes Mariana[n] testatur se in quibusdam manuscriptis Græcis codicibus scriptum invenisse: "*κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡσεὶ μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς*, quo modo legunt Latina omnia exemplaria: "Sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos et quinquaginta annos: et post hæc dedit judices, usque ad Samuelem Prophetam." Sed "et illam temporum circumscriptionem ad antecedentia pertinere, doctissimi quidam viri" memoria nostra putaverunt, ut refert Franciscus Junius: etiam vulgata Græcorum codicum lectione retenta, sic videlicet, ut commodum aliquod participium subintelligendum judicarint: tanquam si ita legeretur, "*καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσιόις καὶ πεντήκοντα γινόμενα, ἔδωκε κριτὰς.* Et post hæc (facta annis quasi 450.) dedit Judices," cujusmodi eclipsis participii, cum alibi observari potest, tum in Matthæi capite primo, versu undecimo, ubi vel Josias vel Joachim genuisse dicitur Jechonian et fratres ejus *ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος*, non quod geniti isti fuerint tempore deportationis Babylonicæ (id quod sacræ historiæ repugnat) sed quod eo tempore adhuc superstites fuerint, quo cœpit illa deportatio: ac si in Græco legeretur, *τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος γεγονότας*. Incertum vere est, an ita locum hunc Actorum acceperit Chrysostomus[p], quum scri-

[n] Pro edit. vulgat. cap. 17. [o] Lib. 1. Parallelorum sacrorum, sect. 95.
[p] Chrysost. in Act. 13. homil. 29. op. tom. 9. pag. 225.

bit. "Εἶτα τὴν κατοικιάν λέγει. καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναὰν, κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. καὶ ὁ χρόνος πολὺς· τετρακόσια γὰρ πεντήκοντα ἔτη. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκεν αὐτοῖς κριτὰς ἕως Σαμουὴλ. Deinde inhabitationem terræ dicit: Et deletis gentibus septem in terra Chanaan, sorte divisit eis terram illorum. Et multum intercessit tempus, nempe anni quadringenti quinquaginta. Et post hæc circiter annis quadringentis et quinquaginta, dedit illis judices usque ad Samuelem prophetam." Hac vero ratione, quemadmodum notavit qui eam omnino amplecti oportere statuit, doctissimus Junius, dicendum est "Apostolum his verbis comprehendisse totum illud tempus, quo eæ res gestæ atque confectæ sunt, quas tribus proxime præcedentibus versibus inde a narrationis principio, exposuit." Ita ut principium hujus supputationis pendeat a primis illis verbis, "Deus populi hujus Israel elegit patres nostros," quod quidem referendum est vel ad annum ætatis Abrahami nonagesimum nonum, quo electio Isaaci et patrum in Isaaco pronuntiata est[q]: tum enim primum inquit Junius, "Deus Ismaëlem excludens, vim et authoritatem electionis suæ testificatus est," vel saltem ad sequentem annum, quo Abrahamo jam centenario natus est Isaac, in quo vocandum ipsi erat semen. Recte enim, ut in Animadversionibus ad hunc locum habet Ludovicus de Dieu, "ad Isaaci tempus refertur illud versu decimo septimo 'elegit Deus patres nostros.' Tum enim Deus, qui jam Abrahamum elegerat ex omnibus terræ populis, ex omnibus Abrahami liberis elegit Isaacum, in cujus familia fœdus consisteret, dicens, 'in Isaaco vocabitur semen tuum.'"

13. Rom. cap. 12. ver. 11. "Ubi nos legimus; Domino servientes: Græci non habent κυρίῳ sed καιρῷ δουλεύοντες, id est, tempori servientes. Et tamen nostram lectionem esse verissimam, patet tum ex Hieronymo in epistola ad Marcellam, quæ incipit, 'Post priorem epistolam;' ubi dicit, in emendatis Græcis codicibus haberi non καιρῷ sed κυρίῳ: tum ex Origene, Chrysostomo Theophylacto, et aliis Græcis Patribus, qui sic legerunt, et explicaverunt in suis commen-

[q] Genes. 17. ver. 1. 19.

tariis." Ita pugnat Bellarminus adversus Græcorum codicum integritatem[r]. Et ante eum Melchior Canus[s] "ubi nostra (inquit) editio habet, 'Domino servientes,' novi fere interpretes reddunt, 'tempori servientes:' et tamen nostra litera præferenda est, quam et olim Græci emendati codices habuerunt. Chrysostomus siquidem et Theophylactus non legunt τῷ καιρῷ δουλεύοντες sed τῷ κυρίῳ. Quam etiam lectionem habuit Origenes. Atque adeo Hieronymus in epistola ad Marcellam, cujus initium est, 'Post priorem epistolam:' cum lectionem aliam reprehendisset, asseruit, secundum Græcam veritatem legendum esse, Domino servientes." Johannes Mariana[t], "ubi nostra editio habet, 'Domino servientes,' Græci fere 'tempori servientes:' nempe facili permutatione vocem κυρίῳ mutarunt in καιρῷ. Nam antiqui Patres Græci etiam legerunt, ut est in editione Vulgata." Julius Rugerius[u], "legunt Græci 'tempore servientes,' cum non solum Latina Vulgata, sed Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, cæterique Græci Patres legant 'Domino servientes:' et Hieronymus ad Marcellam scribens dicat, lectionem illam Græcam non esse Apostolicam." Postremo Anglo-Rhemenses[x], objiciunt "nostros interpretes non hic transtulisse secundum Græcum textum, tempori servientes, quam corruptelam necessario agnoscendam esse affirmat Beza: sed secundum editionem Vulgatam Latinam Domino servientes."

Respondetur: "Cum Græce κυρίῳ et καιρῷ vicinæ sint admodum voces, et quia per compendium illud scribendi κῷ putatum est καιρῷ fuisse scriptum; inde natæ sunt variæ hujus loci lectiones:" quemadmodum post alios notavit Alphonsus Salmeron[y]. Ita vero inter se variabant olim exemplaria; ut vulgata Latinorum codicum lectio retineret 'tempori servientes;' Græcorum vero, 'Domino servientes.' Hinc Hieronymus in illa quæ ab Adversariis citata est ad Marcellam epistola, respondens obtrectatoribus, eo nomine eum accusantibus quod ex Græcorum fide quædam in recepta

[r] Lib. 2. de verbo Dei, cap. 7.
[s] Lib. 2. locor. Theolog. cap. 13.
[t] Pro edit. vulgata, cap. 16.
[u] In opusculo de libris Canonicis, cap. 46.
[x] Præfat. in Nov. Testam. sect. 37.
[y] Lib. 4. in epist. ad Roman. disputat. 3.

Latinorum editione immutasset: "Illi, inquit, legant 'spe gaudentes, tempori servientes:' nos legamus 'spe gaudentes, Domino servientes.'" Neque hac de re, aut illis Bellarmini emendatis Græcis codicibus, verbum amplius addit. Eadem quoque de re Ruffinus (falso Hieronymus creditus) Origenis interpolator, "Scio[z] inquit, in nonnullis Latinorum exemplaribus haberi; 'tempori servientes:' quod mihi videtur inconvenienter insertum, nisi quis forte ita dictum putet, ut in aliis idem Apostolus ait: 'Tempus[a] breve est, superest ut qui habent, tanquam non habentes sint,' vel ut illud dictum est: 'Redimentes[b] tempus, quoniam dies mali sunt.'" Hæc ille. Contra vero author commentariorum in Pauli epistolas, qui Ambrosio tribuuntur, illam alteram Græcorum codicum lectionem rejicit, et legendum contendit, "tempori servientes." Verba ejus adscribam. "In Græco dicunt quidam sic haberi: 'Domino servientes,' quod nec loco competit. Quid enim opus erat summam hanc ponere totius devotionis, quando singula membra, quæ ad obsequia et servitia Dei pertinent, memoret: In omnibus enim iis quæ enumerat, plenum Domino servitium exhibetur. Nam servire tempori quid sit, alibi solvit, cum dicit: 'Redimentes[c] tempus, quoniam dies mali sunt:' ut sciatis quemadmodum unicuique respondeatis. Quoniam autem dixerat; 'spiritu ferventes,' ne hoc sic acciperent, ut passim et importune verba religionis ingererent tempore inimico, per quod forte scandalum excitarent, statim subjecit: tempori servientes, ut modeste et cum honestate aptis et locis et personis, et apto tempore religionis fidem loquerentur. Sunt enim quidam etiam in hoc tempore quo pax est, qui sic perhorrent verba Dei, ut audientes cum magna ira blasphement viam Christi. Nam et ipse servivit tempori, quando quod noluit fecit. Invitus enim circumcidit Timotheum: et raso[d] capite purificatus secundum legem ascendit in templum, ut Judæorum sopiret insaniam. Postquam autem dixit, 'tempori servientes' adjecit, 'spe gaudentes;' ut si forte propter iniquitatem

[z] Lib. 9. in Epist. ad Rom. cap. 12.
[a] 1 Cor. cap. 7. ver. 29.
[b] Ephes. cap. 5. ver. 16.
[c] Ephes. cap. 5.; 2 Tim. cap. 4.
[d] Act. cap. 21. ver. 24.

temporis non liceat de fide publice loqui, sed esse in metu, sepe gaudeat, quia hæc tristitia parit lætitiam." Hæc author ille, cum quo et Strabus in Glossa ordinaria similiter locum exponit: "Quamvis ferventes, non tamen passim et importune verba Dei ingeratis; sed tempori, id est, opportunitati, servientes." Hac vero de re tota ita pronuntiat Franciscus Toletus Cardinalis: "Fateor[e] et sequentibus et antecedentibus accommodatam esse hanc interpretationem, et documentum valde utile continere: nam aliqui etiam nunc nimio suo fervore plus aliis nocent, quam prosunt; prudentia opus est, ad quam pertinet servire tempori, quantum oportet. Huic expositioni id solum adversatur, quod communis antiquorum sensus cum vetere interprete non 'tempori' sed 'Domino' legendum censet, eaque de causa sumus hujusmodi lectionem secuti, quæ etiam accommodatissima est."

Sane ad veterem interpretem quod attinet: ex iis quæ diximus apparet, veterem et magis vulgatam illius lectionem fuisse, 'tempori servientes,' indeque Franciscus Lucas Brugensis existimat, "Hieronymi[f] castigationem, hanc legendi rationem 'Domino servientes,' Latinæ editioni dedisse," et utramque lectionem Anselmus Laudunensis in Glossa interlineari, Thomas Aquinas et Hugo Carensis in commentariis suis annotarunt: denique Latinorum manuscriptorum antiquissimi, a Luca Brugensi citati, "qui libris capitum argumenta præfigunt, hujus epistolæ caput quadragesimum octavum, de tempori serviendo inscribunt: nimirum quod retinuerint capitum argumenta, ei Latinorum editioni, quæ ante nostram fuit, accommodata." Hodie tamen Vulgatæ editionis exemplaria constanter retinent, "Domino servientes:" quomodo et textus cum Beda excusus habet, et Haymo, Anselmus Cantuariensis, Nicolaus Lyranus, et alii recentiores enarratores interpretantur. Quibus ex antiquioribus Latinis addi possunt, author Commentariorum in Pauli epistolas, quæ Hieronymo perperam sunt adscripta, Sedulius et Primasius in hujus loci expositione: itemque libro quarto de Providentia Salvianus episcopus Massiliensis.

[e] Tolet. in Rom. cap. 12. annotat. 22.

[f] Luc. Brug. notat. in Biblia. sect. 525.

Sed et vetustissimus Paraphrastes Syrus ita locum reddidit: ܗܘܝܬܘܢ ܦܠܚܝܢ ܠܡܪܝܟܘܢ. Estote servientes Domino vestro. Et quod maximum est, in nullo scriptore Græco (quantum quidem comperire possum) alterius lectionis τῷ καιρῷ δουλεύοντες ullum extat vestigium, contra vero τῷ κυρίῳ δουλεύοντες, tum ab omnibus qui vulgo extant Græcis hujus epistolæ interpretibus videmus expositum, Origene, Chrysostomo, Theodorito, Theophylacto, et Græcis scholiis quæ Œcumenii et Theoduli nomen ferunt, tum ab aliis Græcis authoribus passim citatum, Clemente Alexandrino[g], Basilio[h], Antiocho monacho S. Sabæ[i], Ignatio Constantinopolitano Patriarcha, apud Nicetam Paphlagonem in ejus vita. Quibus addit etiam Salmeron Sophronium in vita Mariæ Ægyptiacæ, eum authorem intelligens, qui Pauli Neapolitani diaconi nomine in vitis Patrum est editus, nam in eo quem Surius tomo secundo Historiæ Sanctorum ad nonum diem Aprilis edidit, frustra quæsieris. Hanc igitur lectionem ut veterum Græcorum scriptorum calculo confirmatum et contextui Apostolico maxime accommodatum, secuti sunt cum Beza nostri interpretes: nec idcirco tamen (quod fingunt Rhemenses) Græcum textum ut corruptum hoc in loco deseruerunt. Ita enim in probatissimis quibusque codicibus vetustis et Græcis scholiis fuisse lectum testatus est Beza[j], et ita sane legunt Biblia Complutensia et Regia ex vetustissimis exemplaribus expressa; eamque lectionem in quinque antiquis codicibus manuscriptis, quibus ipse usus est, repertam confirmat Robertus Stephanus. Itaque Bellarmino non male hic respondit hunc in modum Franciscus Junius. "Male[k], quod paucorum est, exemplaribus Græcis omnibus tribuitur, et ex particulari adstruitur universale. Sic probari corruptionem Novi Testamenti Græci oportuit scilicet. Hoccine Catholici hominis officium, aut factum?" Ei tamen, qua solet fronte, sic occurrit Jacobus Gretserus. "Hoccine[l] Calviniani hominis officium aut factum, mentiri? Non enim dicit Bellarminus in omnibus

[g] In Pædagogo, lib. 3. cap. extremo. [h] In Ethicis, definit. 69.

[i] In Pandect. homil. 36. [j] Beza. annot. in Rom. cap. 12. ver. 11.

[k] Jun. animadvers. in Bellarm. lib. 2. de verbo Dei. cap. 7. num. 8.

[l] Gretser. defens. Bellarm. de verbo Dei, lib. 2. cap. 7. col. 500.

Græcis exemplaribus hanc corruptelam extare, quid igitur dicit? nempe, hoc adstruit. In Græco textu inveniuntur manifesta quædam menda et errata: ergo falsum est, quod prædicantes perpetim jactant; Græcum textum ubique esse purum et incorruptum." Cui ego cur non respondeam: Hoccine hominis Jesuitæ officium aut factum, nugari? Cum enim ipse agnoscat[m], in multis Græcis codicibus legi *κυρίῳ*, non *καιρῷ*: idque ipsum editiones Antwerpianæ, Lugduno-Batavicæ et Genevenses (ut alias omittam) quæ omnium teruntur manibus, plane loquantur: an defendi oportebat, quod dixit Bellarminus, Græcos non habere *κύριῳ*, sed *καιρῷ*. Et in illa ipsa præclara argumentatione a Gretsero proposita, quis est tam hebes, ut non animadvertat damnatam illam sophisticam, qua ex assumpto particulari adstruitur conclusio universalis? Cum enim ait, "in Græco textu inveniri manifesta quædam menda et errata:" si, ut verba præ se ferunt, de mendis et erroribus universalibus loquatur, quibus scilicet universa Græci textus exemplaria contaminata sint; tum id dicit, quod Bellarminum dixisse negat, et quod ipse manifestum esse mendacium negare non potest, "In omnibus Græcis exemplaribus hanc corruptelam extare." Sin id tantum velit, in quibusdam exemplaribus Græci textus inveniri manifesta quædam menda et errata (quod, quis prædicantium negavit?) absurde omnino infertur inde generalis illa conclusio, falsum esse, quod nostri asseverant, "Græcum textum ubique esse purum et incorruptum," nisi fortasse ita nos insanire existimet Gretserus, ut putemus omnia exemplaria Græci textus ubique esse pura et incorrupta: quod tum demum putabimus, quando ut scriptores sacros in divinis oraculis exarandis, ita exscriptores omnes et librarios in transcribendis libris sacris, Spiritu Sancto sic gubernatos fuisse crediderimus, ut nuspiam vel labi vel errare potuerint. Et tamen hujus vanitatis adeo Jesuitam non puduit, ut denuo quoque putidum hoc commentum repetendum duxerit, illud *καιρῷ δουλεύοντες*[n], etiam loco maxime alieno, importune ingerens. "Egregiam vero laudem, et spolia ampla."

[m] Gretser. Defens. Bellarm. de verbo Dei, lib. 2. cap. 7. col. 499.

[n] Gretser. loco citato. pag. 502.

14. 1 Cor. cap. 7. ver. 34. *Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου.* Hic Græcum textum corruptum ostendere conatur Bellarminus[o] his verbis. "Ubi nos habemus: 'Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Mulier innupta, et virgo cogitat, quæ Domini sunt:' Græci codices longe aliter habent: nam illud, 'divisus est,' conjungunt cum sequentibus, sic, *μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος,* divisa est uxor et virgo. Quam lectionem B. Hieronymus[p] affirmat non esse Apostolicæ veritatis." Eandem corruptelam, objiciunt etiam Anglo-Rhemenses[q], Melchior Canus[r], Thomas Stapletonus[s], et Julius Rugerius[t], sed hoc unicum tantum Hieronymi testimonium proferunt: quod a Johanne Driedone[u], hunc in modum urgetur. "Ex[x] doctrina Hieronymi discimus, quibusdam in locis editionem nostram Latinam esse emendatiorem quam Græcorum codices. Nam 1 Corinth. cap. 7. quod legimus in vulgatis Latinorum codicibus 'et divisus est,' hoc Hieronymus scribit esse Apostolicæ veritatis: quod tamen in Græcis exemplaribus non sic habetur. Si Apostolica veritas habeat, quemadmodum nos habemus; et Græci codices non sic, sed aliter habeant: consequens est exemplaria Latina in quibusdam esse veritati Apostolicæ magis consona quam Græca." Et Johannes Mariana, "Græci[y] (inquit) permixtione utriusque versus (33. et 34.) legunt: Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Mox ab alio principio: Divisa est mulier et virgo rursus: innupta cogitat quæ Domini sunt, quæ vix profecto intelligas, ita sunt implicata. Et Hieronymus primo contra Jovinianum negat Græcam lectionem Apostolicæ mentis sententiam explicare." Respondetur * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

15. 1 Corinth. cap. 15. ver. 51. *Πάντες μὲν οὐ κοιμηθη-*

[o] Lib. 2. de verbo Dei, cap. 7.
[p] In lib. 1. contra Jovinianum.
[q] Præfat. in Novum Testam. sec. 36.
[r] Lib. 2. locor. Theolog. cap. 13.
[s] In Relect. principior. doctrinal. controv. 5. quæst. 3. artic. 2.
[t] In opusculo de libris canonicis, cap. 46.
[u] De scriptur. ecclesiast. lib. 2. cap. 2.
[x] Dried. de Scriptur. fol. 37. lat. 2. et 39. lat. 1.
[y] Marian. pro. edit. vulgata. cap. 16.

σόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur. Editio Vulgata Latina lectionem longe diversam exhibit: "Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur." Quid vero de hoc loco ac ejus similibus sit dicendum, Lindanus[z] non longa esse opus arbitratur consultatione. "Retinendum scilicet, quod Latina exemplaria legunt, et si omnia hodierna refragentur Græca. Nobis enim sensus suffragatur liquidior, atque ipsum Paulinæ disputationis filum." Audacius longe Nicolaus Zegerus, in scholiis ad hunc locum: "Quum scriptores (inquit) omnium vetustissimi Tertullianus et Origenes, et post hos Hilarius et Ambrosius, idem legant quod vulgatus noster vertit interpres: hinc certam sumo conjecturam, Græcorum lectionem etiam Chrysostomi et Hieronymi ætate a sciolis aut hæreticis fuisse corruptam." Similiter Græco textui corruptionem hic objicit Thomas Stapletonus[a], Hieronymi epistolam ad Minerium et Alexandrum hac de re citans. Idem quoque in Defensione Ecclesiasticæ authoritatis adversus Whitakerum, "Græco[b] contextui, inquit, certo fidendum non esse ne quidem ut tempore D. Chrysostomi et Theodoreti se habebat, vel ille illustris locus 1 Cor. cap. 15. ver. 51. 'Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur,' perspicue docet: ubi lectio Græca sic corrupta est, ut doctrinam de resurrectione mortuorum, quam eo capite Paulus summo studio confirmat, in discrimen vocet." Postremo in antidotis Apostolicis hoc ipsum verbosissime persequitur[c]: textum Græcum non solum hac in parte corruptum, sed etiam falsum et impium esse affirmans. Stapletonum quoque secutus Christophorus de Sacrobosco[d] (ejusque exscriptor Jacobus Gretserus[e]) ita totam hanc disputationem concludit. "Ex his patet quam immerito Whitakerus Græca, quæ

[z] Lindan. de opt. gener. interpr. script. lib. 3. cap. 12.

[a] In Princip. Doctrinal. Demonstrat. et in Relectione controv. 5. quæst. 3. artic. 2.

[b] Lib. 2. cap. 2.

[c] Stapleton. antidot. Apostolic. tom. 3. pag. 810. 812.

[d] Parte 4. Defens. Decreti Tridentini. cap. 7. loc. 70.

[e] Defens. Bellarm. de verbo Dei. lib. 2. col. 746.

hodie circumferuntur, vocet purissimos fontes: quamque perverse egerint Calvinus et Beza, qui quo vulgatam editionem traducerent, maluerunt generalem mortuorum resurrectionem contra Ecclesiæ sententiam, et apertissima Scripturæ testimonia negare, quam vitiositatem suorum Græcorum codicum agnoscere." Similes scilicet hac de re in Erasmum excitarunt tragœdias Johannes Standicus in Anglia, et Nicolaus Ecmondanus in Lovaniensi Academia, quorum alter in corona frequenti nobilium et eruditorum hominum apud Henricum VIII. Angliæ Regem, et Reginam uxorem ejus, Erasmo impegit, quod tolleret resurrectionem, propterea quod concederet, aliquos in adventu Domini non morituros: et ad principum genua provolutus, sublatis in cœlum oculis et manibus, obtestatus est Deos atque homines, ut tantis Ecclesiæ periculis occurrerent, brevi collapsuræ, ni celeri remedio prospectum esset. Alter in publica et ordinaria professione eidem impegit hæresim, quod induceret lectionem contradictoriam ei, quam sequitur Ecclesia. Verum vanissimorum hominum futilem calumniam, edita de hoc loco erudita Apologia[f], depulit Erasmus. Quod igitur ad Græcam lectionem attinet, sciendum est, eam a vetustissimo interprete Syro confirmari. Eodem enim prorsus modo locum expressit. Non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur. Similiter et Arabs nos omnes non moriemur, sed nos omnes mutabimur. Origenes[g] in tertio volumine ἐξηγηματικῶν epistolæ Pauli ad Thessalonicenses primæ similiter locum citat: "Omnes non dormiemus, omnes autem immutabimur." Idem libro secundo contra Celsum, ex 1 Cor. cap. 15. et 1 Thessal. cap. 4. colligit, distinguendos esse ζῶντας καὶ ἀλλαγησομένους, vivos qui immutandi erunt, a κοιμωμένοις dormientibus, qui a mortuis erunt excitandi, et libro quinto[h] ita diserte citat hunc locum: οὐ πάντες κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Sic etiam citat in libro contra Marcionem, qui in Vaticano extat manuscriptus, Mariano[i] Victorio et Gerardo Vos-

[f] Tomo. 9. oper. Erasm. pag. 359.
[g] Apud Hieronymum epist. ad Miner. et Alex. op. tom. 4. pag. 216.
[h] Pag. 248. edit. Augustanæ.
[i] Marian. Victor. in Hieron. epist. 152. annot. 2.

sio[j] testibus, quo modo legitur in tertio contra Marcionistas Dialogo, qui, Laurentio Hunfredo interprete, Origenis nomine habetur editus. Apud authorem Quæstionum et Responsionum ad Orthodoxos, quæ Justino Martyri tribuuntur, quæstioni centesimæ nonæ qua quærebatur, qua ratione Dominus diceretur judicaturus vivos et mortuos, si omnes a mortuis resurgant? hæc subjicitur responsio. *Ὀυ πάντες, φησὶ, κοιμηθησόμεθα, κρινει οὖν ζῶντας μὲν, τοὺς τότε ζῶντας, νεκροὺς δὲ, τοὺς ἀνισταμένους ἐκ τῶν νεκρῶν.* "Non omnes, inquit, dormient. Judicabit ergo vivos quidem ille, qui tunc vivent: mortuos autem, qui resurgent e mortuis." Theodorus Heracleotes[k], in commentariolis Apostoli Sancti, inquit "qui die consummationis atque judicii in corporibus reperiendi sunt, cum aliis sanctis, qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aera, et non gustabunt mortem; eruntque semper cum Domino, gravissima mortis necessitate calcata. Unde ait Apostolus: 'Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur.'" Ephræm Syrus[l] inquit, "Paulus orator pietatis, disciplina sacrorum imbuit fideles, dicens: ecce mysterium vobis dico; omnes quidem non obdormiemus, sed omnes immutabimur." Johannes Chrysostomus[m] similiter citat *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.* In textu quidem Chrysostomi[n] Gentianus Hervetus interpres Pontificius editionis Vulgatæ Latinæ lectionem expressit: reclamante non modo Græco contextu et vetere versione Francisci Aretini, sed etiam ipsius Chrysostomi interpretatione apertissima. Sic enim ille locum Apostoli diserte interpretatur: "*Ὁ δὲ λέγει τοῦτο ἐστὶν. οὐ πάντες μὲν ἀποθανούμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, καὶ οἱ μὴ ἀποθνήσκοντες, θνητοὶ γὰρ κἀκεῖνοι. Μὴ τοίνυν ἐπειδὴ ἀποθνήσκεις, διὰ τοῦτο δέισης, φησὶ, ὡς οὐκ ἀναστησόμενος, εἰσὶ γὰρ, τινές εἰσιν, οἵ καὶ τοῦτο διαφεύξονται: καὶ ὅμως οὐκ ἀρκεῖ τοῦτο αὐτοῖς, εἰς τὴν ἀνάστασιν ἐκείνην, ἀλλὰ δεῖ καὶ ἐκεῖνα τὰ σώματα τὰ μὴ ἀποθνήσκοντα ἀλλαγῆναι, καὶ εἰς ἀφθαρσίαν*

j Gerard. Voss. in Ephræm. de Resurrect. Mortuorum, pag. 218. edit. Colon.

k Citat. ab Hieron. epist. 152.

l In sermone contra negantes Resurrectionem, pag. 214. edit. Coloniensis.

m Homil. 19. in epist. ad Roman. cap. 11.

n Homil. 42. in 1 Corinth. 15.

μεταπεσῶν. Hoc est autem quod dicit: Non omnes quidem moriemur, omnes autem immutabimur etiam qui non moriuntur. Nam illi quoque sunt mortales. Ne ergo quoniam moreris, propterea, inquit, timeas tanquam non resurrecturus. Sunt enim, sunt etiam aliqui qui hoc effugient: et tamen hoc eis non sufficit ad illam resurrectionem, sed oportet illa quoque corpora quæ non moriuntur, immutari. et transire ad incorruptionem." Hæc Chrysostomus: quem etiam secutus est Theophylactus et Œcumenius in Græcis ad hunc locum scholiis. Theodoritus Cyrensis Episcopus[o] eandem lectionem habet, etiam in Latina versione Gentiani Herveti: nam in ipso loco, 1 Cor. cap. 15, eadem fide Theodoritum tractavit qua Chrysostomum, pro germano illius textu editionis Vulgatæ Latinæ lectionem substituens. Author commentariorum in Paulinas epistolas, quæ Hieronymo perperam tribuuntur, cum duas Græcorum codicum lectiones proposuisset, eam tamen præfert, quæ in vulgatis Græcorum exemplaribus hodie reperitur: "Aliter (inquit) in quibusdam Græcis codicibus habetur. 'omnes enim dormiemus, non omnes immutabimur:' In aliis autem: 'omnes enim non dormiemus, omnes autem immutabimur,' quod quadrat magis ad sensum Apostoli: quia hic sermo non de omnibus generaliter dicitur, sed de solis sanctis." Quod vero ad ipsum attinet Hieronymum: in epistola ad Minerium et Alexandrum, explicat tantum "quid[p] eruditi viri de hoc sentirent loco, et quibus argumentis suas vellent probare sententias," ut ipse in fine epistolæ loquitur: suam vero sententiam, quantum intelligo, eo loco non aperit. Quod enim præfertur illa lectio, "omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur;" alteri illi, "non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur:" id ex Didymo et Acacio videtur recitatum, non ab ipso Hieronymo pronuntiatum. Ille enim quod hac de re senserit, ex iis quæ alibi scribit, aperte intelligimus. Nam libro decimo quarto commentariorum in Esaiam Græcorum codicum lectionem sequitur (quod etiam in scholiis ad eum

[o] Comment. ad 1. Thess. cap. 4.

[p] Hieron. epist. op. tom. 4. pag. 212.

locum confirmat Marianus Victorius[q]) de cœlorum mutatione in hunc modum scribens: "Si[r] de sanctis scriptum est, 'Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur,' quanto magis hoc de cœlo ac sole stellisque credendum est." Et in epistola sexta Marcellæ interroganti, utrum sancti, qui in adventu Salvatoris vivi deprehensi fuerint, sic Domino in corporibus occurrant, ut non ante moriantur: respondet, in iisdem corporibus ita ei occursuros, ut "corpus[s] ab anima non deseratur, sed, anima habitante in corpore, fiat inclytum, quod ante inglorium fuit." Quod etiam sensisse Diodorum Tarsensem, qui Johannis Chrysostomi in sacris literis præceptor fuit, et Apollinarium, refert idem in epistola[t] ad Minerium et Alexandrium. Quibus addere etiam licet authores Quæstionum quæ Athanasio tribuuntur, cujus hæc sunt verba. "Ζῶντες[u] εἰσὶν οἱ εὑρισκόμενοι τότε ἐν τῇ ἀναστάσει, καὶ γὰρ εὑρεθήσονται ἄνθρωποι ἐν τῇ ἡμέρα ἐκείνῃ, καὶ οὐκ ὄψονται θάνατον, πλὴν οὐ μὴ φθάσωσι τοὺς κοιμηθέντας, πρῶτοι γὰρ ἀναστήσονται οἱ τελευτήσαντες, καὶ μετὰ ταῦτα οἱ ζῶντες ἀλλαγήσονται. Viventes sunt, qui tum invenientur in resurrectione. Invenientur enim homines in illo die, nec videbunt mortem, verumtamen non prævenient eos qui obdormierunt ante. Nam primum resurgent mortui, deinde qui vivunt immutabuntur." Idem quoque sensisse Epiphanium[v], ex iis quæ scribit contra Origenem, apparet. Cui adjungi potest et Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, ubi in hanc sententiam etiam vulgatam lectionem Latinam accipit: quod "omnes[x] quidem resurrecturi sint (quandoquidem et illa ipsa translatio a statu mortali ad immortalitatem resurrectionis quædam species habenda sit) non autem omnes demutandi sed illi scilicet soli qui invenientur in carne." Aliter etiam, sed in eandem sententiam, editionis Vulgatæ Latinæ verba exponit Primasius: "Omnes resurgemus, qui mortui invenie-

[q] In tom. 4. operum Hieronym. col. 1204; edit. Paris. an. 1579.

[r] Hieron. comm. in Esai. lib. 14. cap. 51. op. tom. 3. pag. 367.

[s] Hieron. op. tom. 4. par. 1. pag. 166. [t] Ibid. pag. 211.

[u] Athan. op. tom. 2. pag. 332.

[v] Epiphan. hæres. 64. op. tom. 1. pag. 601.

[x] Tertul. de resur. carn. cap. 42. op. pag. 351.

mur Christo veniente. Sed non omnes immutabuntur, qui in corpore fuerint reperti: quia sancti assumentur, peccatores vero æterno incendio relinquentur." Eandem quoque interpretationem proponunt authores commentariorum in Paulinas epistolas, quæ Ambrosio et Hieronymo falso sunt tributa: "Omnes resurgemus, qui in adventu Christi mortui inveniemur. Non omnes immutabuntur qui in corpore sint reperti; quia soli sancti beatitudinis gloriam consequentur," et Strabus in Glossa ordinaria: "Secundum Hieronymum, qui vivos repertos non morituros asserit ad Marcellam scribens, omnes mortui resurgent; non omnes vivi reperti immutabuntur, sed soli sancti." Atque hac ratione fuerit inter Græcam et Latinam lectionem apparens tantum ἀντιλογία: quia de diversis subjectis id in una affirmatur, quod in alia negatur. Augustinus hac de re varie scribit, libro secundo de peccatorum meritis et remissione contra Pelagianos, "Hoc[y], inquit, quibusdam in fine largietur, ut mortem istam repentina commutatione non sentiant; sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino vivant." Ad hoc testimonium Richardus de Mediavilla[z] dicendum ait, quod illud retractat Augustinus libro secundo Retractationum, quod etiam affirmat in commentariis ad locum hunc Apostoli Ambrosius Catharinus. Verum non retractat, ut recte notavit Gabriel Biel[a], sed diligentiori inquisitioni reservat. "Aut[b] enim (inquit ibi Augustinus) non morientur, aut de vita ista in mortem, et de morte in æternam vitam celerrima commutatione tanquam in nictu oculi transeundo, mortem non sentient." Idem in responsione ad tertiam Dulcitii quæstionem ex epistola quam ad Mercatorem scripsit, ista de sententia loci, 1 Thess. cap. 4. repetit "Revera[c] quantum ad verba beati Apostoli pertinet, videtur asserere quosdam in fine seculi adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos in illam immortalitatem, quæ sanctis etiam

[y] August. op. tom. 10. pag. 67.
[z] Mediavill. in lib. 4. Sentent. distinct. 43. artic. 4. quæst. 1.
[a] Biell. suppl. in 4. Sententiar. distinct. 48. quæst. 1.
[b] August. op. tom. 1. pag. 54. [c] Ibid. tom. 2. pag. 714.

cæteris datur, repente mutandos, et simul cum illis rapiendos, sicut dicit, in nubibus. Nec aliquid aliud mihi visum est quoties de his verbis volui cogitare, sed vellem hinc potius audire doctiores: ne illis etiam qui putant aliquos morte non præcedente vivificatos, ad vitam transituros perpetuam, dicere inveniatur Apostolus; 'Stulte[d], tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur." Et post: "Vellem de his verbis ut dixi, audire doctiores: et si modo potuerint hæc ita exponi, ut in eis possit intelligi, omnes homines qui vivunt vel post nos victuri sunt, esse morituros, corrigere quod hinc aliquando aliter sensi. Neque enim debemus esse indociles doctores, et certe melius homo corrigitur pravus, quam frangitur durus: cum iis quæ descripsimus, ita nostra vel aliorum exerceatur et erudiatur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur authoritas. Si autem in his verbis Apostoli nullus alius sensus potuerit reperiri, et hoc eum intelligi voluisse claruerit, quod videntur ipsa verba clamare, id est quod futuri sint in fine seculi et in adventu Domini, qui non exspolientur corpore, sed superinduantur immortalitate, ut absorbeatur mortale a vita: huic sententiæ proculdubio conveniet, quod in regula fidei confitemur venturum Dominum, judicaturum vivos et mortuos: ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos autem injustos, quamvis judicandi sint et justi et injusti: sed vivos quos nondum exiisse, mortuos autem quos jam exiisse de corporibus, adventus ejus inveniet." Libro vigesimo de civitate Dei, eo potius inclinat, ut "existimet[e] etiam illos quos hic vivos inventurus est Dominus, in ipso parvo spatio, et passuros mortem, et accepturos immortalitatem:" sed pro solita sua modestia, ad extremum ita concludit. "Quomodo sit futurum, quod nunc pro nostræ ratiunculæ viribus utcunque conjicimus, tunc erit potius, ut nosse possimus. Resurrectionem quippe mortuorum futuram esse in carne, quando Christus venturus est vivos judicaturus et mortuos, oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus: sed non ideo de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfecte comprehendere non valemus."

[d] 1. Cor. cap. 15. ver. 36. [e] August. op. tom. 7. pag. 599.

Hactenus Augustinus: et ex eo Beda[f], Gennadius Massiliensis[g], "Omnium hominum erit resurrectio. Si omnium erit, ergo omnes moriuntur, ut mors ab Adamo ducta omnibus filiis ejus dominetur, et maneat illud privilegium in Domino quod de eo specialiter dicitur: 'non[h] dabis sanctum tuum videre corruptionem,' hanc rationem maxima patrum turba tradente suscepimus. Verum quia sunt et alii æque Catholici et eruditi viri, qui credunt anima in corpore manente immutandos ad incorruptionem et immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, et hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte: quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte." Et ut ad recentiores veniam, Petrus Lombardus cum proposuisset contrarias hac de re veterum sententias, ita demum concludit: "Horum[i] autem quid verius sit, non est humani judicii definire" et Hugo de Sancto Victore: "De[j] hoc nihil certum habemus." Thomas Aquinas ait, "super[k] hac quæstione varie loqui sanctos: et literam[l] hanc, Non omnes moriemur, etc. non esse contra fidem: licet idem "probabilius[m] et convenientius teneri sentiat, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperientur, morientur et post modicum resurgent." Melchior Canus: "Neutra[n] lectio a viris Ecclesiæ reprobata est. Quin admonuere semper lectionem dubiam et variam esse: nec alterutram ex eis ut certam et exploratam amplexi sunt. Neutram igitur lectionem recipere cogimur: quia neutram partem doctores Ecclesiæ tanquam exploratam et Catholicam asseruere." Sixtus Senensis[o] utramque lectionem et opinionem in incerto relinquit. Johannes Driedo: "Hic[p] etsi sint contrarii sermones, non sunt tamen sententiæ contrariæ unde

[f] In 1. Thessal. cap. 4. [g] In libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 7.

[h] Psal. cap. 16. ver. 10.; Act. cap. 2. ver. 31.

[i] Pet. Lombard. lib. 4. sent. dis. 43. [j] Hugo in 1. Epist. ad Thess. quæs. 12.

[k] Thom. in 4. Sentent. distinct. 43. artic. 4. quæst. 1.

[l] Idem in 1. Corinth. cap. 15. lect. 8.

[m] Thom. in prima secundæ, quæst. 81. artic. 3. ad 1.

[n] Melch. Can. loc. theol. lib. 2. cap. 14. [o] Biblioth. Sanc. lib. 6. annot. 265.

[p] Driedo de Script. et dogm. eccles. lib. 2. cap. 1.

diligenter considerato ordine sententiarum Apostoli, quibusdam magis congrua veritati Apostolicæ videtur Græcorum lectio, ut intelligamus: Non omnes dormiemus, scilicet in pulvere, veluti qui in adventu Domini reperiemur vivi: omnes tamen immutabimur in incorruptionem et immortalitatem æternæ gloriæ; intelligendo non omnes absolute, sed eos omnes qui fuerunt justificati per Christum, de quibus præmisit: 'In Christo omnes vivificabuntur.' De quibus et subjungit: 'Mortui resurgent incorrupti.'" Isidorus Clarius in 1. Cor. cap. 15: "Hic locus etsi apud Græcos etiam variare inventus sit, videtur tamen illud aptius. Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur, et respondet illis ad Thessalonicenses verbis: Deinde nos qui vivemus, etc. Ut intelligantur ii qui superstites erunt in novissimo die, non morituri, sed immutandi tamen ad immortalitatem." Idem quoque videtur Vallæ, Fabro, Erasmo, et Cardinali Cajetano. Postremo Franciscus Suarez Jesuita, postquam multum laborasset, ut probaret omnes homines, quos vivos Christi adventus deprehenderet, esse morituros; ad extremum proponit hoc dubium solvendum: "Quæret[q] tandem aliquis, quam sit certa hæc sententia, quam defendimus. Aliqui enim putant esse de fide propter testimonium Pauli, et generales locutiones Scripturarum; et quia in symbolis fidei, præsertim Athanasii dicitur, ad Christi adventum omnes homines resurrecturos. Sed certum est non esse de fide, ut ex Augustino notavit Pamelius super Tertullianum: in quo etiam conveniunt omnes Scholastici cum Magistro, et Thoma. Quia nulla est in hoc Ecclesiæ definitio, et loca Scripturæ variis modis exponuntur a Patribus, qui a generali regula aliquos excipiunt ab actuali morte, quamvis ex peccato essent morti obnoxii, ad mortemque perpetuo tenderent, quod est continuum quoddam mori, ut dicunt Patres in illud 'In[r] quacunque die comederis ex eo, morte morieris.' Alii dicunt quamvis nostra sententia non sit de fide, esse tamen ita certam, ut contraria sit temeraria. Ita Catharinus 1. Cor. cap. 15. Et idem

[q] Suarez. tom. 2. comm. in 3. par. Thomæ, disput. 50. sect. 2.

[r] Genes. cap. 2. ver. 17.

sentit Sotus[s]: Sed non video quo fundamento id asserant, cum tot ac tanti Patres illam sententiam docuerint: qui non tamen decepti fuerunt (ut alii loquuntur Catharinus scilicet et qui eum hic κατὰ πόδας sequitur, licet dissimulato nomine, Alphonsus Salmeron Jesuita[t]), falsa lectione illius loci 1 Cor. cap. 15. sed adeo permoti sunt testimonio Pauli 1. Thess. cap. 4. ut Augustinus aliquando dixerit se non invenire, quomodo possit aliter intelligi. Neque post tempora illorum patrum nova aliqua ratio, novumve testimonium inventum est, quo hæc veritas magis illustraretur, neque Ecclesiæ authoritas magis in alterutram partem inclinavit. Quomodo ergo, nisi temere, potest temerarium dici, quod tanti patres docuerunt, quodque in Scriptura habet tam apparens fundamentum." Hæc Franciscus Suarez, magnæ temeritatis socios suos Sacroboscanum et Gretserum convincens; qui Calvinum et Bezam, non aliud quam veteres illi patres sentientes, ut contra Ecclesiæ sententiam, et apertissima Scripturæ testimonia pugnantes, perversitatis (quemadmodum Stapletonus[u] improbitatis) audacissime condemnarunt.

Intelleximus vero ex testimoniis hucusque citatis, Ecclesiæ sententiam falso hic obtendi, et magni nominis authoribus tum ex veterum tum ex ipsorum Pontificiorum numero lectionem Græcam, quam falsam et impiam pronuntiat Stapletonus, placuisse: atque in eam sententiam, quam nuperi isti theologi tanta cum præfidentia rejiciunt, non temere tot ac tantos viros, sed gravibus inductos argumentis, concessisse. Primum quidem quod Apostolus ad hujus rei explicationem descendens, quo attentiores redderet Corinthios, præmittat hoc: "Ecce mysterium vobis dico: *μυστήριον τὸ ἀγνοούμενον, καὶ ἀπόῤῥητον λέγων, καὶ πολὺ μὲν τὸ θαῦμα, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον ἔχον*:" "mysterium dicens, quod incognitum est atque arcanum, et multum habens quod mirabile sit et præter opinionem:" quemadmodum[x] monet Johannes Chrysostomus. Itaque mysterii nomine admonet, ut discant rem sibi incognitam, quemadmodum ad hunc locum agnoscit ipse Salmeron. Cum

[s] Dist. 43. qu. 2. ar. 4.
[t] Disputat. 28. in 1. Cor. 15.
[u] Stapleton. Antidot. in 1. Corinth. 15. 51.
[x] Homilia 19. in epist. ad Roman. cap. 11.

vero toto capite præcedenti de mortuorum resurrectione disputasset, si aliud jam non prodidisset quam quod ex illa doctrina probe erat cognitum; nihil secretum, nihil præter expectationem dixisset. At vere hoc, quemadmodum recte notavit Cajetanus, erat "magnum mysterium quod aliqui electorum absque morte intercedente assequentur mutationes omnes supra descriptas: incorruptibilitatis, gloriæ, potentiæ." Deinde[y] quia sermo hic non de omnibus generaliter, sed de sanctis instituitur: ut recte observavit author commentariorum in Pauli epistolas quæ Hieronymo tribuuntur, ipso etiam astipulante Hieronymo[z]. Demonstant illud tum ea quæ in Apostolo proxima præcesserunt, tum quæ consequuntur. Dixerat enim versu præcedente; "Hoc autem, dico fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit," et versu quinquagesimo quarto subjungit: "Quum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo qui scriptus est, absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors stimulus tuus?" Magis igitur ad sententiam Apostoli quadrat, ut legamus versu quinquagesimo primo, "omnes mutabimur," restringendo scilicet ad omnes sanctos, de quibus totus sermo est institutus (eo prorsus modo, quo versu vigesimo secundo dixerat, "omnes in Christo vivificandos"): quam "non omnes immutabimur;" quasi Paulus commemoraverit seipsum cum damnatis, quod Cajetano durum videtur. Tertio, quia huic sententiæ optime convenit, quod in Regula fidei confitemur, "venturum Dominum, judicaturum vivos et mortuos." Id enim tum symbolum Apostolicum docet, tum Apostolus Petrus confirmat, asserens Christum "definitum[a] esse a Deo judicem vivorum ac mortuorum," quia videlicet judicaturus sit et eos, quos quum de cœlo redierit viventes reperiet, et eos qui mortui jam fuerant. Postremo quod Paulus testetur, eos, qui in secundo[b] Domini adventu vivi invenientur cum sanctis qui

[y] Vid. Sedul. in 1. Cor. 15. Ambros. in 1. Cor. 15.; Acacium apud Hieron. epist. ad Minervum et Alexandrum op. tom. 4. par. 1. pag. 213.

[z] Hieron. Comm. in Esai. lib. 14. cap. 51. op. tom. 3. pag. 367.

[a] Act. Apost. cap. 10. ver. 42.

[b] 1 Thess. cap. 4. ver. 15, 16, 17.

e mortuis resurrexerint, simul raptos in nubibus Christo occursuros.

Videamus jam argumenta, quibus Stapletonus, Sacroboscanus et Gretserus textum Græcum hac in parte corruptum, convincere conantur. Primum vero Stapletono illud est, "quod Græca lectio, generalem omnium mortem et consequenter resurrectionem generalem negat contra manifestas Scripturas, et fidei Christianæ symbolum, quæ resurrectionem mortuorum credens, non nisi generalem illam esse intelligit. Certe Paulus ipse hanc omnium mortem generalem nullo excepto manifestissime tradit. Primum hoc ipso capite versu trigesimo sexto, 'Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.' Etiam cum objurgatione et a communi rerum experientia docet, non nisi corruptione præcedente sequi novam et meliorem generationem: ut vel hoc argumento discamus corpora fidelium non glorificari nisi prius morte intercedente, et mediante morte corrupta. Quod et Christus in Evangelio[c] ex eadem similitudine apertissime docuit. 'Nisi granen frumenti cadens in terram' mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.' Mortem tam suam quam omnium sanctorum necessariam docet, ut sequatur glorificatio. Deinde alibi Paulus: 'Constitutum[d] est omnibus hominibus semel mori.' Denique nota est illa Scripturæ vox: 'Viam universæ carnis ingressus est.'" Hæc Stapletonus: Christophorus de Sacrobosco et Jacobus Gretserus, plura Scripturæ loca hic accumulant. "Primum (inquiunt) pugnat Græca lectio cum indubitatis Scripturæ sententiis 'constitutum[e] est omnibus hominibus semel mori; post hoc, judicium,' similiter hic 'per[f] hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum:' et 'sicut[g] in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.' 'Sicut[h] per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.' 'In[i] quocunque die come-

[c] Johan. cap. 12. ver. 24, 25.
[d] Hebr. cap. 9. ver. 2.
[e] Heb. cap. 9. ver. 2.
[f] 1. Cor. cap. 15. ver. 21.
[g] 1 Cor. cap. 15. ver. 22.
[h] Rom. cap. 5. ver. 12.
[i] Gen. cap. 2. ver. 17.; cap. 3. ver. 19.

deris ex eo, morte morieris: pulvis es, et in pulverem reverteris.'"

Respondetur: Qui sentiunt omnes omnino homines expiraturos, negant huic sententiæ repugnare lectionem Græcam. Acacius Cæsariensis episcopus apud Hieronymum, "dormitionem[k] in præsenti loco, non mortem accipit, per quam anima a corpore separatur, sed peccatum post fidem et offensam Dei, dormitionemque post baptismum." Longe probabilius alii, in Græcis Œcumenii scholiis, "aiunt Apostolum dixisse, non dormiemus, de longa morte, quasi corruptione ac dissolutione opus esset. Siquidem in puncto temporis, et in nictu oculi, subitoque impetu, et mori, et resurgere, ne dormitionem quidem esse dicunt, ut locus ita sit accipiendus: *ὅτι μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα τὴν χρονικὴν κοίμησιν, ὥστε δεηθῆναι ταφῆς καὶ λύσεως τῆς εἰς φθορὰν, ἀλλὰ σύντομον τὸν θάνατον οἱ τότε εὑρισκόμενοι ὑπομενοῦσι, μὴ δεόμενοι χρονικῆς κοιμήσεως, διὰ τὴν παραυτίκα γινομένην ἀνάστασιν: πάντες δὲ ἀλλαγήσονται, τουτέστι ἀφθαρσιάν ἐνδύσονται.* quod non dormiemus sane diuturna dormitione, ut opus sit sepulchro, ac solutione ad corruptionem: sed brevem mortem sustinebunt qui tunc reperientur; quibus non erit opus diuturna dormitione, propter factam subito resurrectionem: omnes tamen immutabuntur, hoc est, induent incorruptionem. Alii conferentes locum hunc in quo ad sonitum extremæ tubæ suscitandi dicuntur homines, et immutandi puncto temporis, et in momento oculi; cum capite octavo et nono Apocalypseos, ubi ad sonitum sex primarum tubarum mors hominibus induci dicitur, non simul omnibus sed paulatim ac pedetentim: existimant illud *ἐν ἀτόμῳ, καὶ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ*, ad utrumque membrum referri posse, ut sit hic sensus." *Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, οἷον ἀποθανούμεθα ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, διὰ τὸ κατὰ μέρος ἐπάγεσθαι τὸ τέλος, κατὰ τὸν λόγον τῆς Ἀποκαλύψεως. πάντες μέντοι ἀλλαγησόμεθα ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι.* Non omnes quidem dormiemus sive moriemur in puncto temporis, in momento oculi, eo quod sensim inducatur mors juxta verbum Apocalypsis:

[k] Hieron. epist. ad Minerv. et Alex. op. tom. 4. par. 1. pag. 215.

omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, in extrema turba." Hæc Œcumenius. Gregorius Valentianus, hunc sensum esse dicit: "Die[l] illo novissimo quo veniet Dominus, non esse futuros omnes jam ante mortuos: omnes autem etiam qui tunc vivent immutatum iri;" non quidem per gloriam (non enim ea immutatio continget omnibus), sed per mortem atque adeo etiam per resurrectionem. "Vel aliter, inquit Franciscus Suarez, "quia[m] Græci textus non habent, Non omnes dormiemus, sed, Omnes quidem non dormiemus, quamvis juxta phrasim Græcam fortasse æquipolleant: possumus tamen Latine universaliter interpretari, hoc sensu; Omnes non dormiemus, id est, omnes evigilabimus, seu non perpetuo somno corripiemur, quod est ac si diceret, Omnes resurgemus. Vel denique (ut alii exponunt) ut illud 'non' positum sit pro 'non tantum', et sit sensus: Omnes non tantum dormiemus, sed etiam immutabimur a morte ad vitam. Similis enim modus loquendi non semel in Scriptura reperitur: ut Marc. cap. 9: 'Quicunque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me,' id est non tantum me, et 1. ad Corinth. cap. 7. (ut recte ibi notat Thomas) 'scripsi vobis non propter eum qui fecit injuriam, neque propter eum qui passus est, id est, non propter eos tantum: sed ad manifestandam solicitudinem nostram." Hactenus Franciscus Suarez. Quod igitur Sacroboscanus et Gretserus Græcam lectionem cum Scripturæ sententiis, quæ generalem omnium mortem confirmant, pugnare asserunt, falsum erit, si socios ipsorum audire libeat; qui lectionis hujus interpretationes bene multas nobis procuderunt, quarum si vel una consistat, totam hanc Stapletoni et Jesuitarum argumentationem concidere necesse est. Et Stapletonus[n] quidem primam illam quam ex Œcumenio retulimus expositionem commemorat: addit tamen, "non esse necesse in has quasi angustias Pauli verba compingere, et generalem omnium mortem a divinis Scripturis tam manifeste traditam propter corruptam Græ-

[l] Valent. tom. 4. commentar. in Thom. disput. 11. quæst. 3. punct. 3.

[m] Suarez. tomo 2. commentar. in 3. partem; Thomæ, disputat. 50. sect. 2.

[n] Stapleton. Antidot. in 1 Cor. 15. 51. pag. 817.

eam lectionem in discrimen vocare." Atqui si hæc expositio admittatur, non opus erit propter Græcam lectionem hujus loci, licet propter alterius loci, 1 Thessal. cap. 4. tam Græcam quam Latinam lectionem generalem omnium mortem in discrimen vocare, eripieturque Stapletono primarium illud argumentum (et quod alicujus sit momenti unicum) quo falsam° et corruptam convinci Græcam lectionem jactitabat.

2. Qui vero sentiunt eos, qui in adventu Domini superstites invenientur, non interveniente separatione animæ et corporis immutandos esse, jure negant, quod fingit Stapletonus, hac ratione "doctrinam de resurrectione mortuorum, quam hoc capite Paulus summo studio confirmat, in discrimen vocari," neque enim si a morte ordinaria nonnullos speciali quodam privilegio eximendos dicunt, de aliorum qui mortem sunt perpessi resurrectione dubitare sunt putandi. Estque hæc sententia multo magis quam altera illa Christianæ fidei symbolo consentanea. Imo vero inquit Stapletonus, "fides Christiana resurrectionem mortuorum credens, non nisi generalem illam esse intelligit." Nimirum ita intelligit esse generalem, ut omnium mortuorum sit communis, nec omnes tamen futuros mortuos pronuntiat, quum Christum venturum profitetur et vivos et mortuos judicatum. Addit Stapletonus, Paulum ipsum hanc omnium mortem generalem nullo excepto manifestissime tradere. Sed manifestissime hoc ab eo traditum non concedit Suarez Jesuita: neque omnino traditum admittit in ea, quam de hoc loco scripsit Apologia Erasmus Roterodamus. Nam ad illud quod hujus capitis versu trigesimo sexto dicitur: "Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur:" respondet non hoc agere hic Paulum, "ut ostendat neminem non moriturum, sed ut adhibita similitudine a rebus humanis, omnium sensui notissimis, doceat non esse incredibile quod Evangelica doctrina polliceretur. Etenim si quotidie videmus omnes, frigidum et aridum granum mortuum, ac terra veluti sepultum, posteaquam computruit, ceu redidivum emergere primum in herbam teneram

° Stapleton. ibid. pag. 814.

ac succulentam, mox in maturam segetem, idque juxta communem ordinem naturæ: cur dubitemus de Dei promissis, qui nostra corpora quamlibet humo putrefacta, sua peculiari virtute revocaturus est ad vitam, ac statum etiam feliciorem. Hoc igitur agit illic Paulus, quod multis videbatur incredibile, ut semel mortui, reviviscerent: Porro an pauci per occasionem sint perducendi necessitati communi, minimum habet momenti ad humani generis summam:" inquit Erasmus. Ad locum ex Epistola ad Hebræos objectum, idem responderi posse ait: "Paulum non illic agere de necessitate moriendi, quam nemo mortalium possit effugere, sed hoc agit, ut intelligamus homines, qui communi lege nascentium moriuntur, non mori nisi semel, neque jam post mortem semel obitam quicquam restare, nisi ut pro semente quam quisque fecerit in vita messem faciat. Atque hanc rem omnium sensu comprobatam et confessam, accommodat ad docendum Christi mortem, qua redemit hominum genus, nunquam esse iterandam, nec aliam hostiam expectandam pro peccatis humani generis. Nec aliud restare, nisi ut qui hic in corpore humano apparens semet ipsum immolavit Patri, moriens in cruce, idem suis appareat gloriosus et inclytus in adventu supremo, judicem omnium acturus, qui prius Servatorem omnium præstiterat, quod quidem in ipso fuit. Est enim hæc una ratio deprehendendi verum Scripturæ sensum, si diligenter observemus, quid agat illic, qui scripsit." Ita Erasmus.

Loci vero illius sententia 1 Cor. cap. 15. versu vigesimo primo et secundo citati ab Augustino optime est exposita: "neminem[p] ire in mortem, nisi per Adam; neminem ire in vitam æternam, nisi per Christum; ideoque dictum esse, et hic Omnes, et ibi Omnes, quia sicut omnes qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur; ita omnes qui vivificabuntur, non nisi in Christo vivificabuntur, quia[q] in mortem nemo nisi per illum, in vitam nemo nisi per istum, quia[r] sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo. Sicut per Adam omnes injusti,

[p] Augustin. epist. 167. op. tom. 2. pag. 591.
[q] Id. epist. 187. pag. 688. [r] Id. epist. 90. pag. 702.

ita per Christum omnes justi homines; sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii seculi, ita et per Christum omnes immortales in gratia fiunt filii Dei." Quod item ex Genesi objicitur; de communi mortalitatis conditione exponunt Veteres, qua factum est ut omnes morti sint obnoxii (quemadmodum monuit Franciscus Suarez) atque ad mortem perpetuo tendant, quod est continuum quoddam mori, ut dicunt Patres in illud Gen. cap. 2.: "In quacunque die comederis ex eo, morte morieris," quomodo et Bellarminus concedit, Virginem Mariam juxta Apostoli sententiam 2 Cor. cap. 5. "ergo omnes mortui sunt," mortuam dici posse (morte peccati) "quod obnoxia fuerit morti, et necessario moritura ex vi suæ generationis, nisi eam gratia prævenisset." Ita Chrysostomus[s]: "A quo tempore audierunt: Terra es, et in terram abibis; et sententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt: et ex illo tempore fuerunt perinde ac si quis illos dicat mortuos fuisse. Hoc igitur et Scriptura significans dixit; quocunque die comederis, morte moriemini: hoc est sententiam accipietis, mortales posthac vos futuros. Sicut enim in humanis judiciis, quando quis sententia lata ut capite mulctetur, iterum in carcerem conjicitur; et licet ibi multo tempore agat, nihil melius tamen habet defunctis et mortuis, utpote jam per sententiam mortuus: eodem modo et illi, ab eo die a quo mortalitatis sententiam acceperunt, tametsi longo tempore duraverint, nihilominus sententia mortui erant." Et Theodoritus[t], mortem hic appellatam scribit "τὸν τῆς θνητότητος ὅρον. id est, mortalitatis sententiam:" atque ad ejus rei confirmationem Symmachi interpretationem citat (ab Hieronymo[u] quoque laudatam) ᾗδ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, θνητὸς ἔσῃ. Quacunque die comederis de ligno hoc, mortalis eris. Hæc mors, inquit Augustinus[x] "ea die accidit, qua factum est quod Deus vetuit. Amisso quippe statu mirabili, corpus ipsum duxit morbidam et mortiferam qualitatem." Statu videlicet immortalitatis amisso (ut habet Gregorius[y]), cursus

[s] In Genes. cap. 3. homil. 17.
[t] Quæst. 38. in Genes.
[u] Hieronym. Tradit. Hebraic. in Genes.
[x] Augustin. de Genes. ad literam, lib. 11. cap. 32.
[y] Gregor. lib. 25. Moral. cap. 2.

eum mortalitatis absorbuit." Denique ad generales Scripturæ sententias, quæ de communi morte loquuntur, recte responderi posse monuit Erasmus: "Paucorum prærogativam non officere legi communi, quemadmodum aliquoties admonet Origenes." Cui etiam addimus Francisci Riberæ sententiam: "Sicut[z] paucorum privilegium non derogat legi communi, præsertim cum sine privilegio illo necesse erat eos lege illa contineri; ita nec verba legis, aut locutionis mutare, etiamsi universalia sint." Non est igitur necesse, ut locutionibus illis quæ mortem generalem proponunt, excludi dicamus illorum privilegium qui in die judicii extremi superstites invenientur; præsertim cum illi ipsi et mortales fuerint, et morituri etiam, nisi casu illo ab actuali morte fuissent erepti.

Sed objicit Stapletonus: "Ad illos solos Paulum in his verbis respexisse, aut propter illos solos mortem generalem hoc loco negasse, nullo modo fieri verisimile; quum talis negativa generalis multo latius patere debeat, quam ad solius unius diei solos superstites fideles." Verum hæc objectio nihil est. Ut enim demus alias negativam generalem multo latius patere debuisse quam ad solius unius diei solos superstites fideles, quod affirmat tantum, non probat Stapletonus, tamen nemo hoc daturus est, ubi de rebus unius illius diei sermonem ex professo institutum videt. Agit autem hic Apostolus de die illo extremo, quo Dominus venturus est ad judicandum vivos et mortuos: quo et hanc de qua agit immutationem futuram scribit, "in[a] momento, in ictu oculi, ad novissimam tubam." At in Calvinum hic invehitur Stapletonus: qui in commentariis ad hunc locum, ita nodum hunc solvendum censet. "Quum mutatio fieri nequeat quin aboleatur prior natura, ipsam merito censeri speciem mortis: sed quum non sit animæ a corpore solutio, non reputari in morte ordinaria. Erit igitur mors, quia erit corruptibilis naturæ interitus; non erit dormitio, quia anima non migrabit a corpore: sed erit subitus transitus a natura corruptibili in beatam immortalitatem." Contra hanc Calvini solutionem, duo objiciuntur a

[z] Riber. commentar. in Hebr. 11. sect. 43. [a] 1 Cor. cap. 15. ver. 51.

Stapletono. "1. quod mortem in epistola ad Hebræos, cap. 2. vult esse corruptibilis naturæ interitum, id est ut ipse (Calvinus) in sequentibus exposuit, subitum transitum a natura corruptibili ad beatam immortalitatem." Id vero admodum absurde dici sic probat Stapletonus. "Si ad Hebr. cap. 2. mors hunc sensum habet; ergo Pauli verba, Omnibus constitutum est semel mori, hunc sensum habere debent, omnibus constitutum est a natura corruptibili in beatam immortalitatem transire, id est, Omnes debent esse beati, idque nulla interveniente separatione animæ a corpore seu vera morte. Quis non videt Paulum ibi generalissime loqui de morte tam impiorum quam piorum fidelium?" Hæc Stapletonus.

Respondetur: Verum quidem est, id voluisse Calvinum in nono capite epistolæ ad Hebræos (pro quo Stapletonus in primi hujus argumenti tractatione quinquies secundum caput citavit) per mortem significatum esse corruptibilis naturæ interitum: sed interitum hunc ab illo esse expositum, "subitum transitum a natura corruptibili ad beatam immortalitatem" (quod Stapletonianæ absurditatis est fundamentum) delirantis Stapletoni somnium est. Calvinus mortem in genere definivit esse corruptibilis naturæ interitum, ejus duas constituit species, unam ordinariam (quæ et dormitio in Scripturis appellari soleat), quæ fit "per animæ solutionem a corpore:" Alteram extraordinariam, quæ in extremo die futura est per "subitum transitum a natura corruptibili in beatam immortalitatem." Cum enim per mutationem hanc contingat prioris vitæ, nempe naturalis seu animalis, cessatio et corruptibilis naturæ abolitio: non immerito speciem quandam mortis esse censendam judicat, quomodo et Veteres[b] translationem hanc a statu mortali ad immortalem, pro resurrectione habendam censuerunt. Mortem vero illam generalem (de qua in capite nono ad Hebræos agitur) Calvinum interpretatum esse a natura corruptibili in beatam immortalitem transitum (quam ille mortis speciem merito censendam asserit) nemo mentis sobriæ animum inducere poterat ut crederet.

2. Altera Stapletoni objectio petita est ex 2 Cor. cap. 5.

[b] Chrysost. in 1 Corinth. cap. 15. homil. 42.; Tertullian. de Resurrect. Carnis, cap. 42. et ibi Pamel. not. 294.

ver. 4. ubi Paulus "distinguit mortem a naturæ corruptibilis transitu in beatam immortalitatem. Illam vocat exspoliationem quam omnes naturaliter defugimus, sed frustra. Hunc vocat supervestiri: quod omnes etiam appetunt, sed appetitu inani, quia omnibus semel constitutum est mori." Respondetur: Nihil habetur hoc in loco quod faciat contra Calvini sententiam. Distinguit enim tantum Apostolus, inter exspoliationem illam, quæ fit corpore ab anima separato; et superindumentum, quo salva conjunctione animæ et corporis, fit naturæ corruptibilis transitus in beatam immortalitatem. Quæ duo tantum abest ut confundat Calvinus: ut mortis, late acceptæ, duas distinctas species constituat. Neque posterius illud inani appetitu desiderari affirmat Apostolus, quasi quod in nullos homines possit cadere, quia "omnibus semel constitutum est mori:" imo vero futuram potius hujusmodi mutationem absque mortis ordinariæ interventu, ex hoc loco cum altero prioris ad Thessalonicenses epistolæ collato, confirmat Tertullianus:—"Divisionem (inquit ille[c]) facit Apostolus, quum subjicit: 'Nam[d] et in hoc ingemiscimus; domicilium nostrum quod de cœlo est, superindui desiderantes, siquidem exuti non nudi inveniamur:' id est ante volumus superinduere virtutem cœlestem æternitatis, quam carne exuamur. Hujus enim gratiæ privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, et propter duritias temporum Antichristi merebuntur compendio mortis per demutationem expunctæ concurrere cum resurgentibus, sicut Thessalonicensibus scribit 'Hoc[e] enim dicimus vobis in sermone Domini, quod nos qui vivimus, qui remanemus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.'" Hieronymus quoque, epistola[f] ad Marcellam, locum 2. Cor. cap. 5. cum illo 1. Thessal. cap. 4. similiter comparat. Denique Cardinalis Cajetanus in commentariis ad quintum illud caput posterioris ad Corinthios epistolæ, sententiam elicit illi Stapletonianæ ex diametro oppositam, cujus verbis responsionem hanc ad primum et præcipuum Adversariorum argumentum placet concludere:

[c] In libro de Resurrect. carnis, cap. 41. [d] 2 Cor. cap. 4. ver. 2.

[e] 1 Thessal. cap. 4. ver. 13.

[f] Hieron. epist. 59 [olim. 148] Opp. tom. i. ed. Vallars.

"Cur non dixerit indui, sed superindui[g], ipsemet Paulus explanat subjungens, 'Si tamen vestiti et non nudi inveniamur.' Dixi quod cupimus superindui, explicando affectum non rei impossibilis, sed rei possibilis, quæ in quibusdam implebitur pure. Quod ut intelligas, scito differentiam inter indui et superindui domicilium quod est e cœlo consistere in hoc, quod indui est animam separatam uniri corpori glorioso, anima enim separata est velut anima nuda non vestita corpore. Et hoc appellavit Paulus habere, quum dixit, si terrestris dissoluta fuerit habemus ædificationem, etc. Superindui vero est animam nunquam a corpore separatam donari gloriosa immortalitate corporis. Anima enim juncta corpori est velut anima, vestita, et superinduitur corpore glorioso quatenus gloriosum est, quum absque dissolutione a corpore donatur gloria immortalis et impassibilis corporis, utroque modo habebimus corpora gloriosa, nam electi modo migrantes, nudi invenientur tempore resurrectionis, et induentur corpore glorioso. Electi vero residui in adventu Domini invenientur vestiti, utpote habentes corpus, et superinduentur: quia absque hoc quod moriantur, induentur gloriam immortalis et impassibilis corporis. Quod apta similitudine appellatur superindui: quia super vestem corporis adjacentem adjungitur velut supremum indumentum. Quia inquam possibilis res est superindui gloriam impassibilitatis corporalis, et de facto quibusdam concedenda, ideo (dicit Paulus) dixi superindui. Si tamen vestiti corpore, ut residui in adventu Domini, et non nudi, corporea extra veste, inveniamur, tempore adventus Domini quo corporali donabimur gloria." Hactenus Cajetanus.

Secundum argumentum corruptionis (Græcæ lectionis, 1. Cor. cap. 5. ver. 51.) affert Stapletonus. "Quod in proxima prorsus sententia subjungit Paulus:—'In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur.' Hic enim præcedens sententia veluti repetitur et explicatur, mortui quidem resurgent incorrupti, id est integro corpore omnes quoad reparationem naturæ. Nos vero electi et glorificandi immutabimur, statu videlicet

[g] 2 Cor. cap. 5. ver. 2.

miseræ mortalitatis ad statum immortalitatis beatæ, ut vera sit præcedentis sententiæ lectio vulgata in utroque suo membro. Omnes resurgemus: quia mortui resurgent incorrupti, non omnes immutabimur, quia nos electi immutabimur non alii." Hæc Stapletonus. Similiter Christophorus de Sacro-bosco, et ex eo Gretserus: "Si Pauli mens ex Paulo investiganda sit, vide quod sequitur: 'In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur,' ubi manens in eadem antithesi Paulus, sicut prius prædixerat omnes morituros, sed non immutandos omnes; ut intelligeremus de qua mutatione esset sermo, subjungit explicando, et repetendo priorem sententiam: mortuos quidem omnes resurrecturos incorruptos; sed solos electos immutandos, ad statum videlicet meliorem." Et Emanuel Sa in notatione ad istum versum quinquagesimum secundum: "Hinc apparet, legendum supra. Non omnes immutabimur, et non ut Græca nunc habent." Ita Thomas Aquinas in fine octavæ lectionis ad 1. Corinth. cap. 15.: "Secundum hunc modum exponendi apparet, quod melior est litera illa quæ dicit, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, quam illa quæ habet, omnes immutabimur: quia licet omnes resurgant, tamen soli sancti et electi immutabuntur." Ne quis tamen alteram lectionem velut ab Apostolica sententia alienam abjudicaret, addit ingenue:—"Posset tamen etiam secundum illos qui habent; non omnes quidem moriemur, sed omnes immutabimur; legi sic: mortui resurgent incorrupti, id est, ad statum incorruptionis: et nos qui vivimus licet non resurgamus, quia non morimur tamen immutabimur de statu corruptionis ad incorruptionem. Et videtur consonare iis quæ dicit 1. Thessal. cap. 4. Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, etc.: ut sicut et ibi et hic connumeret se vivis." Hæc Thomas. Et optime sane huic loco cum altero illo ad Thessalonicenses convenit: ut singula fere membra singulis utrobique aptissime respondeant, quod etiam observavit Origenes[h], in tertio volumine ἐξηγηματικῶν epistolæ ad Thessalonicenses primæ, hunc in modum scribens. "Hoc quod

[h] Apud Hieronym. epist. 119 [olim. 152.] ad Minervium et Alexandr.

in præsenti loco (ad Thessalonicenses) scriptum est; 'In tuba Dei descendet de cœlo:' compara illi quod ad Corinthios dicitur; 'in novissima tuba; canet enim tuba:' illi autem quod ad Thessalonicenses legitur; 'et mortui in Christo resurgent primi:' hoc quod ad Corinthios scriptum est; 'et mortui resurgent incorrupti.' Porro quod sequitur. 'Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus:' illi respondet; 'et nos immutabimur.'" Ne minus apte cohæret hæc sententia 1. Cor. cap. 15. ver. 52. cum ea quam versu præcedente Græca exhibet lectio, quod doctissimi Erasmi malo quam meis verbis exponere: "Quum igitur Paulus explicaturus modum resurrectionis dixisset, non omnes quidem morituros, sed tamen omnes immutandos ad immortalitatem, et eo qui revixerint, et eos quos subitus adventus Christi deprehenderit in vita: quod in genere proposuerat, pergit explanare distinctius. Perinde enim quasi quispiam interrogasset, qua ratione fiet, ut simul immutentur vivi cum mortuis; docet rem mira celeritate gerendam esse, nimirum ad nutum Dei, qui omnia potest non naturæ viribus, quæ lento molimine peragit, quod agit. In momento inquit, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, et simul utrumque fiet. Quod utrumque? Primum mortui reviviscent, nec reviviscent iterum morituri, sed jam incorruptibili corpore. Atqui paulo ante, Paule, dixeras quosdam non morituros; quid de illis futurum est? ad hoc respondens: et nos, inquit, immutabimur, sive ponens seipsum inter eos quos adventus Domini deprehensurus esse in vita, sive personam illorum in se transferrens docendi gratia." Hæc in Apologia Erasmus. Quibus et eam quæ in Œcumenii catena habetur expositionem addere liceat. "Canet enim tuba illa tremenda, et mortui resurgent, immutati videlicet et incorrupti: et nos, hoc est qui ad id tempus relinquimur viventes: nam de illis et non de seipso dicit: et nos igitur immutabimur. In his enim non erit suscitatio; quum non dormierint: sed tantum immutatio. Mortui quidem qui antea mortui fuerant, suscitabuntur incorrupti: at ii qui tunc vivent quomodo suscitabuntur? solum velut in momento immutabuntur ad immortalitatem."

17. 1. Tim. cap. 6. ver. 20. Ubi Græcus textus habet

κενοφωνίας, quasi vani-loquia, sive de rebus inanibus clamores, Author editionis Vulgatæ Latinæ, eumque secutus Vincentius Lirinensis cum aliis, "vocum novitates" reddidit, ac si in Græco legisset *καινοφωνίας*. "Sic vero S. Chrysostomus legit et exponit 'contra hæreticas et erroneas novitates.' Nunc tamen Græcum nullum exemplar novimus quod ita legat:" inquiunt Anglo-Rhemenses[i]. Respondetur: in Græco Chrysostomi contextu *κενοφωνίας* legimus: nec in loci hujus interpretatione omnino vocem hanc de hæreticis et erroneis novitatibus exponit, alias vero alicubi (ut videtur) *τὰς νεωτέρας παραινέσεις καινοφωνίας εἶπε*, sententias recentiores vocavit noviloquia: unde Œcumenio et Theophylacto visus est legisse *καινοφωνίας* per *αι* diphthongum; sed visus est tantum. Neque enim necesse est ut ad hunc locum eum dicamus respexisse potius quam ad alterum 2. Tim. cap. 2. ver. 16. Ibi enim et Chrysostomus et Græca scholia, *καινοφωνίας* legunt et exponunt, ut et Augustinus[j], ubi nostra Græca exemplaria etiam *κενοφωνίας* habent, consentientibus quoque veteribus interpretibus Latino et Syro, itemque Origene (vel quisquis fuit author seu interpres libri illius qui Cypriano tribuitur, De singularitate clericorum,) Theodoreto, Sedulio, Primasio, et Hieronymo (vel Pelagio potius) in 2. Tim. cap. 2. In hoc vero quem præ manibus habemus loco, Theophylactus et Œcumenius *κενοφωνίας* legunt, et *τὰς ματαιολογίας* interpretantur. Et his longe antiquiores Clemens Alexandrinus[k], et Gregorius Nazianzenus[l], *κενοφωνίας* legunt: licet Pontificii interpretes, Clementis quidem Gentianus Hervetus, Nazianzeni Jacobus Billius, "vocum novitates" in Latinis suis versionibus substituerent[m]. Quin et Syrus interpres ܒܢܬ ܩܠܐ ܣܪ̈ܝܩܬܐ reddidit, quasi filias vocum inanium dicas, hoc est, voces sive propositiones inanes.

Non negamus tamen veterem interpretem Latinum in suo

[i] Præfat. in Nov. Testam. sec. 44.

[j] Tractatu 97. in Johannem, et libro 4. contra Faustum Manichæum, cap. 2.

[k] Lib. 2. Stromatum, pag. 165. edit. Græcæ Commelinianæ.

[l] Initio orationis 33. [ed. Ben. Orat. 27. tom. i. p. 488. A.] quæ de Theologia 1a. est (pag. 529.) edit. Græcolat. Paris. 1630.

[m] Rationem reddit Billius, nota 3. in hanc orat. quam vide, ut et Græcos scholiastas. [Novi editores autem "inania verba" substituunt.]

codice videri legisse, *καινοφωνίας*: quod etiam secutus est Irenæus[n], et Augustinus[o]; facileque concedimus Alphonso Salmeroni[p], "utramque lectionem bonam esse:" ita tamen ut cum Erasmo et Cardinale Cajetano eam quæ *κενοφωνίας* habet, meliorem judicemus.

18. Hebr. cap. 10. ver. 34. "Ubi editio Latina habet; 'nam et vinctis compassi estis:' Græca omnia Roberti Stephani, præter duo, cum Erasmo legunt, Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου, nam et vinculis meis. Contra Œcumenius, Theophylactus, Theodoretus, et Chrysostomus legunt *δεσμίοις*, id est, vinctis. Suffragantur huic lectioni veteri unum Regium ξ inscriptum, et alterum Roberti Stephani. Eodem modo legit et Ecclesia Syra." Hæc Lindanus[q], qui hoc ipsum etiam repetit capite duodecimo, cui titulum fecit: "Quod Latinis codicibus a Græcis hodiernis concorditer dissentientibus, illi nobis sunt, non hi sequendi." Verum si Franciscum Riberam audiamus, dupliciter in hac objectione peccat Lindanus: tum quod error, si quis tandem ostendi possit, non universalis sit, cum, ipso etiam Lindano fatente, duo manuscripta exemplaria *δεσμίοις* legant: non quidem unum Regium ξ inscriptum, sed utrumque e regis Gallorum Bibliotheca petitum, literis ε et ζ a Roberto Stephano notatum: tum etiam quod authores, quorum testimoniis errorem convincere conatus est, bona fide ab ipso non fuerint citati. "Sciendum est" (inquit in commentariis ad hunc locum, Franciscus Ribera) "in Græco legi: 'Nam et vinculis meis *δεσμοῖς μου*, compassi estis:' atque ita legunt omnino Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Ex Theodoreto non potest intelligi, an ita legerit; aiuntque illi Hebræos non solum alios adjuvisse, sed ipsum etiam Paulum in vinculis manentem. Verum alii codices etiam Græci pro *δεσμοῖς μου* habent *δεσμίοις*, id est, vinctis, sicut legit interpres, et translatio Syriaca, in qua est: Et dolorem passi estis, propter eos, qui erant vincti." Cardinalis vero Cajetanus juxta alteram illam lectionem Latinam interpre-

[n] Lib. 2. adversus hæreses, cap. 19. [o] Tractatu 97. in Johannem.
[p] Salmer. tom. 15. in 1. Tim. 6. disput. 17.
[q] Lib. 2. de optimo genere interpret. Script. cap. 10.

tationem emendandam judicat, ut pro "vinctis," legatur "vinculis meis." Et Sixtus Senensis[r] hoc argumento, epistolæ ad Hebræos Paulum potius quam Clementem authorem fuisse confirmat, quod "vinculorum suorum mentionem faciens, juxta Græcam veritatem sic in capite decimo scribit: *καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε*. Hoc est, siquidem et vinculis meis compassi estis." Sic etiam Alphonsus Salmeron[s]:—"Græca habent: 'Nam et vinculis meis' Ex quo Valla solide colligit, hujus epistolæ autorem fuisse Paulum. Quis enim alius in Italia vinctus erat, aut ministro Timotheo utebatur." Ita Vallæ judicium suo calculo comprobat Jesuita: ita tamen ut verba quibus is sententiam suam expresserit consulto supprimenda putarit. Ea vero ne nescias, in hunc se habent modum. "Pudendum est (inquit) vicem Latinorum, qui ita sacrorum librorum veritatem corrumpi permiserunt, ne dicam corruperunt, nam hic locus præcipue probat hanc epistolam esse Pauli; cum dicat Compassi estis vinculis meis, non vinctis, *δεσμοῖς μου*."

19. Apocal. cap. 1. ver. 5. *Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, ὁ προτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς· τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ ἅιματι αὐτοῦ, καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ· αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Quæ Vetus Interpres ita expressit: "Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ: qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo, ipsi gloria et imperium in secula seculorum." Blasius Viegas, in Apocalypseos caput primum, existimat "vitiatam esse Græcam lectionem, et in vetustis exemplaribus, quibus usus est interpres, non fuisse *τῷ ἀγαπήσαντι καὶ λούσαντι*, sed vel *τοῦ ἀγαπήσαντος καὶ λούσαντος*, ut referatur ad *Ἰησοῦ Χριστοῦ*, vel *ὁ ἀγαπήσας καὶ λούσας*, ut jungatur cum *ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, ὁ προτότοκος*. "Nisi quis (inquit)

[r] Libro 7. Bibliothecæ Sanctæ, hæres. 8.

[s] Tomo 15. in epist. ad Hebr. disputat. 19.

malit cum Aretha dicere τῷ ἀγαπήσαντι καὶ λούσαντι ad sequentia spectare, jungendumque cum illis verbis, 'ipsi gloria et imperium:' ut sit sensus, ei qui dilegit nos et lavit nos in sanguine, ipsi gloria et imperium in secula seculorum." Sed quoniam "ea expositio coacta videtur, et non admodum vulgatæ editioni consentanea," priorem responsionem sibi magis probari affirmat Jesuita. Similiter et ejus socius Franciscus Ribera[t], de Vulgata lectione Latina scribit: "Hanc lectionem et recentiores enarratores, et veteres probant ac sequuntur: adeo ut Victorinus etiam, qui Valeriano et Galieno Imperatoribus floruit, anno Domini 270, eodem modo sine dubio legerit: non enim de Patre interpretatur, Dilexit nos et lavit nos, sed de Christo. Ex quo constat Latinos codices sine dubio Græcis, qui nunc extant, esse longe emendatiores, et ita olim habuisse Græcos vetustiores. Etenim etiamsi cum Aretha affirmaremus, verba hæc referri ad ea quæ sequuntur, Ipsi gloria et imperium, etc., ut sit sensus Ipsi gloria et imperium qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris, durissime id etiam diceretur; cum inter hæc et illa, Ipsi gloria, etc., hæc interjecta sint: Et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo, et Patri suo. Vitiata sunt ergo Græca exemplaria, et vera atque castigata noster interpres, ut semper solet, secutus est; semper enim vertit ut in Græco invenit, nec potuit quisquam in re tam aperta errare. Sed neque Apostolus scribere potuit quod nihil ad cætera verba pertineret." Hæc ille.

Respondetur: Si vetus interpres vertit, "qui dilexit nos et lavit nos:" eaque verba non de Patre sed de Christo interpretatus est Victorinus, (quanquam ille quidem hæc verba neque omnino recitavit neque interpretatus est: quantumvis id extra omne dubium ponat Jesuita): non tamen sequitur sine dubio vel Latinum interpretem, vel enarratores eum secutos, in Græcis quibus usi sunt codicibus diversam a nostra lectionem reperisse, non magis profecto quam nostris temporibus Theodorum Bezam Græcum textum aliter legisse: quod eodem modo verterit "qui dilexit nos et lavit nos:" atque de Christo, non de Patre intellexerit. Ut non

[t] Commentar. in Apocalyps. cap. 1. sect. 42.

dicam, quam illa absona sit conclusio: quia Græca lectio Vulgatæ editioni Latinæ non admodum sit consentanea (licet nec admodum dissentanea) constare igitur, "Latinos codices sine dubio Græcis, qui nunc extant, esse longe emendatiores." At si cum Aretha dicamus hanc esse loci hujus syntaxin: *Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι.* "Ipsi gloria et imperium, qui dilexit nos et lavit nos per sanguinem:" id Jesuitis coactum videtur, et dictum durissime. Atqui longe aliter visum non modo Arethæ, sed etiam Andreæ Cæsareensi episcopo, authori imprimis bono, qui sic locum est interpretatus. *Τούτῳ* (*φησὶν*) *ἡ δόξα πρέπει τῷ δι' ἀγάπην τῶν δεσμῶν τοῦ θανάτου ἡμᾶς λύσαντι, καὶ ἐκ τῶν τῆς ἁμαρτίας κηλίδων λούσαντι τῇ ἐκχύσει τοῦ ζωοποίου αἵματος αὐτοῦ καὶ ὕδατος, καὶ ποιήσαντι ἡμᾶς βασίλειον ἱεράτευμα.* "Illum (inquit) decet honor, gloria, et imperium; qui ardenti caritate incensus, sua morte genus nostrum a mortis vinculis liberavit, sanguinisque vivifici et aquæ effusione, a peccatorum sordibus nos abluit, ac in regium sacerdotium cooptavit." Quod vero ait Ribera, Apostolum scribere non potuisse, quod nihil ad cætera verba pertineret, ubi verba tantum dat Jesuita[u]. Nec enim quicquam hic potest ostendere, quod ad cætera nihil pertineat; neque omnino quicquam affert, cur Arethæ expositio durissima videri possit; nisi quod inter hæc verba, *τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς*, etc.: ac illa, *αὐτῷ ἡ δόξα*, etc.: hæc interjecta sint: *καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ.* Verum hunc scrupulum exemit ipse Arethas, et quomodo ista inter se cohærerent optime ostendit: quando notavit, *προσυπακουστέον πρὸς τὸ ἐποίησεν, τὸ, ὅς, ἀναφορικὸν ἄρθρον, ἵνα ᾖ, ὃς ἐποίησε*: "Subaudiendum ad verbum fecit, qui relativum, articulum ut sit sensus; qui fecit." Quemadmodum in ipso quinti versus initio, ubi scriptum est, *Καὶ ἀπὸ Ἰήσου Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς*, idem subintelligendum monuit, *ὅς ἐστιν*: quod Latinus interpres in sua versione expressit: "Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis." Similiter et Johannes Gagneius, licet Græco textui

[u] Vid. Alcasar. in Apocalyps. pag. 193. 194.

solœcismos hic impingat, hoc tamen in loco articulum subaudiendum esse vidit, ac si fuisset dictum, *ὅς καὶ ἐποίησε*. Neque id durum videbitur iis, qui norint Apostolis esse perquam familiare, ut ex Hebræorum more, id est ex gentis suæ idiotismo, relativa pronomina in oratione subintelligenda relinquant; cujus generis sunt illa a Beza notata; Ephes. cap. 2. ver. 5., 1. Jacob. cap. 5. ver. 6., 1. Petr. cap. 14. ver. 1., 1. Joh. cap. 3. ver. 12. Quod si Hebraicam ellipsim admittere nolint Jesuitæ, discant saltem ab Aretha, quodnam illud est schema, quod Græci appellant *'αλλοίωσιν· Γίνεται δὲ τοῦτο* (inquit) *ὅτε τῇ προκειμένῃ φράσει ἡ ἐπιφερομένη ἔννοια μὴ ὁμοιοπτώτως τοίς φθάσασιν ἐπενεχθῇ, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἐπαγομένην ἔννοιαν μεταληφθῇ. δοτικῆς γὰρ πτώσεως προλειφθείσης ἐν τῷ Λούσαντι ἡμᾶς ἐπήγαγε, τὸ 'Εποίησεν ἡμᾶς, ἐλλειπτικῶς τοῦ ἀναφορικου ἄρθρου, ἦν γὰρ τὸ ἀνελλιπὲς οὕτω, Τῷ λοῦσαντι ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, καὶ ποιήσαντι ἡμᾶς, κἂν μέν ἡ ἐπιφερομένη ἔννοια ὁμοιοπτώτως ἐπηνεκτο οὕτω προαγομένη, ᾧ καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς, οὐδὲν νὺν ἡμῖν περὶ τούτου προύκειτο ζήτημα· ἐνέργειαν δὲ ὑποστήσαντος διὰ τοῦ, 'Εποίησε, ῥήματος, ἀναγκαίως ἐπ' ἐυθείαν πτῶσιν ἀποκλίνομεν, τὸν ἐνεργοῦντα ἐπιποθοῦντες μαθεῖν· τούτου δὲ πῶς ἄν ἐτυγχάνομεν μὴ τῆς ὀνομαστικῆς πτώσεως παραλαμβανομένης; δι' ὅπερ τὸ ἐλλειπὲς ἄρθρον, ἡ ὀνομαστικὴ ἐυθεῖα παρέσχεν οὕτως ἐξακούεσθαι ἀνελλειπῶς, "Ος καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν*, hoc est, Johanne Hentenio interprete, “ Fit autem id, quando ad phrasim propositam subjungitur sententia quæ non coincidenter ad ea quæ expressa sunt profertur, sed ad subsequentem intelligentiam commutatur. Siquidem ad dativum casum qui præpositus fuit in particula *λούσαντι ἡμᾶς*, id est, lavanti nos, subjunctum est *ἐποίησεν ἡμᾶς*, id est, fecit nos, cum defectu articuli relativi, absque defectu vero ita positum fuisset, *τῷ λούσαντι ἡμᾶς καὶ ποιήσαντι ἡμᾶς* nempe utrumque dativum. Quod si etiam subsequens sententia coincidenter subjuncta fuisset in hunc modum : *ᾧ καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς*, id est, per quem etiam fecit nos : nulla tunc fuisset nobis relicta quæstio. Porro actionem quam protulit in verbo *ἐποίησε* necessario declinamus ad casum rectum, discere cupientes quis sit qui efficiat. Id autem quomodo consecuti sumus, nisi assumpto nominandi

casu, propter articulum qui deerat? Nam hoc modo nominativus rectus id effecisset, ut absque defectu intelligeretur *ὅς καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν*, qui etiam fecit nos regnum, etc." Hæc prolixe Arethas episcopus de hujus loci sententia disseruit: a quo Riberam nostrum si non Theologiam, at Grammaticam didicisse oportuit, prius quam tanta temeritate Latinos codices, Græcis qui nunc extant, longe emendatiores assereret. Meminisse saltem debuerat sententiæ, quam ipse de Erasmo et Gagneio paulo ante tulerat: qui Græca verba versu quarto, *ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*, nullum sensum habere affirmarunt. Id vero dictum, et incivile fuisse et audax, non immerito pronuntiavit Ribera: "Apostolus enim (inquit) ipsa Græca verba scripsit, quæ si nullum sensum habent, nihil ille dixit, nihil dixit Spiritus Sanctus, quod si turpe dictum est, dicamus potius Erasmum et Gagneium nihil dixisse." Dicamus et nos quoque Riberam nihil dixisse; dicamus etiam et incivilem et audacem fuisse, nisi ostendat verba Græca, quæ corruptelæ hic accusat, majis esse *σόλοικα* quam illa altera; cum nemo tamen negare possit priora illa longe magis esse *σολοικοφανῆ*: vel, quod nondum ab eo factum, nec a quoquam fiet, aliud aliquod argumentum in medium proferat, ex quo constare possit, Apostolum illa potius quarti quam hæc quinti versus scripsisse.

20. Postremus locus habetur Apocalyps. cap. 11. ver. 2. ubi Anglo-Rhemenses objiciunt, nostros interpretes "transtulisse[x] non Græcum textum, 'Atrium quod intra templum est:' sed sententia plane contraria, juxta editionis vulgatæ Latinæ lectionem, quam Beza veram esse dicit, 'Atrium quod est foris templum,' nisi quod Anglicana tantum Biblia, anno 1562. edita, Græci contextus errorem sunt secuta." Respondetur: Qui transtulerunt hic "Atrium quod extra templum est," non sic secuti sunt Latinam editionem, ut Græcos codices deseruerint. Ut enim quædam Græca exemplaria legunt *ἔσωθεν*: ita quædam habent *ἔξωθεν*: quemadmodum monuit Nicolaus Zegerus in Scholiis, et Cuthbertus Tonstallus vel quisquis ille fuit qui notulas ad

[x] Præfat. in Nov. Testam. sec. 37.

commentarios in Apocalypsim[y], quæ Ambrosio tribuuntur apposuit. Complutensia Biblia quæ ex fide vetustissimorum codicum a Card. Ximenio sunt edita, et Biblia Regia ab Aria Montano adornata, similiterque editiones Novi Testamenti Lugduno-Batavicæ, et Parisiensis ann. 1584 legunt: *τὴν αὔλην τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξωθεν.* Genevenses editiones et . . . . . . *τὴν αὔλην τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω*: quomodo habet textus qui cum commentariis Andreæ Cæsareensis, Heidelbergæ, et Arethæ, Veronæ, excusus est. Quanquam enim textus Andreæ, qui in manuscripto codice Augustanæ Bibliothecæ extat *τὴν αὐλὴν τὴν ἔσωθεν* hic legat (quod a Friderico Sylburgio notatum est:) rectius tamen habere alia exemplaria, ex ipsius Andreæ commentario intelligimus, ubi *τὴν ἔξωθεν αὔλην* et *αὐλὴν ἐξωτέραν* expresse nominat. Ita cum authore editionis Vulgatæ Latinæ "Atrium[z] quod est foris templum, ejice foras:" legunt Paula et Eutochium, vel potius earum nomine B. Hieronymus; Tichonius[a] (falso creditus Augustinus) Homilia octava in Apocalypsim, Gregorius[b], Haymo, Rupertus, Anselmus, et Simon Baringuedus (cujus commentarii B. Ambrosio perperam suppositi) in explicatione undecimi capitis Apocalypseos. Primasius habet: "Aram autem quæ est a foris templi, ne metiaris." Victorinus Pitabionensis: "Aulam autem exteriorem ejice foras." Gregorius[c] et Beda "Atrium[d] autem quod est extra templum, ejice foras." At Erasmi codex, et quindecem MS. exemplaria, quibus usus est Robertus Stephanus, legunt: *τὴν αὐλὴν τὴν ἔσωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω*, atque ita ubi Latina versio habet: "Atrium autem quod est foris templum:" ad marginem Bibliorum quæ cum Glossis et Postilla Lyrani edita sunt Venetiis, anno 1588. notatum est "intra:" tomo vero primo Bibliothecæ Patrum edit. Parisiis, anno 1589. col. 1308. notatum est amplius (a Peltano Jesuita, ut videtur): "rectius intra tem-

[y] Tom. 3. oper. Ambros. edit. Paris. an. 1586. col. 888.

[z] Hieron. epist. (ad Marcellam) 44. op. tom. 4. par. 2. pag. 549.

[a] Aug. op. tom. 3. app. pag. 169.

[b] Gregor. Mor. lib. 28. cap. 6. op. tom. 1. pag. 900.

[c] Gregor. in Ezechiel. lib. 1. hom. 12. op. tom. 1. pag. 1295.

[d] Beda in Apocalyps. cap. 11.

plum." Et rectior fortasse visa est illa lectio, quod magis congruere videretur, ut internum atrium potius quam quod jam ante extra fuit, foras ejici diceretur. Porro "ad sensum haud magni referre utrum legas;" affirmat in scholiis suis Nicolaus Zegerus. Et certe Johannes jubetur tantum metiri "Templum Dei" (ipsam videlicet domum) proprie ita dictam[e], quæ Sanctum Sanctorum et Sanctum comprehendebat, seclusis quæ circum illam erant, atriis) "et altare" (quod erat in atrio interiori) "et adorantes in eo:" atria vero nequaquam sive "exterius" quod populi dicebatur, sive etiam "interius," ubi positum fuit altare illud, in quo omnes victimæ immolabantur, et quod solis templi ministris qui serviebant altari, patebat; eoque nomine "intra templum" contineri (paulo latius sumpto Templi vocabulo) dici posset.

Atque ita, per Dei gratiam, prima pars Disputationis de Sacræ Scripturæ editionibus ad exitum perducta est: et Fontium integritas variis Adversariorum accusationibus vindicata. Quod studium si hominibus doctis et piis (quibus solis placere cupio) probari intellexero: major dabitur animus, ut vel in instituto Latinæ editionis examine pergam, et quod hujus Disputationis erit reliquum absolvam; vel aliud aliquod argumentum, quod magis ex re studiosorum Theologiæ futurum videbitur, deinceps aggrediar. Interim vero Benigne Lector,

—— Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

[e] 1 Reg. cap. 6. ver. 2.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ,

ANNO MDCVII.

INITIO TERMINI SS. TRINITATIS IN ACADEMIA DUBLINIENSI

HABITÆ,

NUNC PRIMUM EX AUTOGRAPHO REVERENDISSIMI AUCTORIS EXCUSÆ.

---

2 Tim. iii. 14, 15.—"Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης, εἰδὼς, παρὰ τίνος ἔμαθες, καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας, τὰ δυναμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ."

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ,

IN

ACADEMIA DUBLINIENSI

HABITÆ,

ANNO MDCVII.

I.

APRIL 15, 1607.

"NATURAM hominis hanc Deus esse voluit" (ut pre clare observat Christianus ille Cicero, Lactantius Firmianus[a]) "ut duarum rerum cupidus et appetens esset; religionis et sapientiæ. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia; aut sapientiæ soli student, omissa religione; cum alterum sine altero esse non possit verum."

Id vero in hominibus Gentilibus, qui verbo Dei destituti depravatæ naturæ ductum secuuti sunt, luculentissime demonstrat. Cadebant illi "ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse non posse; aut studebant sapientiæ, sed ideo falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veram scientiam potuit erudire." "Idcirco" (inquit alibi idem[b]) "nec philosophiæ potuit veritatem comprehendere; nec religio Deorum rationem sui, quâ caret, reddere." Et sane si verum serio volumus, non a carne et sanguine, vel religio, vel sapientia vera discenda erit, sed longe altius assurgendum *πρὸς τῆν ἄνωθεν σοφίαν*, non eam quæ est seculi hujus, neque principum seculi hu-

[a] Divin. Instit. lib. 3. cap. 11.

[b] Instit. lib. 4. cap. 3.

jus, qui abolentur, sed sapientiam Dei latentem in mysterio, occultam illam, quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram[c]; "quid enim agit, aut quo, vel qua, ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit auctoritas?" ut pulchre Augustinus[d].

Hæc igitur sapientia quam Theologiam appellamus, et quam SAPIENTIAM RELIGIONIS recte definire possumus, solâ divinâ revelatione nititur: tanto disciplinis cæteris præstantior, quanto divina auctoritas, in qua illa sustentatur humana omni ratione potior et antiquior est. Cum enim hæc supernaturalia sint, nulli unquam mortalium venissent in mentem, nisi Deus ipse illa manifestare voluisset, "sicut scriptum est[e], Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit iis qui ipsum diligunt. Nobis autem Deus ea revelavit per Spiritum suum."

"Quid ergo? Nihilne simile præcipiunt philosophi? Imo permulta" (ait Lactantius[f],) "et ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est, divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tum se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui præcipit. Præterea nihil apud nos certi est, nihil quod a scientia veniat. Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa et varia proferantur: stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere: quæ utrum vera sint an falso dubitatur, et ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare." Hæc ille.

Intelligimus igitur quid nobis polliceatur Theologica hæc disciplina: jam quod ab ejus discipulo, i. e. homine Christiano, ad complectenda divina istæc documenta requiratur, expediamus. Hîc vero duo imprimis necessaria esse dicimus; Ut assensus veritati revelatæ adhibeatur, quod fidei est, et RELIGIONIS; deinde, ut assensus ille ratione aliqua nitatur (ne incerta pro certis, humana pro divinis, temere amplectamur), quod SAPIENTIÆ est et prudentiæ Christianæ; quorum alterum quidem ad *Esse* fidei, alterum ad *Bene Esse* necessarium affirmamus.

[c] 1 Cor. 2. 7, 8.
[d] De Civit. Dei, lib. 18. cap. 41.
[e] 1 Cor. 2. 9, 10.
[f] Institut. lib. 3. cap. 27.

Jam utassensus veritati revelatæ adhibeatur, duo necessario requiri dicimus; Externam Propositionem, per quam veritas revelata ad intellectum perferatur; et Internam Spiritus Sancti illustrationem, quæ ut veritati hoc modo propositæ credamus efficit. Illam contra Enthusiastas, hanc defendimus contra Pelagianos, qui ad fidem comparandam non aliquo interno Dei adjutorio, sed doctrinâ tantum externâ opus esse judicabant[g]. Hanc autem Spiritus Sancti in cordibus fidelium operationem, propriam causam statuimus cur verbum Divinum a nobis firma fide credatur. Externam vero illam propositionem, causam sine quâ non, sive conditionem necessario, (secundum legem Dei ordinariam), ad fidem requisitam constituimus. Cum enim rei quæ nondum ad intellectum pervenit, fides adhiberi non possit, secundum legem Dei ordinariam necessario requiruntur media, per quæ propositiones illæ credendæ ad intellectum nostrum perferantur. Id vero hic, ut in aliis, fit beneficio sensuum, vel visus vel auditus; sive per lectionem Scripturæ divinæ, seu in Textibus originalibus, seu in Translationibus, vel aliorum scriptorum, non quidem *θεοπνεύστων*, sed tamen divinam veritatem complectentium; sive per auditum, vel ab aliis lectarum hujusmodi Scripturarum, vel sermonis tum a privatis aliquibus, tum a ministris, (idque non orthodoxis modo, sed interdum etiam hæreticis veritatem docentibus) nobis prolati. Et quanquam his omnibus mediis utatur interdum Deus ad veritatem suam nobis proponendam, omnium tamen et potentissimum, et maxime ordinarium organon est Ecclesiasticum ministerium in Prædicatione Evangelii, quæ potentia Dei est ad salutem cuivis credenti[h]. Etsi enim immediatâ revelatione potuisset nos Deus eo quo prophetas olim et apostolos modo instruere, libuit tamen sapientiæ ipsius per stultitiam prædicationis servare credentes[i]. Quomodo igitur credent ei (inquit Apostolus[k]) de quo non audierint? aut quomodo audient absque prædi-

[g] Quemadmodum intelligimus ex Augustino, De Gratia Christi cap. 7. 36. et 39. vid. Bellarmin. De Gratia.

[h] Rom. 1. 6.

[i] 1 Cor. 1. 21.

[k] Rom. 10. 14, 17.

cante. Ergo[l] fides in auditu est, auditus autem per verbum Dei. Valeant igitur Enthusiastarum somnia, qui cœlitus sine externis aliquibus mediis doceri homines volunt. Etsi enim nos quoque Spiritus Sancti internam lucem ad fidem efficiendam necessariam esse dicimus; eam tamen non revelare credenda, sed ut credamus revelatis facere, arcte tenemus, accurateque defendimus. Sed cum adversus Enthusiastas certamen a nobis non sit instituendum, iis omissis ad Pontificios transeamus, et quid illi hac in parte diversum a nobis sentiant, breviter inquiramus.

Ac primo, ubi diximus fidem rei minime intellectæ adhiberi non posse, repugnare videtur Bellarminus, Libro primo De Justificatione, capite septimo, ubi melius per ignorantiam quam per notitiam definiri fidem asserit. Verum distinguendum inter *κατάληψιν*[m], sive perceptionem mysteriorum fidei, et *ἐπιστήμην*, quam Intelligentiam appellat Augustinus, assensum nimirum illum qui ratione nititur, atque rei evidentia. "Quod enim intelligimus aliquid, rationi debemus," ait Augustinus, "quod autem credimus, auctoritati[n]." Hujusmodi *ἐπιστήμην* seu intelligentiam ad fidem minime requirimus, atque in hunc sensum illud Augustini accipimus in libro contra epistolam Fundamenti, cap. 4[o], "Turbam non intelligendi vivacitas sed credendi simplicitas tutissimam facit." Verum ut concedimus quod ex Philosopho producit Bellarminus[p], "Addiscentem oportere credere," ita etiam illud addimus, Addiscentem oportere intellectu percipere ea quæ discenda proponuntur. Similiter Christianum oportere credere dicimus, sed prius necessarium esse asserimus ut intellectui res credendæ proponantur. Unde in Scripturis credere et cognoscere pro eodem sumi invenimus, cum sermo est de rebus fidei subjectis; ut Esai. 53. 11, "Cognitione sua justificabit justus

[l] Contra, Ethnicus Latinus Pacatus in Panegyrico quem scripsit Theodotio Imperatori Hispano; "Fidem constare nescimus auditis Deum dedit Hispania quem vidimus" [apud Panegyric. vet. Antw. 1599: p. 248.] cf. Joh. 1. 18. 1. Pet. 1. 8.

[m] *Κατάληψις* est intelligentia. Vid Anast. Sinait. pag. 286. [ed. Gretser. 1606] cui contraria Academicorum *ἀκαταληψία*.

[n] De utilitate credendi, cap. 11. [opp. tom 8. 60. ed. Bened.]

[o] [Opp. tom. 8. 153.]

[p] De justif. lib. 1. cap. 7. n. 2.

Servus meus multos;" et Joh. 17. 3., "Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum." Eodemque modo alicubi scribit Augustinus, "Ita apud omnes vulgatam et confirmatam esse Catholicam fidem, ut nec *notitiam* possit fugere popularem; in eoque impletam esse Jeremiæ prophetiam, cognoscent me omnes a minimo usque ad maximum[q]." Et in Psal. 118, (circa illud "Da mihi intellectum" etc.) "Nisi aliquid *intelligat*, nemo potest credere in Deum." Hujusmodi notitiam si ad fidem requiri neget Bellarminus, absurdus est; atque inepta omnia quæ ad sententiam suam confirmandam producit argumenta, pro quorum solutione legendus Amandus Polanus, in priore Thesium Theologicarum sylloge[r], edit. Basil. 1597.

Deinde ubi diximus Externam Propositionem medium fuisse, cujus ope veritas revelata ad intellectum nostrum perferretur: quæri potest an ad fidem requiratur necessario, ut Proponens sit infallibilis. Et quidem Bellarminus[s], ut fides sit certa ex parte objecti, duas causas infallibiles requiri asserit; causam REVELANTEM articulos, et causam PROPONENTEM, aut declarantem, articulos revelatos. "Nam si is," (inquit) "qui revelat, et cujus auctoritate nitimur falli possit, fides etiam incerta redditur. Itaque causa revelans non debet esse nisi Deus. Et pari ratione, si is qui articulos revelatos proponit, aut declarat, errori sit obnoxius, et possit aliquid proponere tanquam a Deo revelatum, quod vere non sit a Deo revelatum, tota fides mutabit." Hactenus Bellarminus. Addit Christophorus a Sacro Bosco[t], "ad fidem non solum opus esse ut Ecclesia sufficienter credenda proponat, infallibili illa sua auctoritate, quam a Christo habet nos docendi, etc., sed etiam necesse esse utatur homo Ecclesiæ propositione formaliter ut sufficiens est, scil. in illam tendendo ut in infallibilem." Hæc ille suo more, spinose satis atque perplexe.

Nostra vero sententia est, ad fidem necessario requiri Re-

[q] Heb. 8. 11.
[r] In loco De Fide. Et Chamierus [Panstrat. Cathol.], tom. 3.
[s] Lib. 6. De Gratia et libero arbitrio, cap. 3. sect. 10.
[t] Defens. Decreti Trid. part 1. cap. 6. pag. 95.

velantem infallibilem, nimirum Deum, qui nec fallere potest, nec falli; Proponentem vero infallibilem, si aliam intelligas quam Scripturam sacram[u], nequaquam. Satis enim esse si res proposita sit infallibilis veritatis, ut qui eam proponit, ea quidem in re fallere nos non possit, licet simpliciter et absolute infallibilis, non fuerit authoritatis. Neque enim verbi Divini vires ab authoritate hominis illud proponentis dependere, sed a bona voluntate et potentia Dei authoris promanare. Quo fit, ut fideles θεοδίδακτοι vocem Christi agnoscant a quocunque proponatur; divinaque illa veritas, spirante ubi vult Spiritu, divinam virtutem ad corda hominum penetranda obtineat. "Vivus enim est per se sermo Dei, et efficax," quemadmodum habet Apostolus[x], "et penetrantior quovis gladio ancipiti; et pertingit usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque et medullarum; et dijudicat cogitationes et conceptus cordis." Et prædicationem suam "non versatam esse in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis," profitetur Paulus[y], "sed in demonstratione spiritus et potentiæ," idque ne fides auditorum "consisteret in sapientiâ hominum, sed in potentia Dei;" quæ ratio imprimis observandum est. Itaque gratias Deo agit idem, quod Thessalonicenses sermonem ab eo annuntiatum acceperint, "non ut sermonem hominum, sed, sicut est vere, ut Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis," ait ille[z]. Unde vero virtutem illam ἐνεργετικὴν dicemus procedere? a semente, an a seminante? A sementis procul dubio naturâ, potius quam a manu hominis sementem illum spargentis. "Regeniti[a] enim sumus ex semine incorruptibili, id est, per sermonem Dei vivi, permanentis in æternum." Hinc factum est, ut Paulo semen hoc spar-

[u] Dicimus ergo aliquando haberi in propositis proponentem infallibilem, ut scriptorem sacrum Prophetas et Apostolos, sive loquentes, sive scribentes (in scriptis enim prophetant, Apoc. 10. 11.), quorum alterutrum in Ecclesia fuit perpetuum. Nunquam enim defuit vel deerit Ecclesiæ talis infallibilis prophetia cui tuto inniti posset fides nostra. Aliquando fallibilem, ut pastorem ordinarium (reporting it as in times past, one might report the sayings of Abraham, etc., who himselfe could not immediatelye prophecye to all).

[x] Heb. 4. 12.

[y] 1 Cor. 2. 4.

[z] 1 Thess. 2. 13.

[a] 1 Pet. 1. 23.

gente, Lydiæ purpurariæ cor Dominus adaperuerit, ut attenderet iis, quæ ab eo dicebantur, quemadmodum Act. 16. 14, legimus, etiam prius quam de auctoritate illius apostolica ipsi constaret. Id quod quamplurimis aliis gentibus, quamprimum evangelium ab Apostolis annuntiatum fuit, contigisse non est dubium. Postremo, quando verbum Dei populo prædicatur, non per totam Ecclesiam proponitur, sed per ministrum aliquem, quem infallibilem esse proponentem nemo asseret. Certumque est e vulgo plurimos ignorare utrum Ecclesiæ doctrinam ipsi proponat minister ille, vel etiam utrum Ecclesiæ ipsius auctoritas sit infallibilis. Quomodo igitur dicit Sacroboscanus, ad fidem necessarium esse, ut homo tendat in Ecclesiæ propositionem, ut in infallibilem.

Post externam propositionem, attingenda quædam breviter sunt de interna Spiritus Sancti illustratione, per quam corda nostra efficaciter persuadentur, ut veritati revelatæ assensum præbeant. Hæc antem interna persuasio nosmetipsos tantum attingit, servitque ad nostram ipsorum tantum confirmationem, non autem ad confirmanda aliis dogmata, vel ad refutationem adversariorum ; ad nostras autem ipsorum conscientias stabiliendas, sufficiens est, et certam, ac minime fallacem, persuasionem gignit. "Vos[b] unctionem habetis a Sancto illo profectam, et nostis omnia;" et post[c] "Unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat vos; verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ et verax est, et non mendax, et sicut docuit vos, manebitis in eo." Sic ubi divina veritas nobis proponitur per hominem aliquem de cujus auctoritate nihil nobis constat, vel quando motiva quibus ad credendum inducimur, sunt in se incerta, ac fallibilia; vel quando nobis non succurrit indubitatum aliquod Sacræ Scripturæ testimonium, quo dogmatis a nobis recepti veritas confirmetur; vel quando argumentis in oppositam partem productis satisfacere non possumus, non fit ut fides nostra incerta evadat, et conscientiæ nostræ hæsitent in fide atque vacillent. Nam etiam quando nulla Scriptura θεόπ-

[b] 1 Joh. 1. 20. [c] Ver. 27.

νευστος extitit, quemadmodum in 25 primis mundi seculis usu venit, arcanum hoc Spiritus Sancti testimonium, ut verbo divino nude sine ulla confirmatione propositio redderetur, effecit: et quemadmodum qui visu præditi sunt nivem album esse certo cognoscunt, nec ab ea sententia ullo modo dimoveri se patiuntur, etiamsi Anaxagoræ argumentationibus quibus nivem atram esse concludere conatus est, satisfacere nequeant; ita qui cordis oculos interno Spiritus Sancti lumine lustratos habent, veritatem Divinam certissime agnoscunt, ut ut ad adversariorum sophismata omnia respondere non valeant. Ut autem homo ratione alioqui fallibili, prudenter inducatur ad fidem amplectendam secundum se infallibilem, nullum absurdum esse fatetur Gregorius[d] ipse Valentianus.

Summa est, motivorum omnium, quibus ut assensum veritati præbeamus inducimur, defectum ac infirmitatem, certissimo hoc Spiritus Sancti intus in cordibus nostris loquentis magisterio, abunde suppleri atque compensari. Quod quidem, ut in se sufficiens est; ita, eo remoto, omnia alia media ad fidem in nobis efficiendam invalida esse atque insufficientia, exploratum est. Hinc Moses[e], convocans omnes Israelitas, dixit illis: "Vos videtis omnia quæ fecit Jehova ante oculos vestros in terra Ægypti, Pharaoni et omnibus servis ejus, totique regioni ejus: Probationes illas maximas quas viderunt oculi tui; signa et prodigia illa maxima: sed nondum dederat vobis Jehova mentem ad cognoscendum, et oculos ad videndum, et aures ad audiendum, usque in diem hunc." Et de Christo Johannes Apostolus[f], "Quum autem tot signa coram eis edidisset, non credebant in eum; ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit sermoni nostro, et brachium

[d] Tom. 3. Commentarior. in Thomam, quæst. 1. punct. 1. (col. 30. edit. Venetæ, 1598) Staplet. Relect. p. 467. "Obj.° Naturam medii sequitur conclusio; imo deteriorem partem argumentationis sequitur conclusio, juxta dialecticos. Non potest igitur ex mediis infirmis et incertis deduci conclusio certa et infallibilis." Resp. pag. 474. "Non sequi, quia procedit de argumentatione scientifica, et in materia naturali, nec naturam mediorum sequitur conclusio, sed Spiritus Sancti suggestionem."

[e] Deut. 29. 2. [f] Joh. 12. 37.

Domini cui detectum est. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, et obduravit corda eorum ; ne videant oculis et sint intelligentes corde, et sese convertant, et sanem eos"[g].

[g] Vid. Armenii Orationem de Certitudine S. Theologiæ, pag. 109. 112. et Matth. [Hutton] Eborac. Archiep. De elect. et reprobat. pag. 35. 36.

II.

APRIL. 22, 1607.

Jam non solum requiritur, ut Assensus veritati revelatæ adhibeatur, quod fidei[a] esse et religionis diximus: sed amplius etiam, ut assensus ille ratione nitatur; quod sapientiæ est et prudentiæ Christianæ. "Nam in colendo sapere debemus, id est scire, quid nobis et quomodo sit colendum," ait Lactantius[b]. Ὁ ταχὺ ἐμπιστεύων, κοῦφος καρδίᾳ, inquit Siracides[c]. "Qui credit cito, levis corde est." "Valde autem cito credit," ait non male Bellarminus[d], "qui res longissime remotas a humanis sensibus, et quæ omnem intelligentiam superant, sine ulla persuasione credit."

Etsi vero hoc non requiratur ad Esse fidei, quæ aliquando elicitur ex divina vi veritatis revelatæ[e], simpliciter sine ulla alia persuasione propositæ, requiritur tamen ad Bene Esse; nimirum ad firmiorem fidem acquirendam et retinendam; ἵνα γινώσκωμεν, καὶ πεπληροφορήμεθα ἐφ' οἵα πίστει ἑστήκαμεν, καὶ καυχώμεθα πἀῤῥησιαζόμενοι καὶ ἐλευθεροστομοῦντες τῇ ἀυτῆς ὁμολογίᾳ, inquit Theodorus Rhætensis; h. e. ut ejus fidei in qua stamus scientes ac certiores evadamus, libere ac ingenue illam profitentes. Denique "ne simus amplius pueri (ut est apud Apostolum) qui fluctuemus et cir-

[a] Videndum ne credulitas confundatur cum fide.

[b] Divin. Instit. lib. 4. cap. 3.

[c] Ecclesiastic. 19. 4. citat. ab Ignatio in Epist. ad Heronem (vid. loc.), sed exponitur de fide humana a Bernardo contra Petrum Abelardum, Epist. 190.

[d] De grat. et lib. arbitrio, lib. 6. cap. 1.

[e] Vide exemplum in philosopho apud Sozomenum lib. 1. cap. 17. (ed Ruffin.) In simplicibus vero Christianis exempla quotidie occurrunt, ut et olim in Ethnicis plurimis ab apostolis ad fidem conversis, qui operante Spiritu Sancto sermoni crediderunt nullis rationibus fulto; cumque neque de Apostolorum neque de Scripturæ authoritate aliquid iis constaret. Vid Gelas. Cyzicen. in Act. Concil. Nicæn. pag. 90. Nicephorum lib. 8. cap. 15. et Cedrenum pag. 236.

cumferamur quovis vento doctrinæ, per hominum aleam, per veteratoriam ad insidiose fallendum versatiam." Ut igitur necessarium hoc non sit necessitate medii (ut cum schola loquar) necessarium tamen dici potest necessitate præcepti: quod requirit, ut parati simus[f] semper πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ἡμεῖς λόγον περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος, ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in nobis est. Atque ita ipse Petrus fidem eorum ad quos scribit, corroborare nititur. "Non enim" inquit[g], σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες, etc.; tunc rationes proponit ductas a testibus αὐτόπταις, miraculosa transfiguratione in monte[h], authoritate denique sermonis prophetici, quam jure firmissimam esse confirmat. Paulus[i], non tantum requirit a Timotheo assensum et fidem, sed etiam constantem et firmam fidem, certissimis subnixam persuasionibus, Apostolica, viz., sui ipsius et divina Sacræ Scripturæ authoritate. In hunc etiam modum cum adversariis disputat Christus[k] ex testimonio tum humano Johannis Baptistæ, tum Divino Patris e cælo, et scripturarum sacrarum.

Hic vero duo nobis examinanda veniunt. Primum, an dogmatum quæ nobis proponuntur ut a Deo revelata, examinatio ulla sit admittenda, et rationes eorum aliquæ exquirendæ. Secundum, si ita fuerit, quomodo examen illud fuerit instituendum.

Ac de priore quidem dubitatio exoritur tum ab authoritate eorum a quibus dogmata illa accepta sunt: tum a periculo atque incertitudine subsecuturis, si, missa authoritate illa fundatissima, ulteriori inquisitioni nos commiserimus, ac proprias rationes consectati fuerimus.

Authoritas illa duplex est; tum Dei revelantis; tum hominum veritatem a Deo revelatam accipientium, eademque nobis proponentium. Ac ad Dei revelantis authoritatem quod attinet; ea tanta est agnoscenda, ut veritati ab eo revelatæ simpliciter acquiescendum sit, atque ulterius in eam inquirere summum nefas videatur. Verum notandum duplicem occurrere quæstionem; unam ὅτι, alteram διότι; ut

[f] 1 Pet. 3. 15.
[g] 2 Pet. 1. 16. vide locum.
[h] Matt. 17.
[i] 2 Tim. 3. 14.
[k] Joh. 5. 31–39.

philosophus[l] appellat. Aliquando enim de veritate proposita; nobis omnino non constat an sit a Deo proposita; et tum quæstio moveri et potest et debet, sitne hæc doctrina Dei necne. Prudentiæ enim illud Christianæ est, inter vocem Dei ac vocem hominum posse discernere. Atque illud nos volumus quando inquirendum nobis proponimus, quænam illa sint principia fidei (ut appellant) doctrinalia, ex quibus certo cognosci possit, quænam doctrina pro divina amplectenda sit, quænam velut adulterina aversanda. Postquam vero de *ὅτι* constat, atque exploratum nobis fuerit doctrinam propositam a Deo esse patefactam, non procedendum ulterius ad *διότι*, non poscenda ratio patefactionis Divinæ, sed subsistere hic debemus, et simpliciter in veritate revelata acquiescere, *λογισμοὺς καθαιροῦντας* (ut ait Apostolus[m]) evertentes rationes omnes, *καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ*, captivam ducentes omnem cogitationem ad obediendum Christo. Neque enim rationibus nobiscum agere Deus[n] necesse habet, sed legibus. Legem vero brevem esse oportet (ait Seneca[o]) quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox quæ jubeat non disputet. "Bonum est igitur" quemadmodum pulchre alicubi Ambrosius[p], "ut rationem prævenerat fides, ne tanquam ab homine ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus." Et quod Maximus Taurinensis[q] de Servatoris nostri Incarnatione præclare dixit, "Tantæ dignationis gratiam non debemus examinare, sed credere; nec discutere, sed mirari: quid enim est æquius, quidve tam congruum, quam ut in rebus divinis omnipotentiam magis sequamur Dei, quam sapientiam mundi." Hæc Maximus[r].

[l] Arist. 2. Analyt. 1.

[m] 2 Cor. 10. 5.

[n] Contra Galenum, qui libro 2do. De pulsuum differentiis, queritur Mosis et Christi leges fuisse *ἀναποδεικτοὺς*.

[o] Senec. Epist. 95.

[p] Lib. I. de Abraham. cap. 3. ad fin. [Opp. tom. 1. 289. C. ed Bened.]

[q] Homil. 5. de natali Domini [Biblioth. Patrum. Lugdun. tom. 6. pag. 7. C.]

[r] Vid. Canum, lib. 2. cap. 4. versus finem, ex Basilio et Hilario. *Ἄπορος οὗτος ὁ λόγος, ἄπορος κᾀκεῖνος, καὶ πίστις ἀμφοτέρων ἡ λυσις.* Justin. Mart.

Sed de authoritate hominum qui religionem nobis per manus tradunt, et tanquam a Deo acceptam credendam nobis proponunt, major movetur controversia: utrum, viz. in doctrina, quam ab iis propositam constat, simpliciter acquiescendum sit, quemadmodum in ea quam a Deo patefactam constaret acquiescendum fuisse diximus; an vero ulterius liceat in eam inquirere ac ad immotæ veritatis trutinam expendere atque examinare. Sunt vero homines illi in duplici differentia constituti; alii in ætate nos antecesserunt, quos Majores appellamus; alii præsentes nobiscum agunt, quos præsentis Ecclesiæ nomine commendant nobis Pontificii.

Atque ad Majores quod attinet: similiter nobiscum hic agunt homines Pontificii atque olim cum majoribus nostris egerunt homines Ethnici, de quibus Lactantius[s], "Hæ sunt religiones, quas sibi a majoribus suis traditas pertinacissime tueri ac defendere perseverant; nec considerant quales sint, sed ex hoc probatas atque veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantaque est authoritas vetustatis, ut inquirere in eam, scelus esse ducatur[t]. Itaque creditur ei passim tanquam cognitæ veritati. Denique apud Ciceronem sic dicit Cotta Lucilio; 'Habes Balbe, quid Cotta, quid Pontifex sentiat; fac nunc ego intelligam, quid tu sentias, a te enim philosopho rationem religionis accipere debeo. Majoribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, rationis est credere.'"

At vero hæc ratio nobis omnino probari non potest; quibus certâ ratione persuassimum sit, in omnium omnino hominum, sive majorum sive minorum gentium fuerint, doctrinas inquirendum esse. Est quidem sancta apud nos majorum auctoritas, ad aras usque; sed divinæ tamen authoritati æquari non debet: estque nobis religio a Patrum institutis deflectere, nisi ubi ex aperto Dei verbo illos ipsos de via deflexisse constiterit. Et quidem si a nobis profectum foret consilium istud, in justam reprehensionem incurrendum nobis foret: sin vero ex Deo fuerit, illi nos in

[s] Divin. Instit. lib. 2. cap. 6. (p. 144. ed Spark. Oxon. 1684.)
[t] [Dicatur, Spark.]

viam unde aberrârunt majores revocanti obedire necessum est, *μήποτε καὶ θεόμαχοι εὑρεθῆμεν*, ne etiam cum Deo pugnare comperiamur[u]. Ac quidem Petrus Apostolus præclare nobiscum actum esse confirmat, "quod redempti fuerimus *ἐκ τῆς ματαίας ἡμῶν ἀναστροφῆς πατραπαραδότου*, ex vanâ nostrâ conversatione ex patrum traditionibus. De Samaritanis affirmat Spiritus Sanctus[x] quod Dei mandatis posthabitis, juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant: et sicut fecerunt patres sui, ita fecerunt et filii eorum, et filiorum filii, usque in præsentem diem. Unde satis confidenter Samaritana illa muliercula[y] ad Christum, "Patres nostri in hoc monte adoraverunt; et vos dicitis Hierosolymis esse locum illum ubi oporteat adorare." Cui tamen Christus[z] *Ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὅ οὐκ οἴδατε, ἡμεῖς προσκυνοῦμεν ὅ οἴδαμεν.* utrisque commune fuit, quod a patribus accepta fuerit religio: sed hoc veræ proprium quod non illa tantum perquam levi authoritate sed ulteriore cognitione commendata est. Sed ipsum Deum audiamus suâ voce controversiam hanc componentem[a], "Dixi ad filios eorum in solitudine: in præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, judicia mea custodite et facite ea." Hæc Dominus Deus noster: cujus, consilio si auscultemus, profecto nec de Patrum inopia laborare necesse erit, quorum vestigia insistamus. Pro patribus illis carnis patres habebimus, Apostolos, Prophetas, omnes fideles qui nos antecesserunt, ipsum Dominum Patrum Patrem. Unde Apostolus ultra parentes illos proximos prospiciens[b], "Hoc vero tibi confiteor, me secundum viam illam quam hæresin dicunt, ita servire patrio Deo (*τῷ πατρῴῳ Θεῷ*) ut qui credam omnibus quæ in lege et in Prophetis scripta sunt." Quid vero multis hâc in re opus est? cum negari omnino non possit falsam sæpissime religionem esse *πατραπαραδότον*, cui qui idcirco acquiescendum esse dixerit, insanum esse oporteat: et ut maxime vera esset, *κατὰ συμβεβηκὸς μονόν*, ut præclare ait Theodorus

[u] Act. 5. 39.
[x] 2 Reg. 17. 40, 41.
[y] Joh. 4. 20.
[z] Joh. 5. 22.
[a] Ezech. 20. 18.
[b] Act. 24. 14.

Rhætensis[c]; casu duntaxat veram fidem amplexos eos qui ἁπλῶς (ut ille ait) καὶ ὡς ἔτυχεν ἐκ πατραπαραδότου συνηθείας ἐν τῇ αὐτῇ πίστει εἴσι γνωριζόμενοι, simpliciter et fortuito ex consuetudine a patribus acceptis, eam ipsam rectam fidem secuti fuisse comperiuntur. Adeo quidem ut si pigros illos et fidei inquisitionis negligentes contigisset ex hæreticis nasci, de paternæ quaque impietatis abnegatione minime solliciti futuri fuisse videantur. Verum Lactantium nostrum egregie causam sane perorrantem paulisper audiamus. "Quare oportet (inquit ille[d]) in ea re maxime in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti ad investigandam et perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut et inaudita investigare possent, et audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt: quæ si omnibus æqualiter datur occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquam lux et claritas solis: quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum: sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, et ab aliis pecudum more ducuntur, sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur; aut illi desipuerint quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum, ut quomodo illi qui falsa invenerant, posteris tradiderunt: sic nos qui verum invenimus posteris meliora tradamus." Hæc pulcherrime Lactantius.

Quæ vero de majoribus nostris hucusque dicta sunt, ea multo etiam magis cohibere nos debent ne iis qui præsentis Ecclesiæ nomine dogmata proponunt, assentiamur temere, pastorîbusque visiones fortasse capitis sui proferentibus, sine ulteriore ullâ inquisitione simpliciter subscribamus. Et tamen non puduit Tho. Stapletonum

c [Sive Theodorus de Rhaithu.]

d Instit. lib. 2. cap. 7. [pag. 146. ed Spark. Oxon. 1684.]

projectæ audaciæ hominem palam asserere atque defendere pertinaciter[e] "quod in doctrina fidei non quid dicatur sed quis loquatur a fideli populo attendendum sit." Quæ mihi vox pecudis non hominis semper visa fuit[f]. At ne sine ratione videatur, observare nos jubet Stapletonus, juberi passim in Evangelio fidelem populum, de personis cavere magis quam de doctrinâ. Ideoque clamare Salvatorem "attendite a falsis prophetis." Quasi vero qui falsos doctores vitandos monet, non etiam doctrinarum genera notari voluit, unde Pseudoprophetæ hujusmodi dignosci possent. Cavendum quidem nobis à pseudoprophetis serio præmonuit Servator: sed idem tamen rationem qua dignosci iidem a nobis possent non minus diligenter inculcat. "A fructibus (inquit) eorum agnoscetis eos"[g]. In fructibus autem hisce doctrinam præcipuum obtinere locum, negare quis potest? "Fructus hominis (ait author Operis imperfecti in Mattheum[h]) est confessio fidei ejus et opera conservationis ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera, si confessio ejus conveniat cum scripturis, verus est Christianus: si non est quemadmodum Christus mandavit, falsus est." "Impia ergo et execranda dogmata (ait Theodoretus[i] per se sufficiunt ad suum patrem ostendendum. "Ex fructu

[e] In Demonstration. principior. doctrinal. lib. 10. cap. 5.

[f] [*Hæc sequentia in margine, manu auctoris, quasi secunda cura inseruntur:*— Quanto prudentius Christi Apostolus Johannes (in secunda sua epistola ver. 10.) doctrinam solam animum advertendum, indeque de doctore æstimandum consuluit. "Si quis (inquit) venit ad vos et illam doctrinam non affert, ne recipite eum domum nec Ave ei dicite." "In cathedra Mosis sedebant Scribæ et Pharisæi;" habebant ergo doctorum authoritatem, et in eorum tamen doctrinam inquirendum monuit Servator, Matt. 16. "Cavete de fermento Pharisæorum, i. e. de doctrina quæ mandatis Dei adversatur, ntrecte exponit Jansenius (Concord. in hunc locum); Stella in Luc. 12.; et Maldonat. in Matt. 23. Huc referatur sententia illa quam ex quodam scriptore ecclesiastico citat Joh. Newenklaius (annot. 62. in Gregor. Nyssen. de Hominis Opificio): *τὸ καλὸν ὅπου ἄν ποθ' εὑρεθείη τῆς ἀληθείας ἴδιον εἶναι.* "Qnod bonum sit ubicunqne tandem reperiatur deberi veritatis proprium censeri." Nicephor. lib. 10. Histor. Eccles. cap. 26. (citat. a Zehnero in Iambos Amphilochii, pag. 59.) Item, Quæcunque apud hæreticos vera et bona sunt, ea etiam nostra sunt et ex Deo, inquit Augustin. lib. de patientia cap. 27. 28. et de unico Baptismo. Greg. Hom. 10. Super Ezek. idem.]

[g] Matt. 7. 16.

[h] Hom. 19. [In. Opp. S. Chrysost. tom. 6. p. 829. ed. Bened.]

[i] Initio lib. 3. Hæreticarum fabularum.

(inquit) arbor cognoscitur. Unde præclare Origenes[k] "Dominus (inquit) in Evangeliis dicit: Attendite vobis ab iis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces[l]. Et ideo vigilans sensus et mens intenta requiritur, quæ probare noverit vel ovis in propatulo simplicitatem, vel lupi latentem rapacitatem. Unde vide quam proximi periculis fiant hi, qui exerceri in divinis literis negligunt, ex quibus solis hujusmodi examinationis agnoscenda discretio est." Hactenus Origenes. Atque hinc etiam solvitur alterum illud putidum sophisma, quo παράδοξον suum stabilire conatur Stapletonus[m]: populo fideli attendendum non quid dicatur, sed quis loquatur, quia, viz., fides authoritati, ut scientia rationi, nititur: nam fidem quidem authoritate niti, libenter damus: verum authoritate non hominis proponentis, (ut somniat Stapletonus,) sed Dei, voluntatem suam in sacrosanctis suis oraculis nobis revelantis. Itaque non in prædicatoris cujusquam authoritate subsistendum nobis erit: sed probandi sunt spiritus an ex Deo sunt[n], eorumque dogmata consideranda sunt, et ad divini verbi trutinam appendenda. Illud quidem Apostoli præceptum arcte tenendum est[o]: "Prophetias ne aspernemini;" neque illud tamen negligendum quod statim subjungit[p] "Omnia explorate; et quod bonum fuerit retinete[q]." Est quidem illa Berœensium laus: quod sermonem cum omni alacritate receperint: neque minima tamen laudis pars in eo posita est, quod quotidie examinarint Scripturas an hæc ita se haberent[r]. Verum Pontificii Doctores, ejusmodi esse volunt, quales depingit nobis Hieronymus[s]: "Isti tantam sibi assumunt auctoritatem, ut sive dextra doceant sive sinistra, id est, sive bona sive mala, nolint discipulos ratione discutere,

[k] Lib. 10. in Epist. ad Roman. cap. 16.

[l] Matt. 7. 15.

[m] Staplet. in Defens. Ecclesiastic. Authorit. lib. 3. cap. 7. sect. 4. "In doctrina religionis non quid dicatur, sed quis loquatur attendendum esse; quia fides authoritati, ut scientia rationi nititur."

[n] 1 Joh. 4. 1.

[o] 1 Thess. 5. 20.

[p] 1 Thess. 5. 21.

[q] Id est ex confessione DOCTRINÆ discernitur inter spiritum Christi et Antichristi; (ut in hunc locum recte notant Aquinas et Caietanus).

[r] Acts 17. 11.

[s] In Esai. lib. 9. cap. 30.

sed se præcessores sequi." At quanto aliter affectus fuit Cyrillus Hierosolymitanus, etiam cum catechumenis suis agens. Δεῖ γὰρ (inquit ille[t]) περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν. μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι. μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. Ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ ἐξ εὑρεσιολογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστί γραφῶν, h. e. "Necesse est de divinis fidei mysteriis, nec sine sacris scripturis temere quicquam tradere; nec simplici credulitate et verborum apparatu circumferri. Neque mihi dicenti simpliciter credas; nisi demonstrationem annunciatorum ex Sacris litteris accipias. Salus enim ipsa fidei nostræ non ex commentitia disputatione, sed ex demonstratione divinarum Scripturarum est." Hæc Cyrillus Hierosolymitanus; cui comitem adjungere liceat Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum archiepiscopum: qui ita concionatur[u]; Πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον ὑπὲρ μὲν χρημάτων μὴ ἑτέροις πιστεύειν, ἀλλ' ἀριθμῷ καὶ ψήφῳ τοῦτο ἐπιτρέπειν, ὑπὲρ δὲ πραγμάτων ψηφιζομένους ἁπλῶς ταῖς ἑτέρων παρασύρεσθαι δόξαις, καὶ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων ἔχοντας, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν; διὸ παρακαλῶ, καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, ἀφέντες τί τῷ δεῖνι καὶ τῷ δεῖνι δοκεῖ περὶ τούτων. παρὰ τῶν γραφῶν ταῦτα ἅπαντα πυνθάνεσθε: h. e. "Annon enim absurdum ac præposterum fuerit, nos, quum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero et calculo id committere, quum autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniones temere ac velut obtorto collo trahi: idque quum exactam rerum omnium lancem ac normam et amussim habeamus, nempe divinarum legum sententiam? Quocirca vos omnes rogo atque obsecro, ut quid hic aut ille de his rebus sentiat, nihil morantes, Scripturas sacras de his omnibus consulatis." Hæc ille. Sed hac de re plura in Quæstione de Controversiarum Judice disputanda occurrent: ubi etiam cum Christophoro de Sacrobosco negotium nobis futurum est, qui illud absurdum esse conatur osten-

[t] Catech. 4. 17. [pag. 60. ed Ben.] [u] In 2 Cor. 7, Homil. 13.

dere, unumquemque suo arbitrio esse relinquendum, ut ea sectetur dogmata, quæ sibi videbuntur conformia Scripturæ.

Superest ut quod extremo positum est loco consideremus, periculum viz. illud quod futurum autumant, si, missa authoritate proponentis, in doctrinæ propositæ certitudinem inquirendi licentia concedatur. Aiunt vero hoc modo fenestram aperiri ad omnimodas sectas atque hæreses inducendas: consensum nullum expectandum, sed ita incerta futura omnia, ut quo se quisque vertat, aut cui se potissimum sectæ addicat, prorsus ignoret. Ad quod breviter respondemus: subvereri quidem hæc nos jure potuisse, si unusquisque sibi relinqueretur, ac propriæ rationis indagini: sed cum ad certam astricti simus regulam, ad quam doctrinæ quævis exigendæ sint, fidei nostræ certitudini satis provisum esse. Atque ita respondere nos docuit Johannes Chrysostomus[x], et instantiam solvens "illum dicere hoc habere scripturam, alium aliud dicere, aliter scilicet enarrando scripturas: Dic mihi (inquit) mentemne habes et judicium? Certe non est viri accipere simpliciter omnia quæ audit. At si mentem attenderis, omnino quod bonum est scies. Emturus vestem quamvis artis textoriæ imperitus sis, non dicis; Nescio emere, illudunt mihi: sed facis omnia ita ut dicas. Ne ergo dicas, Discipulus sum, et judex esse nolo nullumque dogma vel dijudicare vel condemnare potero. Non jam ille prætextus locum habet: ne cavillemur, ne prætextus quæramus; hæc enim facilia sunt etc." Hæc Chrysostomus[y].

Itaque ad hanc regulam si attenderemus: tantum abest ut hæreseos inquinamentum metueremus, ut spes etiam non contemnenda oreretur, nos hoc modo alios ab hæreticorum laqueis liberare posse. Ita sane Chrysostomus[z]: "Quomodo qui dant regulas non necesse habent mensuras innumerabiles curiose inquirere, sed illam quæ data fuit, jubent tenere: ita etiam in dogmatibus. Sed nemo vult atten-

[x] In Act. homil. 33. not. 4. 9. 259. [opp. tom. 9. Ed. Ben.]

[y] Ita Augustinus lib°. 18°. de Civit. Dei cap. 41. De Philosophis inquit: Cur dissenserunt et a magistris discipuli, et inter se condiscipuli, nisi quia ut homines humanis sensibus et humanis ratiocinationibus ista quæsierunt.

[z] Homil. 8. in Epist. ad Hebr. cap. 5. [opp. tom. 12, p 90. Ed. Ben.]

dere Scripturis. Nam si attenderemus, non solum non attenderemus errori et deceptioni, sed etiam deceptos liberaremus, sed etiam extraheremus a periculis."

Ratum igitur ac fixum illud maneat, quicquid in contrarium obstrepant adversarii, dogmatum examen instituendum esse: neque ad authoritatem quam Pontifex et Pontificii obtendunt Apostolicam ita nobis obstupescendum, ut a veteratoribus illis nos ῥινὸς ἀγέσθαι nescio quo simplicis obedientiæ prætextu permittamus.

Illud jam nobis porro inquirendum est, Quo modo examen hoc instituendum sit, ut de sinceritate dogmatis propositi nobis constare possit. Et duplex quidem huc spectat consideratio: τοῦ κριτηρίου sive Normæ ad quam dogmatum veritas exigenda, una; τοῦ Κριτοῦ sive Judicis qui secundum normam illam de re tota pronuntiare possit, altera. Κριτήριον sive Normam, secundum quam judicandum sit, quid in religione rectum sit vel non sit, legitimam argumentationem statuimus, ex legitimis factam principiis. Principia enim vocamus rationes illas et firmamenta quibus id quod credendum faciendumve proponitur, verum justumque esse demonstratur[a]. Cum vero in omni argumentatione, vel forma consideranda veniat vel materia formæ non alia quærenda est norma quam intellectus ordinis syllogistici, a Deo mentibus nostris inditus, per quem sagaciter animadvertimus quid ex alio consequatur. Certum est enim vim illam ac methodum inferendi aliud ex alio, omnium hominum mentibus insitam, esse unam atque eandem, quæ quibusvis rebus cognoscendis æque adhiberi, et non magis in Philosophorum et Medicorum et Jurisconsultorum, quam in Christi et Prophetarum et Apostolorum et Theologorum

[a] Augustinus de Doctrina Christiana, lib. 2. cap. 31. "Disputationis (ait) disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in sanctis literis sunt penetranda et dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur Sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligentur attentos, decipiant." (Ibid.) "Sententiarum autem veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus et notata, ut eam possint vel discere vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua et divinitus instituta."

disputationibus notari potest. Hinc recte concludit Philosophus[b], unam tantum esse viam seu rationem componendi syllogismum quemlibet, in quavis scientia. Ἡ μὲν οὖν ὁδὸς (inquit) κατὰ πάντων, ἡ αὐτὴ, καὶ περὶ φιλοσοφίαν καὶ περὶ τέχνην ὁποιανοῦν, καὶ μάθημα, "Omnium quæstionum concludendarum, tum quæ in Philosophia sunt, tum quæ in quavis arte ac disciplina tractantur, una est et eadem via et ratio." Neque tamen, quum formam syllogisticam in argumentationibus theologicis requirendam dicimus, ita sumus intelligendi, ac si eos qui arte Dialecticâ instructi non sunt a palæstra Theologica abigendos putaremus, neque quicquam in disputationibus de religione susceptis admittendum, quod non exacta illa syllogismi forma vestitum et tribus quasi punctis conclusum exhibeatur[c]. Hoc enim Theodoto hæretico ejusque sectatoribus relinquimus: de quibus ita Eusebius[d]: "Non quid sacræ et divinæ litteræ de Christo dicant, conquisiverunt; sed quænam syllogismi figura ad suam impietatem confirmandam reperiretur, studiose indagârunt. Quod si quisquam forte illis aliquod divini eloquii testimonium proferat, quærunt utrum conjunctam an disjunctam syllogismi figuram possit efficere." Quin potius ad simplicis illius Laici sententiam accedimus, quem in Synodo Nicæna cum hujusmodi Dialecticis hunc in modum congressum refert Socrates[e]: ὡς ἄρα ὁ Χριστὸς καὶ οἱ ἀπόστολοι, οὐ διαλεκτικὴν ἡμῖν παρέδοσαν τέχνην, οὐδὲ κενὴν ἀπάτην, ἀλλὰ γυμνὴν γνώμην, πίστει καὶ καλοῖς ἔργοις φυλαττομένην, "Christum et Apostolos artem Dialecticam neutiquam nobis tradidisse, neque inanes fallacias, sed mentem apertam et simplicem, quæ fide et bonis operibus integra servari solet. Et negari tamen non potest quod habet Clemens Alexandrinus[f], "esse Dialecticam veluti vallum quoddam ne veritas conculcetur a Sophistis." "Aliud est (inquit Augustinus[g]) nosse regulas connexionum: aliud sententiarum veritatem. Quidam autem sic se jactant, quum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas.

[b] Lib. I. Analytic. prior. cap. 30.
[c] Vid. Beumlerum in Theodoret. fol. 36. b; 42. b.
[d] Lib. 5. Histor. cap. ult. [e] Lib. 1. Hist. cap. 5.
[f] Lib°. 6°. Stromat. (pag. 207). [g] Lib. 2. De Doctrina Christiana, cap. 34.

Et rursus quidam plerumque retinentes veram sententiam, male se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant." Hoc igitur est quod volumus, non necessario requiri hic ut argumenta omnia actu in strictam syllogismorum formam redigantur: sed satis esse ut δυνάμει seu potestate ejusmodi sint, ut in legitimos syllogismos ab artifice converti possint. Nam et Christus et Apostoli et veteris Ecclesiæ Patres, quando cum veritatis hostibus disputant, aut raro aut nunquam syllogismos tribus versibus scholastico more proponunt, verum κρυπτικῶς argumentantur, vel dempta aliqua propositione, vel additis simul prossyllogismis, vel inversis syllogismi partibus. Quæ omnia in ordinem illum, qui in arte describitur, cuivis qui in dialecticis[h] vel mediocriter versatus est, revocare facillimum fuerit. Et quamquam negari non potest, nudam illam syllogisticam formam omnium esse accuratissimam ad argumentorum vim dignoscendam; conandumque nobis esse in scholasticis disputationibus, ut, quando cum contumacibus præsertim nobiscum est negotium, intra certos cancellos formæ legitimæ adversarios coarctemus, tamen in popularibus disputationibus eam rationem non tantopere urgendam viri docti non imprudenter censuerunt, quod auditoribus minus exercitatis, nimis subtilis, spinosa, atque hinc molesta quoque, videretur. Et de argumentationum quidem forma hactenus.

Ad materiam quod attinet: sunt ea axiomata quædam vera et certa, ex quibus, adhibita forma disserendi, colliguntur conclusiones Theologicæ. Suntque vel prima et ἀναπόδεικτα: vel hypotheses ex primis necessaria consequentia deductæ, quæ etiam primorum rationem in demonstratione jure obtinent. Jam vero quum varia a variis tradantur loca, quibus axiomata hujusmodi contineri dicuntur: "operæ pretium fuerit ea diligentius indagare, ne unicuique libe-

[h] "Hanc enim artem quam dialecticam vocat, quæ nihil aliud docet quam consequentia demonstrare, seu vera veris, vel falsa falsis, nunquam doctrina Christiana formidat:" ut pulchre idem Augustinus, (contra Crescon.) lib. 1. [cap. 28.] etiamsi ab ea argutandi abhorreat, quæ vult illa quidem videri se esse Dialecticam, sed abest ab ea distatque plurimum. Quin adeo nulla pernicies Theologiæ major inveniri potest, quam in sophismatum fece simulatio Theologiæ; de qua graviter conquestus est Canus lib°. 9°. Locor. Theol. cap. 1.; et Ludovicus Vives De Tradendis Disciplin.

rum sit rationes ac regulas quasdam propria auctoritate sibi arrogare." Loca vero hujusmodi, unde argumenta ducuntur theologica, in genere duo sunt: Ratio vel Auctoritas. His enim duobus modis cujusque rei, quæ in controversiam venit, assensionem facimus. "Cum vero in reliquis disciplinis omnibus (ut recte observat Canus[i]) primum locum Ratio teneat, postremum Auctoritas: at Theologia tamen una est, in qua non tam rationis in disputando, quam auctoritatis momenta quærenda sunt. Etenim locum ab auctoritate adeo sibi proprium vendicavit, ut rationes vel tanquam hospites et peregrinas excipiat, vel in suum etiam obsequium asciscat quasi longe repetitas. Quippe fide potissimum innititur: quæ nisi ab auctoritate proficiscatur, non modo fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est namque fides (ut Apostolus[k] tradit) argumentum rerum non apparentium; quas si certas certa velis ratione facere, cum ratione profecto insanies. Principem itaque locum sicut apud fideles, ita apud Theologos, Auctoritas habet: ratio deinde veluti pedissequa sequitur." Postulatque ratio, ut primo de Dominæ, posteriore deinde loco de Ancillæ authoritate sermonem instituamus.

"Nec vero soleo probare (ait Tullius in procemio libri primi de Natura Deorum) id, quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quæreretur, quare id ita esset, respondere solitos, Ipse dixit; Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas." Hæc quidem ille. At vero nostram disciplinam esse Pythagoricam recte pronuntiavit in prima adversus Julianum oratione Gregorius Nazianzenus. Verum enimvero quænam illa sit authoritas, cui totos vos addicere oporteat, etiam atque etiam inquirendum est: ne lubrico atque infirmo fundamento fides nostra innitatur. Authoritatem vero duplicem distinguimus: Divinam et Humanam. Quæ Divinâ authoritate nituntur certissima esse, non est dubium: ideo enim vera esse necesse est, quia a prima veritate profecta, atque a Deo qui verax est et mentiri non

[i] Canus, lib. 1. Loc. Theol. cap. 2. [k] Heb. 11. 1.

potest. Divina vero illa Authoritas vel per Revelationes, vel per Miracula Dei potentia patrata, hominibus innotescit. De utrisque videndum nobis erit. Et primo de Revelationibus: quas etiam distinguendas esse nobiscum agnoscunt adversarii, ut aliæ Privatæ dicantur, privatis factæ hominibus: aliæ Publicæ, publicis personis, extraordinariis Spiritus Sancti donis ornatis, ad publicum Ecclesiæ usum patefactæ. Ac publicis quidem hisce revelationibus (ut de iis primo agamus loco) Verbum Dei continetur, Prophetarum et Apostolorum ministerio ad Ecclesiæ perfectam instructionem a Deo traditum. "Et innitur sane fides nostra (quemadmodum orthodoxe sensit Thomas[l], in prima parte Summæ, ad secundum,) revelationi Prophetis et Apostolis factæ, qui Canonicos libros scripserunt: non[m] autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factæ." Jam vero Bellarminus[n] (et reliqui cum eo nostrorum Papistæ temporum) agnoscit quidem id solum esse de fide, quod est a Deo revelatum: sed revelationes istas divinas, partim scriptas esse, partim non scriptas affirmat. Itaque de Verbo Dei scripto, prioribus tribus, quos de prima generali controversia conscripsit, libris disputandum sibi putavit: quarto dein ac postremo, de Verbo Dei non scripto disputationem absolvit. Ut igitur illius insistamus vestigiis: de Verbo *ἐγγράφῳ* primo loco erit disserendum, deinde ad *ἄγραφον* illud transeundum.

Controversiæ quæ de Verbo Dei scripto inter nos et Pontificios agitantur, aliæ sacrarum Scripturarum Canonem, aliæ Editiones ejusdem varias, aliæ denique Interpretationem illius spectant. Canonem appello sacrorum librorum catalogum: sic enim hoc nomine multis locis utitur Eusebius. Quomodo et apud Ecclesiasticos scriptores, *κανὼν*[o] catalogum eorum designat qui ecclesiis in quocunque munere serviebant: nec non et fidelium episcoporum, et præsertim martyrum catalogum, quorum in solemnibus precibus memoria celebrabatur. Unde et canonizati sunt dicti, qui Sanctorum

[l] Quæst. 1. Artic. 8. [m] Vide Greg. Valent. t. 12. 2. 4. pag. 20, 21.

[n] Bellarm. De Purgatorio, lib. 1. cap. 11.

[o] Vid. Henr. Stephani Thesaurum, voc. *Κανὼν*.

catalogo inscripti sunt. Κανὼν vero ideo pro Catalogo ponitur (quemadmodum in Thesauro suo notavit Henricus Stephanus), quod catalogus certa norma et regula esset iis dignoscendis qui in illo recensebantur. Sic igitur sacra nostra Scriptura, οὐκ ἀόριστα (ut ait Athanasius in Synopseos suæ vestibulo) ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία, "libros habet non infinitos, sed finitos, ac certo canone comprehensos." Hinc indicem hujusmodi sacrorum librorum decreto suo in quarta Sessione promulgato ascribendum censuerunt Theologi Tridentini; "ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur;" deinde anathemate rem totam in hunc modum concludunt: "Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema." Nos contra, cum validissimis innixi rationibus, tum veteris Ecclesiæ authoritate suffulti, ac nuperorum istorum Theologorum terriculamenta pro deridiculo habentes, libros in indiculo Tridentino recensitos, non omnes ejusdem ordinisatque authoritatis esse asserimus, ideoque diligenter inter se distinguendos esse dicimus. Sciendum igitur est, alia esse βιβλία κανονιζόμενα, alia μὴ κανονιζόμενα; quemadmodum ab Athanasio distinguuntur in Paschali Epistola, et in Sacræ Scripturæ Synopsi. Βιβλία κανονιζόμενα sunt libri proprie et univoce canonici dicti: qui, videlicet, fidei vitæque regulam divinitus præscriptam continent, κανόνα εὐθέως καὶ γνώμονα ἀληθείας, ut loquitur Basilius; sive ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα, ut habet Chrysostomus[p]. Atque ita Apostolus[q] etiam loquitur: "Quicunque secundum hunc canonem incedent, pax erit super eos et misericordia." Et[r], τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι. Horum librorum canonem, cum alii tum Ruffinus[s] ex veterum Patrum sententia refert (in quorum sententiam et nos prorsus concedimus, quantumvis reclamantibus Tridentinis paterculis), in hunc tandem modum concludens: "Hæc sunt quæ PATRES intra Canonem

[p] In 2 Corinth. Homil. 13.
[q] Galat. 6. 16.
[r] Philip. 3. 16.
[s] Ruffin. in expositione Symboli.

concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt." "Neque enim sine caussa (ait Augustinus[t]) tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant; quos omnino judicare non audeamus, et secundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium judicamus." Atque ita fuerunt scripta Canonica, (ut Hieronymus, Ruffinus, Athanasius, et alii vocant,) quæ et ἐνδιάθηκα, h. e. Testamentaria, cum Eusebio[u] appellare possumus. Inde vero intelligimus βιβλία μὴ κανονιζόμενα, ejusmodi scripta esse quæ non sunt ἐνδιάθηκα, neque in canone divini fœderis jussu et auctoritate Dei penes Ecclesiam deposita, ut canonica, nisi improprie et æquivoce, dici non possint. Hæc autem omnia Hieronymo (in Prologo Galeato) Apocrypha dicuntur. "Quicquid (inquit) extra hos est (libros videlicet vere divinos et canonicos) inter Apocrypha est ponendum. Apocryphos vero appellari libros ait Augustinus[x], non quod habendi sint in authoritate aliqua authoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione. "Apocrypha vero nuncupantur (ait Augustinus[y]), eo quod eorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos Authoritas veracium Scripturarum certissimâ et notissimâ successione pervenit." Vel Apocryphi dicti sunt libri, quod quoties de quæstione fidei agitur, abscondi, ne in lucem proferantur ad controversias dirimendas, debeant. Porro scripta illa non canonica in eodem omnia ordine non sunt statuenda. Horum enim alia ἀπόκρυφα speciali modo dicunt (ἀπὸ τοῦ ἀποκρύπτειν, ab occultando), ἀποκρυφῆς μᾶλλον ἢ ἀναγνώσεως ἄξια (uti concinne interpretatur Athanasius in fine Synopseos), digna quæ abscondantur magis quam quæ legantur. Has enim Scripturas apocryphas nominaverunt Patres (ut in expositione Symboli ait Ruffinus) quas in Ecclesiis legi noluerunt. "Scripturæ enim Apo-

[t] Lib°. 2°. contra Cresconium, cap. 31°.

[u] Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 19. (vel 25. in Græco.)

[x] Augustin, lib. 2. contra Faustum Manichæum, cap. 2.

[y] Augustin. de Civit Dei, lib. 15. cap. 23.

cryphæ appellantur (ut est apud Origenem), eo quod multa in eis corrupta sunt, et contra fidem inveniuntur tradita"[z].

Ad hoc argumentum ita respondet Gretserus[a]: "Nego Majorem si intelligatur de Prophetis proprie dictis; quales Isaias, Hieremias, Ezechiel, et alii, qui per excellentiam Prophetæ nomen fecerunt suum: concedo autem Majorem, si intelligatur de Prophetis latius acceptis quatenus Propheta dici potest, quisquis aliquid divinitus sibi revelatum cognoscit, literisque commendat. Sed in hac secunda Prophetæ acceptione falsa est Minor. Nam etiam isti libri (inquit) de quibus cum Hæreticis digladiamur, conscripti sunt ab illis, qui ea quæ scribebant, cælesti lumine illustrati, et a Spiritu Sancto edocti, scribebant; atque adeo Prophetæ erant, quia ea enuntiabant et in literas mittebant, quæ Spiritus Sancti magisterio didicerant. Et scripturæ loca quæ Whitakerus (quem Hæreticum hic appellat hæreticus), fuci faciendi gratia, accumulat, plus non probant, quam Scripturam esse hoc secundo modo sermonem Propheticum." Respondemus, per Prophetas intelligi a nobis personas publicas extra ordinem a Deo vocatas "viros Dei, immediate a Spiritu Sancto inspiratos"[b] et Spiritu Sancto afflatas, ad populum Veteris Testamenti de voluntate Dei edocendum; sive res futuras prædixerint, sive non. Et ab his solis librum canonicum[c] Veteris Testamenti conscribi potuisse, citatis Scripturæ testimoniis evicimus: quæ quidem nullius fuci faciendi gratia accumulata sunt a nobis, sed ad causam plane necessariam. Etsi enim Gretserus rem ita manifestam esse agnoscat, ut nulla probatione indigeat; eo tamen impudentiæ progressi sunt Papistarum alii, ut rem manifestissimam in quæstionem vocent. Id facit Johannis Pistorii defensor (fals. 109), nec ab ea abhorret sententia Sixtus Senensis[d] ubi asserit Maccabaicorum librorum fidei nihil

[z] Origen. Prolog. in Cant. [Opp tom. iii. p. 66. B. ed. Bened.]

[a] Defens. pag. 97.

[b] 2 Pet. 1. 21.

[c] Alb. Pighius lib. 1. Hierarch. Eccles. cap. 2. ait "Ecclesiam impertire canonicam authoritatem quibusdam libris Scripturæ quam ex seipsis non habuerunt."

[d] Biblioth. Sanct. Lib. viii., Hæres. xii. § 7.

derogari etiamsi ab authore profano scripti sint: cum libri fides non ab authore, sed ab Ecclesiæ Catholicæ authoritate pendeat; ut quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oporteat. Hæc ille. Similiter ille, de quo dixi, Pistorii defensor (falso 202), negat veritatem librorum ab auctoribus dimanare. Et (falso 109), rationem veram ac propriam, cur liber aliquis in Vetere Testamento sit Canonicus, hanc esse ait: quod Spiritus Sanctus per Ecclesiam Judaicam canone dignum judicarit, a quocunque tandem scriptus sit. Affirmamus nos, omnesque sanæ mentis Theologi simul nobiscum affirmabunt, libri fidem ab authore eatenus dependere; ut scriptum ab authore qui divinitus inspiratus non sit profectum, canonicum esse omnino non posse: minimeque omnium in Ecclesiæ authoritate positum esse, ut profani hominis scriptum, aut humano elaboratum ingenio, possit facere canonicum. Quid enim hoc esset aliud quam Ecclesiæ potestatem tribuere, ut possit facere librum canonicum de non canonico? Quod pernegat Bellarminus[e], negabuntque omnes qui omnem sanam mentem non ejurârunt. Et audet tamen ille Pistorii defensor nescio quis (nam nomen non apposuit: credo quod puderet illum vanitatis: pudere certe debuit blasphemiarum quas hic evomuit); audet, inquam, perfrictæ frontis homo (falso 299), Mentzerum falsi insimulare in hunc modum: "Quod scriptos humano ingenio libros a Canone novus Apostolus excludis, id quoties falsum est?" Et addit: "Verum est, humani etiam ingenii librum, cum a Spiritu Sancto comprobatur, fieri divinum." Et (falso 302) librorum humano ingenio scriptorum hanc divisionem instituit: "Libri humano ingenio scripti, vel manent sicut scripti sunt, vel accessione divinæ confirmationis mutant naturam, et divini fiunt, æque ac si primum a Spiritu Sancto dictati fuissent." Divinam autem confirmationem, cujus accessione libris humano ingenio conscriptis divina concilietur authoritas, Ecclesiæ approbationem intelligit: quæ huic Theologo non solum Propheta est (sic enim loquitur, falso 415); sed etiam plusquam Propheta (circ. fals. 224) imo major omnibus Prophetis (circ. fals. 286 vel 289 etc. neque enim librum habeo

[e] Lib. 1. de verbo Dei. cap. 10.

ad manum). Sed videamus quibus argumentis confirmet Theologaster iste suum paradoxon, Humani ingenii librum, accessione confirmationis alicujus divinum posse fieri. Tria proponuntur (falso 299): Primum ex sermonibus ab humano ingenio profectis, quales sunt Ethnicorum sparsim interjecti in libris Biblicis, ut Pharaonis, Balaami, etc. (etiamsi ipsius Diaboli[f]), quos iste autumat naturam priorem exuere, quando in sacra Biblia transferuntur et confirmantur a Spiritu Sancto. Sed ea in re longe fallitur. Nam (ut recte monuit Mentzerus) aliud est historice recitare aliorum hominum dicta factave (id quod in Scripturis sæpe fit) aliud illa dicta factave per se habere pro canonica veritate. Ipsa facta hominum et dicta proficisci possunt humano ingenio vel a malo etiam spiritu (cujus instigatione peccata ab hominibus fiunt, quæ in libris sacris describuntur); at illorum dictorum et factorum descriptio in libris Biblicis, non proficiscitur ab humano ingenio, nec a motu profanorum hominum, vel Diaboli, sed a solo Deo, qui propter suos fines ista literis mandari voluit. Manent tamen ut erant: videlicet Job. 1., manent ista verba Diaboli non Dei. Secundum argumentum sumitur a sententiis, quæ ex profanis authoribus in Scripturis citatæ inveniuntur. Ut Arati, Act. 17. 28; Menandri, 1 Cor. 15. 33; Epimenidis, Tit. 1. 12. Respondeo: Sententias istas vel referri tantum a Spiritu Sancto atque ita priorem naturam non exuere, neque fieri versus Spiritus Sancti (quales sunt Davidici), sed manere uti erant, veras quidem, sed humanas, non divinas, (quomodo de aliorum hominum dictis, quæ in Scriptura referuntur, in argumento superiori responsum est,) vel a Spiritu Sancto pro suis usurpari (ut usurpata est illa Menandri[g]). Et ea ratione divinas jam evasisse, quod denuo quasi recoctæ sint in Dei officina, et per Spiritus Sancti calamum (quasi per conflatorium aliquod ignem sacrum) transierint. Quemadmodum caro sacrificii, profana prius, altari admota, per sacerdotum manus transiens, sacra est facta[h]; et aurum templi[i]. Tertium argumentum deducit ex locis qui in sacris literis ex Apocryphis

[f] Job. 1.
[g] 1 Cor. 15. 33.
[h] Hagg. 2. 13.; Mat. 23. 19.
[i] Matt. 23. 17.

libris allegantur: quales notat Joh. 9., et in Judæ Epistola. Verum probari non potest hujusmodi aliquid ex Apocryphis esse allegatum. Joh. 9, nihil quod huc faciat reperio. In Epistola Judæ ex apocrypho Enochi libro assumptum esse testimonium, nonnullorum veterum fuit opinio, a quibus eo etiam nomine rejectam fuisse Apostoli epistolam, author est Hieronymus[k]. Sed opinio fuit ista, nulla ratione innixa. Prophetia enim Enochi citatur quidem a Juda, non Scriptura illius aliqua: et vero est simillimum (quod a Benedicto Pererio[l] Jesuita notatum est) tempore Judæ nullum fuisse librum Enoch; sed jam mortuis Apostolis, hæreticos aliquos, captâ occasione ex prophetia Henoch a Juda commemorata, librum hujusmodi quasi antiquitus scriptum publicasse. Diriora sunt quæ profert anonymus ille (falso 302), ubi negat " Spiritum Sanctum immediate inspirasse quæ scripta sunt in libro Ruth, Judicum, Jobi, Regum, Paralipomenων." Et iterum: " An vero (inquit) omnes libri Prophetarum, omnes sermones, omnes commentarii dictantur a Spiritu Sancto, et immediate, et non interdum ab ingenio humano?" Deinde jubet Mentzerum cogitare quæ scribit Augustinus[m], et tacere. Respondeo: Prophetarum scripta in duplici sunt differentia. Quædam enim ediderunt ut homines (quemadmodum alicubi recte observavit Augustinus[n]) et ista ut ab humano ingenio profecta, nunquam vel ab illis commendata, vel ab Ecclesia accepta sunt pro canonicis. Alia ediderunt ut homines divinitus inspirati; quæ et erant et habebantur sacrosancta atque canonica. Neque aliud quid innuitur ab Augustino[o], (quo sine causa Mentzerum iste ablegat, nullo bono causæ suæ,) ubi de Prophetis scribit: " Quod cum multi fuerint, paucorum et apud Judæos et apud nos canonica scripta retinentur." In canonicis vero scriptis exarandis etsi non negamus Scriptores sacros religioso usos studio in indagandis rebus et penitus cognoscendis (quod de se profitetur

[k] In Catalogo in Juda. Et eum secutus Beda, in epist. Judæ.

[l] Lib. 7. comment. in Genesim, cap. 5. § 165.

[m] Lib. 18. de Civit. Dei.

[n] Apud Staplet. de αὐτοπιστ. script.

[o] Lib. 18. de Civitate Dei, cap. 26.

Lucas[p]): affirmamus tamen a Spiritu Sancto ita in hoc opere fuisse gubernatos, ut quicquid scriberent, id totum esset a Spiritu Sancto, tum quoad res, tum etiam quoad verba[q]. Statque firmum illud principium (quod impiis Sophistarum strophis opponimus) Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, "Omnis scriptura divinitus est inspirata[r]". Et illud: οὐ θελήματι ἀνθρώπου, "Non hominis libitu allata est olim Prophetia, sed acti a Spiritu Sancto locuti sunt sancti Dei homines[s]."

Probanda est jam assumptio, quam (propositione concessa) negat Gretserus. Est autem probata supra.

Secundum argumentum sumitur a charactere et dicendi genere quo authores horum librorum usi sunt: qua nota Eusebius[t] scripta apocrypha Apostolorum nomen præferentia discernit a genuinis: Ὁ τῆς φράσεως (inquit) παρὰ τὸ ἦθος τὸ ἀποστολικὸν ἐναλλάττει χαρακτὴρ, "Dictionis et loquendi forma longe a stylo et dicendi consuetudine Apostolorum abhorret." Quod etiam ipsi Stapletono[u] unum est ex intermediis, *quibus et ipsa Ecclesia et nos uti debemus ad discernendas Scripturas*. Quomodo et Bellarminus[x] defendit, quis liber sit habendus canonicus, "Ecclesiam pro arbitratu declarare non posse, sed ex veterum testimoniis et similitudine librorum de quibus ambigitur cum illis, de quibus non ambigitur," etc. At qui libros controversos cum certo canonicis contulerit, omnia dissimilia reperiet. Desiderabit in illis[y] quæ in Scripturis reliquis elucent, gravitatem, simplicitatem, ἐνεργείαν, vim et majestatem divinam. Testor experientiam cujusvis religiosi hominis qui sensus exercitatos habet in Verbo Dei. Et experiatur qui volet, vel in ipso libro Sapientiæ, in quo pleniorem majestate stylum quam in libro Ruth agnosci vult profanus apostata Johannes Pistorius[z]. Memini aliquando me in ecclesiam ingressum,

p Luc. 1. 3.

q Vide Bellarmin. lib. 2. De Concil. cap. 12

r 2 Tim. 3. 16.

s 2 Pet. 1. 21.

t Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 25 (ut in Græca editione capita distinguuntur).

u Lib. 2. De Authoritate Script. cap. 5. § 8.

x Lib. 1. De Verbo Dei, cap. 10.

y Humi serpunt (ut terrigena), non in altum assurgunt, ut altera illa in cœlis nata. Sin vel in libro Baruch (in quo major elucet gravitas); in quo tamen phrasis non est tam pressa, nervosa, sedata, majestatis plena.

z Pistor. in Wegweiser, artic. 1.

quum prælegeretur aliquid ex libro Sapientiæ (quod ego non sciveram), vix uno vel altero audito versiculo (qui continebat sententiam sane probam) statim illud tacite apud me cogitare cœpisse—Vox hominem sonat: habuique persuasissimum, et quovis sacramento contendissem, me quemvis potius quam Prophetam divinitus inspiratum loquentem audivisse. Ut quod ille[a] ad suum poëma:

> "Vive precor:—nec tu divinam Æneida tenta,
> Sed longe sequere, et vestigia semper adora,"

id ad alia omnia scripta frustra sacrorum æmula tanto certius accomodare possimus, quanto Deum[b] ipsum (eloquentiæ et linguæ authorem) creaturas suas omni modo, et ultra comparationis modum, majestate quadam superare certum est.

Certe Hieronymo[c], illud argumento fuit, Sapientiam Salamonis pseudepigrapham fuisse, quod ipse stylus Græcam elegantiam redoleret. Idemque[d] de additamentis ad librum Estheræ: "Quem librum (inquit) editio vulgata laciniosis hinc inde verborum funibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate excogitari, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel ille qui injuriam fecit." Ex hujusmodi scholastica declamatione constat totum 16um. caput, contra formam rescriptorum regum Persicorum (non magno sane judicio, a qua maxime abhorret nedum a stylo Spiritus Sancti). "Non[e] enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes imposuerunt se illi," etc. Quæ Græcam vanitatem plane olent, et recentioris alicujus commentum manifeste arguunt[f]. De cujusmodi elegantiis eleganter Canus[g]: [Certe, quod olim puer magno assensu virorum sapientium

[a] Statius, Thebaid. lib. 12. prope finem.

[b] Quanto majorem constat esse differentiam inter oracula Dei et Æneida Virgilii, tanto difficilius ut homo Deum quam ut homo hominem assequatur.

[c] Hieronym. præfat in libros Salom.

[d] Hieron. præfat. in Esth.

[e] Judith 16. 8.

[f] Vide Concord. Bibl. Lat. voc. Cocytus.

[g] Canus, lib. 2.; loc. Theol. cap. ult.

dixi], "Si aut Christus, aut Paulus istorum mihi lingua loquerentur, nec Christus mihi, nec Paulus essent. Non est nitidulus Christus, mihi crede, non est comptulus, non elaborate ornatus," etc.

Atque ut hic affectatiora sunt omnia, ita alibi humiliora sunt nonnulla et ineptiora (viliora, seu abjectiora) quam ut Spiritus Sancti majestatem deceant: cujusmodi reperias in authoribus libri Tobiti et Jasonis Cyrenæi Epitomes[h], qui idiotæ videntur fuisse, vel certe mediocriter, ac mediocritate, eruditi. Prior, verbi gratia, Tobiam iter ingredientem describens[i]: "Profectus est (inquit) Tobias, et canis secutus est eum." Telemachi comitatum diceres descriptum ab Homero[k]:

> Βῆ ῥ' ἴμεν εἰς ἀγορὴν
> Οὐκ οἶος· ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο.

Deinde Tobiæ reditum describens author[l]: "Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via; et quasi nuncius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat[m]." Et hoc etiam *μάλα Ὁμηρικῶς*[n]:

> Οὐρῇ μὲν ῥ' ὅγ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

Similiter ridicula sunt quæ de tribus noctibus scribuntur in fine cap. 6, Tobiti[o]. Author Epitomes Jasonis Cyrenæi, in operis sui prooemio[p]: "Sicut hi, qui præparant convivium, et quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus." Et in epilogo[q]: "Sicut vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Atque hic finis futurus est" (vel, ut vulgata, "Hic ergo erit consummatus").

Tertium argumentum sumitur a constitutione Canonis per Ezram Prophetam: quam huc accommodant Isidorus[r],

[h] Lib. 3. Maccab.
[i] Cap. 6. 1. (al. 5. 25.)
[k] Odyss. B. vs. 10.
[l] Cap. 11. 9.
[m] Ut Colloq. Ratisb.; et Colloq. Campiani. Deest tamen illud de *cauda* in Græco.
[n] Odyss. P. 302.
[o] In editione Latina.
[p] 2 Maccab. 2. 28.
[q] 2 Maccab. 15. 40.
[r] In Libro de Offic.

Rabanus Maurus[s], Leontius[t], et authores Hebræi. Est autem hujusmodi: Libri sacri Veteris Testamenti ab Ezra collecti sunt, et in canonem relati. At isti libri de quibus controvertitur non sunt ab Ezra collecti, etc. Propositio major plurimorum authorum testimoniis confirmatur a Bellarmino,[u] ubi inter alios citantur Patres vetustissimi Irenæus[x], Tertullianus[y], et Clemens Alexandrinus[z], affirmantes Esram recensuisse et instaurasse libros omnes Testamenti Veteris. Nec Græcorum solum et Latinorum ista est sententia communis, sed etiam Hebræorum. Unde Elias Levita[a] Ezram dicit reformasse coronam juxta vetustatem suam, et ordinasse et correxisse libros sacros. Propositio minor confirmatur ab authoribus initio notatis. Isidorus et Rabanus aiunt, "Totum Vetus Testamentum ab Esra fuisse in 22 libros constitutum; ut tot libri essent in lege, quot habentur et literæ." Leontius totidem ab eodem restitutos commemorat: eosdem, viz. qui a nobis recipiuntur, exclusis illis quos Canoni inserendos contendunt Pontificii.

I. Quæ in vulgata editione Latina, ad Estheræ[b] historiam adjecta habentur, vel pro veris partibus operis præcedentis sunt agnoscenda, vel ab authoritate Canonis sunt removenda. At pro veris partibus operis præcedentis non sunt agnoscenda. Major probatur: quia partes ad alterum opus spectantes, pro canonicis non sunt habendæ. Bellarminus quidem dici posse putat, duplicem fuisse editam (et quidem Hebraice, ut ille somniat) Estheræ historiam: contractiorem unam, quæ Hebraice ad nos pervenerit (unde et vulgata editio Latina, usque ad quartum versum capitis vicesimi expressa est); fusiorem alteram ad quam partes istæ controversiæ pertinuerint; quas tamen ille canonicas nihilominus et divinas esse contendit. Nobis igitur ostendendum est, fusioris istius historiæ, quam nobis obtrudit Bellarminus,

[s] De Instit. Cleric. lib. 2. cap. 54; et lib. 3. cap. 7. Vide Isidor. Etymol. lib. 6. cap. 1.
[t] In Lib. de Sectis, Act. 2.
[u] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 1. Vid. B. Pererio, Præfat. Commentar. in Genes.; et Baronio, tom. 2. Annalium ad an. 180.
[x] Lib. 3. cap. 25.
[y] Libro de Habitu mulierum.
[z] Stromatum lib. 1.
[a] Præfat. 3. Masoreth Hammasoreth.
[b] A vs. 4. capitis 10 usque ad finem capitis 16.

partes, quæ in contractiori illa (quæ Hebraice extat, et in vulgata editione usque ad quartum versum capitis, Latine expressa legitur) non habentur, pro canonicis agnoscendas non esse. Sic igitur breviter assumptionem nostram confirmamus, duobus argumentis. 1. Quod a Tridentinis Patribus in Canone non reponitur, id pro canonico non est habendum a Pontificiis. At vero partes ad alterum opus spectantes, quam illud quod habetur in veteris vulgatæ Latinæ editionis capitibus 9 prioribus (cum 16[i] initio); ex Hebraica editione (contractiore videlicet illa, quam Bellarminus appellat, historia) expressum; in Canone non reponuntur a Patribus Tridentinis. Neque enim additamenta hæc a Synodo speciatim in Canone recensentur: sed tantum liber Esther cum suis partibus. Si igitur partes illæ, quæ capite 10° et sex sequentibus habentur ad aliud opus referendæ sunt, non autem ad præcedens: a Synodo Tridentino canonicam authoritatem non obtinent. 2. Si partes ad alterum opus spectantes, pro canonicis essent habendæ, tum duo Hesteræ volumina essent in Canone reponenda. Alterum enim quod in Hebraico habetur (quod historiæ tantum summum continere ait Bellarminus) canonicum esse non est dubium. Atqui hoc παράδοξον est hactenus inauditum.

Minor probatur.

1. Si essent istæ veræ partes, tum in editione originali extarent: (partes omnes præcedentis libri in Hebræo reperiuntur.) At istæ in editione originali non habentur, in textu enim Hebræo desiderantur; quod et Hieronymus confirmat, et omnibus manifestum est. Ergo. Respondet Bellarminus[c], et quidem cum Origene (ut ille ait) in Epistola ad Julium Africanum: probabile esse, aliquando ista etiam capita in textu Hebraico fuisse, deinde casu aliquo excidisse. At nos negamus, cuiquam sapienti probabile esse, Scripturam melius in Græco quam in Hebræo servari potuisse. Imo injurium hoc esse asserimus in Dei providentiam, quæ in rebus ad salutem plurimum conducentibus nunquam deest (ut recte affirmat Stapletonus[d]): qualis potissimum est canonicarum

[c] Lib. 1. cap. 7.

[d] In Defensione Ecclesiasticæ Authoritatis, lib. 2. cap. 1. § 7.

Scripturarum conservatio, et quidem in illis verbis in quibus a Prophetis exaratæ sunt, (quemadmodum ostendit Bellarminus[e]). 2. Deinde injurium hoc esset in priscæ Ecclesiæ fidem, quæ oracula Dei sibi commissa fideliter non conservasset, si ea interire (negligentia nullo pacto excusanda) permisisset. Ecclesiam vero ita officio suo deesse potuisse, admittendum non est; præsertim a Pontificiis qui tantopere de Scripturis Ecclesiæ suæ opera conservatis jactitare soleant. 3. Ipse Bellarminus[f] agnoscit, et ex Philone confirmat, tantam fuisse in conservandis libris sacris religionem, ut centies potius mori vellent, quam ut paterentur legem in aliquo mutari. Quomodo igitur jam probabile illi fit, tot capita ex textu casu aliquo excidere potuisse? 4. Ipse stylus hoc convincit, quem Græcanici cujusdam esse manifestum est; qui sermonis sui elegantiam in postremo capite ostentare voluit, ut recte observavit Francis Junius. 5. Si hæc ex textu casu aliquo excidissent, tum hiatus aliquis in originali textu appareret, præsertim cum non ad unum locum ista pertineant omnia; sed quædam ad initium libri, quædam ad medium, quædam ad finem, quemadmodum ipse confirmat Bellarminus. At in textu Hebræo omnia optime inter se cohærent, ut ne vestigium quidem appareat e medio volumine quicquam intercidisse: imo tota narrationis series turbatur, si additamenta ista interserantur, quemadmodum postea ostendemus. Ad Origenis vero authoritatem quod attinet (quanquam ea apud Catholicos magni non sit ponderis) fallit nos Bellarminus quando pro concesso sumit, illum se habere sententiæ suæ astipulatorem. Dicit enim in Epistola illa ad Julium Africanum, apud Hebræos quidem ista non haberi, sed apud LXX. et Theodotionem: at aliquando in textu Hebraico fuisse, deinde casu aliquo excidisse, id vero nusquam affirmat. Imo si Sixto Senensi[g] credimus, Origenes in Epistola ad Julium Africanum hæc etiam additamenta explodit: quod an ita sit, iis quibus ad manum sunt integra illius Epistolæ exemplaria inquirendum relinquo. Illud tantum de editione Septuaginta (ne

[e] De Verbo Dei, lib. 2. cap.2 [f] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 2.
[g] Bibliothecæ Sanctæ, lib. 1. sect. 3.

quis erret) monere visum est: illam hic ab Origene intelligi quæ tum temporis apud Christianos erat vulgata[h]. Nam post LXX. interpretum ætatem Græca ista additamenta esse edita ex eo constat, quod cap. 11, vers. 1 (in vulgata editione) mentio fiat anni quarti regni Ptolemæi et Cleopatræ. Errat enim Fr. Junius[i], cum putat Ptolemæum Philadelphum hic intelligi, qui LXX. interpretes in exponendo Vetere Testamento occupavit, ut narrat Josephus[k]. Nec enim uxorem habuit ille Cleopatram, sed Arsinoën, (quemadmodum ex ipso Josepho in historia LXX. interpretum intelligimus,) neque etiam pater ipsius Ptolemæus Lagi ullam hujus nominis habuit conjugem. Sed Ptolemæum potius Philometorem hic intelligendum, ex verbis illis Josephi[l] colligitur: Ὁ δὲ Φιλομήτωρ Πτολεμαῖος καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Κλεοπάτρα, τὴν βασιλείαν ὅλην τὴν ἑαυτῶν Ιουδαίοις ἐπίστευσαν, καὶ στρατηγοὶ πάσης τῆς δυνάμεως ἦσαν Ονίας καὶ Δοσίθεος Ιουδαῖοι[m]. Hic enim Dositheus Oniæ sacerdotis σύγχρονος ille ipse videtur cujus in Additamentis hisce ad Estheram facta est mentio. Sed premit nos Bellarminus testimonio Josephi[n], ubi historiam Esther enarrans, duas epistolas Assueri et orationem Mardochæi non prætermittit: cum tamen nihil horum nunc in Hebræorum codicibus habeatur. Neque credibile est (inquit Bellarminus) a Josepho hæc esse conficta: cum ipse idem[o] de se ista loquatur "In ipso (inquit) historiæ meæ principio

[h] Vide Hieron. in præfatione et notis ad librum Estheræ Latine a se editum: ista scripta se reperisse notat in editione *vulgata*, quæ in Græcorum lingua et literis continentur (not. in cap. 10), et apud nullum penitus ferri interpretem (not. in cap. 13).

[i] In notis ad cap. 11.

[k] Antiquitat. Judæ. lib. 12. cap. 2.

[l] Contra Apion. lib. 2.

[m] De quibus etiam idem Josephus, Antiq. lib. 20. cap. 8, et lib. 13. cap. 6, ubi Oniam notat templum in Ægypto ædificasse; (quod erat contra Dei mandatum: ut ostendit Pererius, comment. in Daniel. lib. 3, pag. 138, edit. an. 1594;) additquo: "Nec defuerunt Oniæ similes ipsius Levitæ ac sacerdotes, qui illic divinum cultum frequentarent, et instaurarent ceremonias." Cum quo confer illud in vulg. edit. apocr. Estheræ, cap. 11 (quo concluditur Esther in Græcis exemplaribus): "Anno quarto, regnantibus Ptolemæo et Cleopatra, attulerunt Dositheus, qui se sacerdotem et Levitici generis ferebat," etc. Et nota additamenta ista profecta ab Ægyptiis Judæis. Vide Scalig. in Euseb. pag. 124 *b*, de Hellenistis.

[n] Antiquit. lib. 11. cap. 6.

[o] Lib 10. cap. 12 (Ruffini), 11 Græc.

propter eos, qui quæstiones faciunt, aut in aliquo culpare nituntur, astruxi dicens translaturum me libros Hebraicos in eloquium Græcum: et hos volentibus aperire, neque adjicere ipse aliquid seorsum, neque subtrahere me promittens." Respondeo: Transtulit quidem Josephus libros Hebraicos; verum non divinos solum, sed et alios quoslibet, etiam profanos et suspectæ fidei. Multa[p] enim aliena in librum suum congessisse illum (undecunque accesserint) divino Canoni non admodum respondentia, clarius est quam ut negari possit. Ejusmodi sunt fabulosæ narrationes de Mose trienni, ed eodem juvene belligerante contra Æthiopes, de Tharbi Regis Æthiopiæ filia connubium Mosis expetente, etc. Itaque Nicolaus Lyranus in fine commentarii in hunc librum non dubitavit asserere, Additamenta ista non esse de Scriptura canonica, sed videri magis a Josepho et aliis auctoribus conficta, et postea vulgatæ editioni inserta. A qua sententia non multum discedit Sixtus Senensis[q]. Si essent istæ veræ partes operis præcedentis[r], tum in editione quæ apud Romanam Ecclesiam authentica est, a reliquo libri canonici corpore non resecarentur, atque de loco suo ad operis calcem rejicerentur. At hoc factum est: quemadmodum in omnibus exemplaribus vulgatæ editionis videre licet. Ergo. Ait quidem Bellarminus pati Ecclesiam ea capita simul ad finem libri permanere, ubi ea S. Hieronymus collocavit: ut intelligamus quid hujus libri sit, et quid etiam non sit in codicibus Hebræorum. Sed addere etiam debuit Ecclesiam, quum Notationes quoque et Præfationem Hieronymi hic retinendas putarit, Hieronymi hac in re consilium approbasse. Ait vero ille se Additamenta illa quæ ad finem libri subjecit, juxta consuetudinem suam obelo, id est veru, prænotavisse. Hanc autem esse Hieronymi consuetudinem, ut veru ea quæ ab interpretibus perperam

[p] "Josephus frequenter, omissa vera historia, narrat fabulas: ut lib. 2. Antiquitatis Judaicæ, cap. 5. et sequentibus, multa de Mose fabulatur, etc. Sed infinita sunt hæc, si singula conemur persequi, quibus omissa vera rerum historia, in illius locum fabulas sufficit." Hæc Leo a Castro in disputatione de translationibus S. Scripturæ, præfixa commentariis in Esaiam, cap. 36.

[q] Biblioth. Sanct. lib. 1. sect. 2.

[r] Veræ partes non merebantur e loco suo exturbari: At istæ exturbari merebantur: Ergo.

ad textum sunt adjecta jugularet nemo ignorat. Et ipse in Præfatione in librum Esther (quæ in editione vulgata adhuc retinetur) sententiam suam plane aperit. "Librum Esther (inquit) variis translatoribus constat esse vitiatum: quem ego de archivis Hebræorum revelans, verbum e verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant, et audiri: sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit." Hæc Hieronymus; Additamenta ista, ceu vitiatam partem, a toto Esther volumine resecans, ut ait Sixtus Senensis[s].

3. Si essent ista vera membra operis præcedentis, tum si singula fragmenta in locum suum denuo insererentur: cum reliquo corpore apte cohærerent. At vero non cohærerent, quia, 1° otiosa statim occurreret repetitio insidiarum structarum Regi ab Eunuchis, etc.: 2°. Quædam sunt quæ inseri non possunt, nisi prius versus aliqui de opere præcedente (et textu originali) eximantur; quod certissimo argumento est, pannosa ista additamenta (ut Sixtus Senensis[t] appellat) ab incognito aliquo authore temere huc esse apposita, et utcunque insuta. Verbi gratia: 15^um^ caput, a versu 4° (ad capitis finem) attexendum esset initio capitis 5^i^. Id vero fieri commode non posset, nisi prius verba illa demantur, quæ in principio capitis quinti leguntur: "Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus." Itaque in Græca editione Sixti V. authoritate ex Vaticano edita, hæc omnia in textu prætermissa videmus: quo locus scilicet præclaris istis additamentis parari posset.

II. Quæ cum canonica Scriptura et historica veritate pugnant ea pro partibus Scripturæ canonicæ non sunt ha-

[s] Lib. 1 pag. 27.

[t] Bibliothecæ Sanctæ, lib. 1. sect. 3.

benda. At in additamentis istis plura sunt quæ pugnant cum canonica Scriptura atque historica veritate.

1. Quod insidias duorum Eunuchorum adversus regem Assuerum narrat, quasi anno secundo regis Assuere factas, pugnat cum Scriptura canonica et historica veritate. Constat enim ex secundo capite historiæ canonicæ Estheræ contigisse eas post nuptias regis cum Esthera celebratas, quæ septimo demum Assueri anno factæ sunt[u]. Eam vero conjurationem, Estheræ jam in regio connubio constitutæ patefecisse Mardochæum, Estheram vero regi, sacra confirmat historia[x]. At in Additamentis istis insidiæ duorum Eunuchorum adversus regem narrantur, quasi anno secundo Assueri factæ, quemadmodum apparet ex collatione capitis 11, 1, cum capite 12, 1. Ergo.

Respondet ad assertionem Bellarminus caput 11 et 12 ad initium libri pertinere, atque ibi narrari insidias per anticipationem, quæ rursus narrantur postea suo loco, capite secundo. Illa enim verba capitis undecimi, Anno secundo regnante Artaxerxe, etc., non debere extendi usque ad narrationem insidiarum, sed solum ad ea quæ dicuntur in ipso capite secundo, id est, ad somnium quod Mardochæus vidit antequam Esther Assuero conjungeretur. Nos vero nihil aliud hoc esse quam ipsius Bellarmini somnium confirmamus. Nam, primo, si inepta ista Bellarmini anticipatio esset admittenda, sequeretur quinque integros annos inter somnium Mardochæi et insidiarum detectionem effluxisse (quot nimirum inter secundum et septimum Assueri annum intercipiuntur). At historia hæc eo tempore insidiarum detectionem factam narrat, quo somnium somniatum est; sic enim capitis duodecimi initio legimus: "Morabatur autem eo tempore in aula regis cum Bagatha et Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii. Cumque intellexisset cogitationes eorum et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, et nuntiavit super eo regi," etc. Ex textu vero originali Græco unius solummodo diei intervallum inter somnium et insidiarum detectionem intercessisse colligi posse videatur.

[u] Esther. 2. 26. [x] Esth. 2. 22.

Quemadmodum de Canone, ita etiam de Editionibus Scripturarum variis, inter nos et Pontificios controvertitur. Ac de Editionibus quidem tum Authenticis tum Vernaculis atque vulgaribus: de utris queetenim quæstiones moventur. Authenticas vero appellamus illas editiones quæ adeo certam et justam authoritatem obtinent, ut ad aliarum normam eas expendere atque examinare fas non sit, sed solidam Sacrarum literarum veritatem inde haurire liceat. Hujusmodi nos Originalem editionem (ut par est) esse contendimus: Hebræam nimirum in qua Vetus, et Græcam in qua Novum Testamentum Spiritum Sanctum dictavisse constat. Idem privilegium in alias editiones inde translatas alii conferunt. Itaque de Fontium primo, deinde de Translationum *αὐθεντία* erit disserendum. Separatim enim de istis quæstionem instituere visum est, licet inter se valde conjunctis; ne disciplinæ nos incapaces criminaretur Sacroboscanus[y], quemadmodum Whitakerum insimulavit, homo omnis disciplinæ bonæ rudis atque ignarus. Et quidem in sessione quarta Synodi Tridentinæ statutum legimus: 1°. "Ut libri sacræ Scripturæ, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis ab omnibus suscipiantur." 2°. Deinde: "Ut hæc ipsa editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus, pro authentica habeatur; et ut eam nemo rejicere *quovis prætextu* audeat vel præsumat." Hinc statum controversiæ inter Orthodoxos et Pontificios Whitakerus[z] noster elicit: Utrum Latina hæc vulgata editio sit authentica Scriptura, an potius Hebraicus textus in Vetere Testamento, et Græcus in Novo. Et Concilium quidem Tridentinum definivisse ait, Latinum esse authenticum: nostras vero Ecclesias statuere Hebraicam Veteris, et Græcam Novi Testamenti, esse sinceram et authenticam Dei Scripturam:

[y] Part. 1. cap. 1. non procul a fine.

[z] Controvers. de Scriptur. quæst. 2. cap. 1.

itaque omnia esse ex his fontibus definienda et versiones sic esse probandas, ut cum his fontibus conveniunt. Hic vero exclamat Christophorus de Sacrobosco[a], a scopo aberrare Whitakerum, ut qui maxime: Tridentinam enim Synodum hujusmodi comparationem non fecisse; neque Hebraici textus Græcive omnino meminisse. Hoc fuisse Calvini mendacium: decrevisse Tridentinos Patres minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, et ex certa veritate falsum coarguunt. Bellarminum[b] idem ipsum observavisse (ne quis hic per imprudentiam lapsum putet Whitakerum) quod Patres horum fontium mentionem nullam fecerunt, sed solum ex tot Latinis editionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent. Ad extremum Stapletoni, Reginaldi, et aliorum ex ista fæce querelam renovat: sectarios centies refutatas ineptias, dissimulatis callide solutionibus a Catholicis ad eas datis, pro novis mercibus identidem orbi ostentare. Ita ille: cui quid aliud reponamus, quam illud Satyrici[c]:—

> "Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
> Quis cœlum terris non misceat, et mare cælo,
> Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
> Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?"

Ecce enim, ne longe abeamus, hoc ipso in loco in quo adversus nostros stomachatur, ejusdem criminis cujus alios insimulat, ipse reus (et quidem ἐπ' αὐτοφώρῳ) deprehenditur. Conqueritur ille dissimulasse Whitakerum, quod Calvino a Bellarmino objectum est. Interim homo sapiens ipse dissimulat, Bellarminianam istam calumniam a nostris[d] non semel depulsam fuisse: ut eam cramben nobis reponere denuo ipsi non fuerit necesse. Quod igitur Bellarmino illi pro Calvino responderunt; idem sibi pro Whitakero responsum habeat Christophorus: Utut Tridentina Synodus Hebraici

[a] Defens. Decreti Trident. part. 1. cap. 1.

[b] De Script. lib. 2. cap. 10.

[c] Juvenal. Satyr. 2. ver. 24.

[d] Sibrando Lubberto, de Principiis Christianorum Dogmatum, lib. 2. cap. 6. Fr. Junio. Animadv. in Bellarm. de Verbo Dei, lib. 2. cap. 10. Ægidio Hunnio in Examine ejusdem loci.

Græcive textus mentionem explicitam non fecerit; sponte tamen ex ejus definitione sequi illud quod Whitakerus voluerit. Respondet quidem ad hoc Jacobus Gretserus[e]: sed ita respondet, ut Whitakeri et nostram de Patrum Tridentinorum hac in re sententia sententiam, contra Christophorum plane confirmet. Nam si quid (inquit) purum adferatur ex fontibus, id nunquam dissentiet a Latina editione vulgata; si autem dissentiat, jam hoc ipso purum non erit. Ait quidem ille impudenter mentiri Calvinum; patres Tridentinæ Synodi statuisse, minime audiendos esse alios, etiamsi ex fonte ipso purum liquorem adferant: (quanquam ipsi Gretsero impudentiæ nota potius debeatur, qui sacrorum fontium puritatem adeo non agnoscat, ut turbidæ etiam versioni postponendam putet; non Calvino, qui de fontium puritate, ita ut res est, loquitur, non quomodo Bablyonicæ meretricis calice ebrii de ea imaginantur:) sed quum addit, "Si purus sit obviis ulnis acceptabitur; quia non divertet ab ea editione, quam Tridentini patres authenticam esse declararunt: si autem divertat; jam liquor purus non erit;" hanc Patrum Tridentinorum sententiam fuisse aperte significat, Editionem Latinam regulam esse debere sententiæ Spiritus Sancti in Sacris literis, ad quam etiam ipsius Hebræi et Græci textus veritas sit exigenda. Atque ita revera illos sensisse manifestum est. Nam, 1°. Qui solam vulgatam Latinam editionem, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus, pro authentica habendam statuunt, ii textum Hebræum Veteris, et Græcum Novi Testamenti, authenticum esse non volunt, nisi quatenus textus ille cum vulgata illa editione congruit. Atque ita Versionem textui Originali præferunt: et fontem Græcum et Hebræum ad Translationem, non Translationem ad fontem exigendam definiunt. At Synodus Tridentina solam vulgatam Latinam editionem ita pro authentica habendam esse statuit. Ita in manuscripta Controversiarum Epitome confirmat Robertus Personius[f]: Concilium Tridentinum in illa quarta Sessione determinasse, Ut hæc SOLA editio legatur

[e] Defens. Bellarm. lib. 2. cap. 10.
[f] De Verbo Dei, Quæst. 3.

seu exponatur in scholis, cantetur in divinis officiis, et ex ipsa decernantur controversiæ. Unde etiam Thomas Stapletonus[g] controversiam hanc scholastico more ita proponit: "Videtur quod Latina vulgata editio Veteris et Novi Testamenti non debet ab Ecclesia pro SOLA authentica et sacra Scriptura approbari," etc. "Sed[h] in contrarium est authoritas summa Sedis Apostolicæ et Concilii Tridentini: quæ[i] unicam videlicet Latinam veterem et vulgatam pro authentica approbavit." Et omnium clarissime Gregorius Valentianus Jesuita[k] concludit: "Nullo modo auctores illos audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum contendunt, posse etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos et Græcos codices, tanquam per fontes (ut aiunt) in locis aliquibus, quod ad ipsam sententiam attinet, emendari. Non licet, inquit ille, hoc facere, Quin potius Græci et Hebraici codices, sicubi a nostra editione dissideant, per nostram corrigendi et emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probavit, non illos: quanquam nec illos rejecit, nisi ubi huic nostræ editioni forte contradicerent." Hactenus Valentianus.

2°. Qui partes omnes librorum sacræ Scripturæ non aliter quam prout in Ecclesia Romana legi consueverunt, et in vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendas statuerunt, ii sententias illas, prout in Hebræo et Græco textu habentur, pro sacris et canonicis agnosci nolunt[l]. Longe enim aliter ibi se habent, quam in vulgata Latina habentur: quod ex uno Psalmorum libro manifestius elucescit, quam ut sine summa impudentia negari possit. At vero Tridentini Patres hoc statuerunt: et quidem merito, si Sixtum V. Pontificem Maximum audiamus. "Merito (inquit ille in Bulla Bibliis suis præfixa) sacra Tridentina Synodus, veteris vulgatæ editionis libros non aliter quam prout in Ecclesia legi consueverunt, pro canonicis suscipiendos decrevit."

[g] In Relectione Principior. Doctrinal., controv. 5. quæst. 3. art. 3. pag. 523.

[h] Pag. 524. [i] Pag. 525 (vid. lin. 21 et 24.)

[k] In Analysi Fidei Catholicæ, lib. 8. cap. 5.

[l] Hinc sequeretur, ubi differentia est inter textus (ut in Psalmis), vel duos esse textus divinos, vel Hebraicum non esse divinum.

3°. Qui vulgatam editionem ita authenticam esse statuunt, ut eam nemo rejicere in disputationibus et expositionibus QUOVIS prætextu audeat, eam deserendam nobis interdicunt, quoties aliam nobis sententiam exhibet interpres, quam quæ in textu Hebræo vel Græco cernitur. Prætextum enim nullum admittunt, qui QUEMVIS excludunt: ut recte observat Mortonus noster. Neque ille solum, sed et ante eum Johannes Hartus, nobilis ille sacerdos et confessor insignis (his enim elogiis ab authore Concertationis Ecclesiæ Catholicæ in Anglia exornatur) idem observavit, dum in Collatione[m] cum D. Joanne Rainoldo pro Latina sua editione ex decreto Tridentino ita ratiocinatur: "Si nemo illam QUOVIS prætextu possit rejicere, tum nec prætextu textus Hebræi." Atque inde demum concludit, præfracte satis: "Hebræum textum adversus Judæos allegare poteris; nam me quidem nunquam moturus est. Ad Latinum nostrum semper appello: quem nullo prætextu sum relicturus."

Quid multis opus est in re tam aperta? Et Tridentini Patres et Bellarminus Latinam editionem authenticam esse volunt. Qui vero Latinam esse editionem authenticam Scripturam asserunt, ii fontes Hebraicos Græcosque obstruunt: quemadmodum recte affirmavit Whitakerus[n]; unico illo axiomate Bellarminianam objectiunculam prosternens, quam ab illo callide dissimulatam cavillatur Sacroboscanus. Quid vero ad argumentum propositum respondit ipse Christophorus? "Dico id esse falsum (inquit ille)[o], tum quia nihil hujusmodi intendunt (Tridentini Patres et Bellarminus), tum quia si forte fontes isti sint misere corrupti (ut quidam volunt) ipsi sunt qui se condemnant. Solum enim ex eo, quod constat vulgatam editionem esse authenticam, sequitur juvari nos ad cognoscendum, quonam modo se habeant exemplaria fontium. Sed de his plura capite tertio." Hæc ille. Quonam vero modo se habeant exemplaria fontium, et an tam misere corrupti sunt quam miseri isti Tridentinæ perfidiæ patroni comminiscuntur, erit paulo post disquirendi locus. Interim verum illud esse pronuntiatum

[m] Cap. 6. § 2.

[n] Quæst. 2. cap. 9.

[o] In fine capitis 1, pag. 9.

ostendemus quod falsum esse dicit Christophorus: qui quid dicat (modo aliquid dicat) nihil pensi habet. Ita igitur breviter concludimus: Qui omnem editionem a vulgata Latina passim dissentientem improbare tenentur, necesse est ut exemplaria Bibliorum Græca simul et Hebræa iidem improbent. Eam enim ab his plurimis in locis discrepare; qui tantillum frontis habet, inficiari non poterit: et pluribus nos infra demonstrabimus. At vero qui Latinam editionem "in omnibus suis partibus" authenticam esse defendunt, editionem omnem quæ ab ea passim dissentit, tenentur improbare. Qui enim quæ inter se dissentiunt ut vera esse velit defendere, nihilo plus agat quam si det operam ut cum ratione insaniat, cum utique non possit verum esse quod dissonat: ut recte Hieronymus[p]. Patres igitur Tridentini, Bellarminus, et illarum partium reliqui, cum Latinam vulgatam editionem authenticam esse defendunt, necesse est ut simul intendant, fontes Hebræos et Græcos qui ab ea dissentiunt deserendos esse, adeoque fontes in omnibus locis in quibus ab eadem discrepare deprehenduntur, condemnent[q]. Et quidem Bellarminum hoc intendisse (quicquid dicat Sacroboscanus) tota ipsius disputatio fidem facit. Nominatim vero[r], postquam nostrorum argumentum recitasset, "Magis credendum esse, quod habetur in fontibus Hebraicorum et Græcorum codicum, esse verbum Dei, quam quod habetur in rivulis versionum," respondet: "Negari non posse, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat, fontes non esse turbatos. Jam vero FONTES MULTIS IN LOCIS TURBATOS FLUERE, vixque dubitari posse vigilantiorem fuisse Latinam Ecclesiam, quam Græcam, in suis codicibus a corruptione defendendis." Ita sine ullo circuitu sententiam suam aperuit: quandoquidem fontes turbati sunt, versionis rivulos fontibus Scripturarum anteponendos esse. Quid vero sibi vult, quod hoc in loco scribit Christophorus? "Ex eo, quod constat vulga-

[p] Præfatione in Josue.

[q] Ita concludit Johannes Azorius, Jesuita, lib. 8. Institut. Moral. cap. 3., Græca et Hebræa exemplaria, quæ nunc extant si cum sensu vulgatæ Latinæ pugnent, pro Canonico Scriptura esse nobis habendam Latinam editionem.

[r] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 11.

tam editionem esse authenticam, sequi, juvari nos ad cognoscendum, quonam modo se habeant exemplaria fontium." An non etiam ille in eorum concedit sententiam (adversus quos pugnat Whitakerus noster), qui non ex fontibus vulgatæ editionis exemplaria, sed ex vulgata editione fontium exemplaria æstimanda volunt? Certe cap. 3, quo nos ad sententiam ipsius plenius cognoscendam hic remittit, ultro nobis dat (non diffitetur)[s], "Sequi ex sua sententia, et Ecclesiæ suæ definitione; si Hebraica aut Græca exemplaria quæ modo habentur, uspiam in iis quæ ad fidem aut mores Ecclesiæ attinent, dissideant a vulgata editione Latina, tunc ea postponi oportere vulgatæ editioni. Et quid mirum? (inquit) nam ea hypothesi data sequitur illa exemplaria non convenire cum primis exemplaribus, quæ fontes fuerunt editionis vulgatæ: quod facile accidere potuit culpa Hebræorum, aut Græcorum, qui non ita bene conservarunt fontes, ac Latini suam translationem." Tum multa subjicit de locis quibusdam ab Hebræis in Vetere Testamento corruptis, ac de mala cum Judæorum tum Græcorum fide: quæ nos suo loco reservabimus. Concludit tamen ad extremum, ista non eo esse a se dicta, quo damnata velit Hebraica vel Græca exemplaria, quæ ad nos pervenerunt. Verum hoc perinde est (ut quod inepte Whitakero ipse paulo ante accommodavit, nos justissime ad authorem transferamus) ac si quis Christophorum vocaret nebulonem, moneret tamen se bene de homine sentire. Quomodo enim ille Hebraicis et Græcis exemplaribus detractum nolit, qui cum hic tum alibi[t] tot corruptelis depravata contendit? Quorsum igitur hæc omnia de Hebraicis et Græcis exemplaribus? "Nimirum, ut ostendam (inquit)[u], si quid majoris momenti in illis reprehendendum sit, cuinam causæ id possit merito adscribi: ita ut non propterea in dubium revocari oporteat authoritatem vulgatæ editionis. Nimirum hoc illud est, quod Christophorus negat, et nos indignamur a Bellarmino et aliis decreti Tridentini patronis defendi: tantam esse vulgatæ editionis authoritatem, ut potius quam ad fontium

[s] Part. 1. pag. 18.
[t] Pag. 382, etc., 35, 36.
[u] Pag. 23.

normam eam exigi admittant, caussas nescio quas a quibus fontium corruptela profecta fuerit, comminiscantur: atque ita fontibus αὐθεντίαν a Deo profectam detrahant, ut illam versioni humana opere elaboratæ impertiantur. Quam sententiam suam etiam in quarto primæ partis capite aperte prodit Jesuita hic noster. Asserit enim[x], jure facere Pontificios, quod nolint versionem suam ad fontes examinari, si per fontes intelligantur ii codices Hebraici et Græci, qui modo habentur. "Non enim constat (ait ille), eos cum suis fontibus, id est, primis exemplaribus convenire: quibus tamen conformem esse nostram versionem, nos certos facit Ecclesia[y]." Additque, ad hujus rei confirmationem, Hieronymi tempore non fuisse semper tutum translationem ad codices qui tunc habebantur emendare: multoque igitur nunc minus, cum adeo crevit malitia et inscitia, tum Hebræorum tum Græcorum. Mitto quod profanam illam Wilhelmi Reginaldi[z] apostatæ sententiam approbat[a]: "Appellationem a vulgata editione ad Hebraicam et Græcam lectionem, cum ea libertate quam sibi nunc sumunt homines, expeditissimam esse viam ad fidem penitus extirpandam, ad apostasiam, ad atheismum." Illud tantum observari volo, quanam fide (qui fidem hic in adversario suo desiderat) in hoc negotio usus fuerit Sacroboscanus: dum Whitakerum cardinem controversiæ ex Calvino expiscatum, et pro statu quæstionis parentis sui confutatum mendacium (sic enim homo mendacissimus appellat) nobis proposuisse, cavillatur. Si enim editio Latina vulgata ita authentica sit, ut ad codices Hebraicos et Græcos, qui modo habentur, examinare eam non liceat; si loca Hebraicorum et Græcorum exemplarium, quæ ab editione vulgata dissentiunt, a primorum et authenticorum exemplarium fide recesserunt; si ea fuit Synodi Tridentinæ sententia (quemadmodum ex ipsius decreto, ejusque interpretibus, Pontifice ipso et Pontificiis, planum fecimus); si denique Bellarminus, si Christophorus de Sacrobosco (sicut locis ex ipsorum disputationibus pro-

[x] Pag. 34. [y] Concil. Trident. Sess. 4.
[z] In Refutatione Reprehensionis Whitakeri, pag. 297.
[a] Part 2. cap 6. p. 169.

latis evicimus) illud ipsum arcte tenent: qua fronte potuit clarissimum Whitakerum damnare, quod statum hunc esse quæstionis concluserit: Utrum Latina vulgata editio sit authentica Scriptura, an potius Hebraicus textus in Vetere Testamento, et Græcus in Novo? An, quod res est, in eorum ipse reponendus est numero, qui ut ejus caussæ, "quam cupiditate magis quam ratione delegerunt, patroni habeantur, de industria alienum statum controversiis accommodant: quo et negligatur veritas, et quod dicant ipsi semper habeant, cum secus jejuni, aridi, et plane infantes apparerent?" agnoscit verba opinor sua.[b] Certe Gulielmum Alanum, Gregorium Martinum, Ricardum Bristoum, cum reliquo Anglo-Rhemensium sodalitio[c], in Præfatione quam Novo Testamento in Anglicum sermonem a se translato præfixerunt, libere profiteri non puduit: Vulgatam[d] editionem non modo reliquis omnibus Latinis translationibus meliorem esse, sed et Græca ipsa editione, in iis locis, in quibus differunt[e]; seque hac ratione inductos, Latinum vulgarem potius quam Græcum textum transtulisse; quod illum Græco sinceriorem et minus incorruptum esse perspexissent. Posteaque ad idem seminarium factus transfuga Guilhelmus Reginaldus (qui toties in Sacroboscani margine apparet), in Refutatione Reprehensionis Whitakeri[f], hoc ipsum pertinaciter defendit: Latinam editionem vulgatam fontibus quos nunc habemus esse puriorem. Et addit[g]: Tridentini Concilii Decretum multis clarissimis et evidentissimis niti rationibus; sive cum Hebræo et Græco nunc extantibus, sive cum novarum Versionum aliqua comparemus. Similiter Nicolaus Zegerus in Epanorthotæ sui Prologo, non tantum fidendum esse judicat editioni Græcæ Novi Testamenti, quantum vulgatæ Latinæ[h]; negatque Græcam editionem solidæ veritatis fontem esse. Et Tho-

[b] Part 1. cap. 1. pag. 2.
[c] Possevin. Biblioth. Select. lib. 2. cap. 12.
[d] Sect. 35.
[e] Sect. 51. Vid. sect. 48.
[f] Cap. 12, pag. 295, 296. Vide et pag. 387.
[g] Cap. 13, pag. 390.
[h] Circa Prologi initium, tutum esse negat ad originem Græcam recurrere: quod Græcorum codices, præsertim paulo antiquiores, longe sint corruptiores quam Latinorum.

mas Stapletonus[i] negat hæreticorum (quos appellat) opinionem illam subsistere posse, quæ asserit, cæteras versiones Veteris Testamenti sic esse retinendas, ut liberum sit semper, adeoque necessarium, ad fontem Hebraicum recurrere, tanquam certius quiddam et indubitatum Dei verbum. Et in artic. 3, ait, Textum Græcum (ut et Hebræum) varium, corruptum, et dubium esse; solamque Latinam versionem, sicuti et Latinorum fidem, puram et sinceram et orthodoxam permansisse. Mitto alios innumeros ejusdem sententiæ assertores. Ex his enim quæ produximus, manifestum evadit, genuinum esse illum hujus controversiæ statum, quem Melchior Canus[k] (quem erudite sane et diligentissime hac de re scripsisse ait Valentianus)[l] in hunc modum (eodem prorsus quo Whitakerus) proponit: "An scil. in sacrarum literarum intelligentia ad Hebraicum Græcumque fontem sit recurrendum? An potius editio ipsa Latina tam magnæ sit auctoritatis et ponderis, ut nec ab originali Scriptura pendeat, nec per eam aut corrigi oporteat, aut limari?" Vel ut quæstionem statuit Wilhelmus Lindanus[m]: "Undenam solida Sacrarum literarum veritas sit petenda? an ex veritate Hebraica, vel fonte Græco? an de vulgata potius editione Latina, sit perquirenda? Qoud venerandis (inquit ille) in Concilio Tridentino Patribus nuper placuit." Tum defendendum sibi sumit: "Vulgatam versionem aliis omnino non versionibus tantum et castigationibus novis, verum ipsis etiam Hebraicis codicibus Græcisque hodie in vulgus notis, esse multo et præstantiorem et veriorem, adeoque sententiæ authoris sui multo affiniorem. Idque omnino defendi oportet ab iis qui *Decreti Tridentini* seriam *Defensionem* in se recipiunt. Ut Sacroboscanus noster, dum certamen hoc voluerit defugere, causam Pontificiam prorsus prodiderit, et in ipso primo congressu (et disputationis vestibulo) arenam turpiter deseruerit, et manus quodammodo victus dederit, etc. Nobis igitur, contra Tridentini decreti patronos, fontium Hebræorum et Græcorum authoritas atque

[i] In Relect. Principior. Doctrinal. Controv. 5. Quæst. 3 (in explicatione primi Articuli).

[k] Locor. Theolog. lib. 2. cap. 12.

[l] Analys. Fid. Cathol. lib. 8. cap. 5.

[m] De Optimo Gen. Interpret. lib. 1. cap. 1.

integritas asserenda est; cujus justissimæ assertionis solidum hoc a nobis substernitur fundamentum:

Ea editio quæ ab ipso Spiritu Sancto profecta est, et a Prophetis atque Apostolis Ecclesiæ primum tradita, pro authentica agnoscenda est; normaque esse debet, ad quam translationes omnes humana industria elaboratæ examinari debeant.

Hujusmodi vero est Hebraica Veteris, Græca Novi Testamenti editio: ne ipsis quidem adversariis refragantibus. Vetus enim Testamentum per Prophetas sermone Hebræo exaratum est: si capita quædam Danielis et Ezræ Chaldaice scripta exceperis; quod tanti non est, quo minus vere Hieronymus dixerit, Vetus Testamentum esse totum Hebraice scriptum. Similiter et Græca editio Testamenti Novi universa, Apostolos et Evangelistas auctores habet; fatente Bellarmino[n].

Hoc firmissimum sententiæ nostræ fundamentum concussisse sibi videntur adversarii, omnemque argumenti hujus vim infregisse, dum propositionem nostram de editione pura et sincera intellectam concedunt; corruptæ vero et depravatæ, qualem eam esse dictitant quæ ad nostra tempora pervenit, accommodatam, inficiantur. Ita Bellarminus[o]: "Dubium (inquit) esse non potest, quin editio Apostolica summæ sit auctoritatis nisi forte constet eam esse corruptam." Addit idem[p]: "Negari non posse quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere." Similiter Anglo-Rhemenses[q] se, hac ratione inductos, Græco textui Novi Testamenti Latinam editionem prætulisse affirmant, quod eum minus sincerum atque incorruptum quam vulgatam illam Latinam fuisse perspexissent. Eamque duntaxat ob causam fontes se dereliquisse, quod eos corruptos fuisse judicaverint, profitetur Guilhelmus Reginaldus.[r] Saniorisque consilii vide-

[n] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 7.
[o] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 7.
[p] Ib. cap. 11.
[q] Præfatione in Novum Testamentum a se versum § 35 et 51.
[r] Refutatione Reprehensionis Whitakeri, cap. 12 (p. 292).

tur Cano[s], "Limpidam aquam e lacunulis defæcatis, quam ex turbato fonte liquorem obscœnum bibere." Id quod etiam Gregorio Valentiano probatur[t]. Eodem modo Julius Rugerius[u], "Tum Hebraicos tum Græcos codices (dicit) vitiatos et inquinatos esse: quorum propterea lectionem Vulgatæ Latinæ opponere non debeamus." Denique iisdem insistens vestigiis Thomas Stapletonus[v], ad argumentum quo dicitur, Majorem esse puritatem fontis quam rivuli; ideoque Hebraica potius veritate quam alia versione uti debere Ecclesiam, respondit: Verum id esse de fonte puro et incorrupto; sed talem nunc non esse Hebraicum textum. Quomodo, et in articulo 2, Novi Testamenti Græcum textum propter exemplarium maximam varietatem et dissonantiam, atque item corruptelas varias, hodie valde incertum et dubium esse respondet. Illud igitur nobis inquirendum restat: An fontes ita contaminati sint, ut *αὐθεντείαν* amiserint, et translatio Latina illis sit anteponenda. Partem affirmativam sustinent patroni decreti Tridentini. Negativæ partis nobis incumbit probatio; in qua ea præcipue a nobis adhibebuntur argumenta, quæ ab ipsis Pontificiis, Roberto Bellarmino, Aria Montano, Sixto Senensi, Johanne Driedone, Didaco Payva Andradio, Isaaco Levita, etc., ad fontium authoritatem tuendam adhibentur. Etsi enim Bellarminus[w], et alii, id tantum suis argumentis confectum volebant, Judæos in odium Christianæ fidei nequaquam studiose depravasse et corrupisse multa loca Scripturarum, adeoque in universum atque omnino fontes non esse corruptos: nos tamen ex iisdem etiam illud deducemus quod proposuimus, Fontes ita corruptos non esse, ut authentici esse desierint, atque ex Latina editione tutius ac certius sententia Spiritus Sancti quam ex illis petenda fuerit. Id quod illi tenere debebunt, qui Tridentini decreti patrocinium in se susceperint (quemadmodum ante pluribus a nobis est ostensum). Primo igitur loco

[s] De Locis Theolog. lib. 2. cap. 14.
[t] Analys. Fidei Cathol. lib. 8. cap. 5.
[u] In Opusculo de Libris Canonicis, cap. 12.
[v] In Relect. Princip. Doctrin. Controv. 5. quæst. 3. artic. 1.
[w] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 2.

ea a nobis proponentur argumenta, quæ pro fontium faciunt integritate; deinde ea solventur, quæ adversus eorum sinceritatem objiciunt Pontificii.

I. Primum vero erit illud nobis argumentum, quod a Bellarmino[x] ultimo loco proponitur, a Providentia ductum, qua Deus Ecclesiæ suæ semper prospicit. "Non enim verisimile est, Deum id passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum (similiter et Apostolorum) generaliter falsarentur," ait Bellarminus. Addunt vero nostri: cum profanorum hominum scripta, Homeri, Pindari, Herodoti, Xenophontis, Platonis, Demosthenis, etc., aliquot ante Novum Testamentum seculis exarata, ita in integritate sua conservata fuerint, ut ipsorum translationes, linguæ in qua a primis authoribus conscripta sunt exemplaribus semper subjicerentur, ad quæ quoties de sententia authoris moveretur controversia, suprema semper fieret provocatio: minus esse verisimile in scriptis illis divinis, quæ tantopere ad æternam spectant hominum salutem ita dormitasse custodem Israelis[y] ut Scriptura originalis Spiritus Sancti afflatu edita, quæ aliquando princeps fuerat et omnium domina, Latinæ translationi jam fieret tributaria.

II. Adjungunt et aliud nostri argumentum, ab eadem Dei providentia desumptum, quæ cum in minimis non defecerit, in maximis defecisse non est putanda. Si ne minima quidem et vilissima sit creatura, quæ potenti Dei manu omnia sustentantis, in specie sua hucusque non fuerit conservata, et in posterum conservabitur: quanto minus putandum erit, divina oracula, præcipuum opus manuum ejus, unde major quam ex creaturis illis ipsi accedit gloria, et populo ejus fructus, excidere potuisse? Imo, si Dei providentiæ librum Levitici et ceremonias jam abolitas, ad nostra tempora conservare visum est, quod inde utilitas aliqua ad Ecclesiam dimanare posset: si nec minimum Psalmum perire passus est, ne illa quidem quæ iisdem verbis in aliis Scripturæ locis repetuntur; quanto magis Providentiam illam excu-

[x] Ib. lib. 2. cap. 2.

[y] Tho. Cartwright ad Præfat. Anglo-Rhemens.

buisse existimabimus, ne utriusque sui Testamenti verba, a Sancto ipsius Spiritu dictata, ita (a falsariis) corrumperentur, ut authentica esse desierint, et ab Humanæ Translationis authoritate dependere opus habeant.

III. Si fontes hoc modo essent depravati, verba illa periisse dicendum esset, quibus sententiam suam expressit Spiritus Sanctus. Hoc vero admittendum non esse, in hunc modum confirmamus: Si verba ab ipso Spiritu Sancto dictata amittenda essent, tum alia eorum loco substituerentur, quæ non minus commode ac plene sententiam Spiritus Sancti exprimere possent quam illa. Nulla vero dantur hujusmodi: nam in fontibus omnia esse *ἐμφατικώτερα* et pleniora, quam in rivulis Translationum inde deductis negari non potest. Hinc ille Augustini Canon (qui in Decretum[z] etiam relatus est) "Locutio[a] divinarum Scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda." Hinc etiam qui integritatis fontium hostes sunt acerrimi, Wilhelmus Lindanus[b], Melchior Canus[c], Gregorius Valentianus[d], coguntur concedere, a codicibus Latinis ad fontes recurrendum, ut intelligantur vocabula quæ magnam emphasim habent aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos et Græcos, quam Latinus sermo exprimere non valet. Hujusmodi dictiones multas, cum in Hebræicis quæstionibus tum in commentariis annotavit Hieronymus (ait Melchior Canus). Et rem totam luculenter confirmat in Ecclesiastici sui Prologo Jesus Siracides: *Παρακέκλησθε οὖν* (ait ille) *μετ᾽ εὐνοίας καὶ προσοχῆς τὴν ἀνάγνωσιν ποιεῖσθαι, και συγγνώμην ἔχειν ἐφ᾽ οἷς ἂν δοκῶμεν τῶν κατὰ τήν ἑρμηνείαν πεφιλοπονημένων τισὶ τῶν λέξεων ἀδυναμεῖν*[e]. *οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς, Ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν· ὀυ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ νόμος, καὶ αἱ προφητεῖαι, καὶ τὰ*

[z] Dist. 38. c. Locutio. [a] De Vera Religione, Cap. 49 et 50.

[b] De Opt. Gen. Interpret. lib. 3. cap. 10, 11.

[c] Locor. lib. 2. cap. 15. [d] Analys. Fidei, lib. 8. cap. 5.

[e] Debuissent substitui verba *ἰσοδυναμοῦντα*. At dari non possunt hujusmodi.

λοιπὰ τῶν βιβλίων οὐ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα; hoc est: "Hortor itaque vos, cum benevolentia et attentiore studio lectionem facere, et veniam habere, si facultate vocum quarundam destitui videbimur, quibusdam in locis, in quibus interpretandis studiose laboravimus. Non enim æque valent eadem per se, quum dicuntur Hebraice, et quando fuerint translata in alteram linguam. Neque solum ista; sed et ipsa Lex et Prophetiæ, et libri reliqui, non parvam habent differentiam (excellentiam) sermone suo enunciata." Hæc ille. Ex quo in hunc modum argumentatur Arias Montanus in Commentatione[f] de varia Hebraicorum librorum scriptione et lectione: "Græcam linguam verborum splendore et ubertate, et multiplici compositione ac significatione, Latinæ præexcellere, nemo, vel qui utramque leviter degustarit, est qui ambigat. Atqui sacrorum verborum majestatem, pondus, numerum, et significationis vim Græce reddi exprimique posse, Ecclesiastici libri concinnator negat." Conclusionem Christophoro nostro colligendam relinquo: et simul expendat rogo, audax fuerit ille magis, an ignarus, qui scribere non erubuit[g]: "LATINUM textum emphaticum satis esse, et Spiritus Sancti sensum explicare, MAJESTATEMQUE ASSEQUI, satisque in se lucis habere ad Scripturæ sententiam illustrandam." Quod si me monitorem non audiat, Lindanum[h] suum consulat, capitibus aliquot integris insanum hoc paradoxum refutantem. Andradium consulat, Tridentinæ item fidei defensorem. Is[i], de collatione Latinorum exemplarium cum Hebraicis agens: "Ut vulgatum (inquit) interpretem concedamus summa omnia fide et integritate reddidisse; efficere tamen non potuit, ut Latinæ linguæ angustiæ cum Hebræa fœcunditate certarent." Similiter[j], de collatione textus Latini cum Græco verba faciens: "Cum sæpe (ait) ac sæpius accidat, ut sententiæ vel sint obscurius, vel parum diligenter a Latino interprete redditæ, vel Græcæ orationis vis non

[f] Bibliis interlineatis, anno 1584 editis, præfixa.

[g] Sacrobosc. part. 2. cap. 9 (pag. 188).

[h] De Opt. Gen. Interp. lib. 2. cap. 10, 11, 12.

[i] Defensionis suæ, lib. 4. p. 657.

[j] Pag. 690.

possit Latine apte explicari: magnum certe nobis aditum ad Novi Testamenti cognitionem Græca afferre solent." Si nec hos audire volet Christophorus, Patres[k] saltem audiat, id ipsum passim testificantes. Hilarius, in illud Psalmi 118, Omnis consummationis vidi finem, "Frequenter (inquit) admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis translatione præstari. Alia enim vis dicti hujus est ex Græco enunciati." Similiter Ambrosius, in explanatione Psalmi 118, "Latinos (ait) non posse in omnibus vim Græci sermonis exprimere; quod in Græco plerumque major sit vis et pompa sermonis." Et Hieronymus, in commentariis Epistolæ ad Ephesios, illud quod in vulgata habetur editione, A constitutione mundi, explicans, "Non id ipsum (inquit) καταβολὴ, quod constitutio sonat. Unde nos, propter paupertatem linguæ et rerum novitatem, et (sicut quidam ait) quod sit Græcorum sermo latior, et lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre e verbo (quod impossibile est) quam vim verbi quodam explicare circuitu," etc. Summa est: cum in versionum rivulis sententia Spiritus Sancti plene et plane inveniri non possit, integros nobis et illibatos relinquendos esse fontes in quibus suis ipsius verbis sententiam suam Spiritus Sanctus expresserit.

IV. Sacrosanctæ Scripturæ, quod corrupta sit, impingere, impium esse, recte pronuntiat Io. Isaac Judæus contra Lindanum[l]. "Cum enim hic (ait ille) ipsius Christi et sacrosanctæ Scripturæ veritas, honos et majestas, in dubium vocetur; quis non impietatis plenum facinus judicet? quis tales homines Legis Corneliæ non reos peragat, qui impudenti ausu Hebraicæ veritati derogare, omnemque authoritatem adimere non vereantur?" Hæc ille. Neque hic evadent illi, ut Bellarminus et alii, qui satis esse putant, si agnoscant fontes in universum non esse depravatos; cum ita tamen depravatos volunt ut eorum authoritas vacillet, etc. Et Hebræorum illa est in Hierosolymitano Talmude[m] sentententia non aspernanda: "Testamentum quod deficit in parte, deficere in toto."

[k] A Cano citatos, lib. 2. cap. 15.

[l] Lib. 2. p. 80.

[m] In סנהדרין.

Augustinus[n] ita argumentatur: "Mihi videtur exitiosissime credi aliquod in libris sanctis esse mendacium, etc. Admisso enim semel in tantum authoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis autoris consilium officiumque referatur." Hæc Augustinus. Ad eundem modum recte etiam colligit Sixtus Senensis[o]: "Si quid quantumvis minimum in Novo (et Vetere pariter) Testamento falsatum esse dicatur, omnis Novi (et Veteris similiter) instrumenti fides autoritasque adimitur. Sicut enim de corruptione partis unius suspicari licebit, ita et de cæteris ejus partibus opinari licebit: cum nulla potior causa sit, cur hæc magis pars quam illa incontaminata servari debuerit." Similiter et de Hebræis codicibus Andradius[p]: "Illud si semel persuadeant, nullum ab illis non suspectum, nullum non dubium, nullum non calumniæ invidiæque obnoxium testimonium peti poterit[q]: facile enim quisque ex his, quæ a Judæis illi contaminata fuisse contendunt, omnia poterit in dubium revocare, et quæ a majoribus se Judæi didicisse, et sanctissimos vates a Deo accepisse affirmabunt, ab eisdem fuisse conficta non sine aliqua verisimilitudine opinari: cum levissima eorum sit authoritas, quos gravissimi sæpius mendacii convincimus."

V. Pro integritate Scripturarum, illud etiam usurpare licebit argumentum quo utitur in Ὁδηγῷ suo[r] Anastasius Sinaita, ita scribens: *Αἱ μὲν γάρ εὐαγγελικαὶ καὶ ἀποστολικαὶ [γραφαὶ] οἴδαμεν ὅτι ἀνόθευτοι εἰσὶ, καθὰ περὶ τούτου διαφόρως συνετάξαμεν λέγοντες ὅτι διαδοθέντος καὶ γραφέντος τοῦ εὐαγγελίου ἐν τοῖς γράμμασι τῶν ἑβδομήκοντα δύο γλωσσῶν, καὶ ἐθνῶν, ἀδύνατόν ἐστι, ῥαδιουργίαν, ἢ μείωσιν, ἢ*

[n] Epist. 8, ad Hieronymum. [o] Biblioth. Sanct. lib. 7. hæres. 1.

[p] Defens. Fidei Trident. lib. 4. p. 623.

[q] Alphonsus Tostatus in Commentar. ad cap. 21 Josuæ, quæst. 12 (fol. 154, col. 2), ita ex uno loco colligit contra universum Hebraicorum codicum fidem: "Cum semel constet aliquid deficere, semper erit præsumptio quod aliquid deficere poterit," etc. Vide eum in 4 Reg. 24. fol. 247, col. 1. E.

[r] Pag. 338.

προσθήκην, ὑπομεῖναι αὐτῷ. Κᾆν γὰρ μιᾶς, ἢ καὶ δευτέρας γλώττης ἐπεχείρησέ τις νοθεῦσαι τὰ βιβλία, ἠλέγχετο εὐθὺς ὑπὸ τῶν ἄλλων ἑβδομήκοντα γλωσσῶν ἡ ῥᾳδιουργία αὐτή: hoc est; "Scripta Evangelica et Apostolica scimus depravari non posse; quemadmodum variis locis jam ostendimus, eo quod Evangelium septuaginta duarum linguarum et gentium literis consignatum sit. Quare fieri nequit, ut vel detractione vel additione a sceleratis corrumpatur. Nam licet quis unius vel alterius linguæ libros falsare conaretur, improbitas tamen ista statim detegeretur et redargueretur ab aliis septuaginta linguis." Hæc Anastasius. Eodem argumento usus est etiam Hieronymus in præfatione in Evangelistas ad Damasum, ita scribens: "Prætermitto eos codices quos a Luciano et Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique nec in toto Veteri instrumento post Septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse: cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse quæ addita sunt;" hoc est, ut exponit Alphonsus Tostatus[s]: Voluerant isti fallere Ecclesiam innuentes, quod sui libri continebant puram veritatem sacræ Scripturæ. Non recepit tamen Ecclesia libros suos: quia cum ante hoc totum Novum Testamentum scriptum esset per totum orbem in variis linguis; cum legerunt exemplaria Luciani et Hesychii, invenientes in eis plura esse quam fuerant in antiquís codicibus, quos Ecclesia a principio susceperat, viderunt clare falsa esse, et ab istis conficta, quæ addita fuerant.

Extant hodie versiones Chaldaicæ[t]: quaram quædam ante Christi tempora conscriptæ, ut Targum Jonathanis filii Uzzielis; quædam paulo post, ut Onkeli proselyti, quem Hebræi sororis Titi Imperatoris filium fuisse asserunt; aliæ circiter quartum post Christum sæculum, ut R. Joseph, atque Hierosolymitana Paraphrasis. Jam Chaldaicæ istæ paraphrases (quemadmodum recte observatum est a Francisco Luca Brugensi[u]) "antiquissimorum Hebraicorum exemplar-

[s] Commentar. in Prologum hunc Hieronymi.

[t] Elias Levita in præfatione Methurgeman. P. Galatinus, lib 1. cap. 3.

[u] In parte priore Tractatus de Usu Chadaicæ Paraphrasis.

ium loco usui nobis esse possunt: ut cum, ut fit, corruptelæ arguitur Hebraicus qui hodie est textus, quique ei consonat vulgatæ editionis Latinus, ex Græcorum qui aliter legisse conspiciuntur interpretatione, his Paraphrasibus adversarii redarguantur." Quod idem etiam dici posset de Latino vulgatæ editionis textu, præsertim in Psalmis (de quorum[v] depravatione præcipua querimonia est), ubicunque ab Hebraica veritate dissidet. Huc etiam imprimis spectat, quæ in operibus Hieronymi habetur ex Hebræo facta Psalmorum translatio: quæ fere ubique dissentit a nostra, saltem quoad verba, ut ait Bellarminus[w]; et tamen cum textu Hebraico, qui nunc extat, in omnibus convenit: quemadmodum agnoscit idem alibi[x]: firmo argumento inde concludens, post Hieronymi tempora depravationem Hebraicorum librorum nequaquam contigisse. Mitto quæ a veteribus passim citata habemus Græcorum interpretum fragmenta: Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, authorum 5æ et 6æ editionis (quos Hebræos[y], sed pios, putat Hieronymus) qui ex Hebræa lingua Vetus Testamentum transtulerunt. Huc facit et Syriaca Veteris Testamenti translatio: cujus apud veteres mentionem factam habemus, Basilium Magnum[z], Eusebium Emesenum[a], Ambrosium[b], Aurelium Augustinum[c]. Eam tempore S. Thaddæi Apostoli, et Abgari Syrorum Regis factam fuisse, ex Prologo quodam Psalterio Syriaco præmisso tradit Georgius Amira Syrus[d]. Addit etiam ille: Utrumque Testamentum ab Apostolorum temporibus hucusque magno consensu omnium Orientis populorum, qui Chaldaica sive Syriaca utuntur lingua retentum, et semper summa in veneratione et auctoritate esse habitum; et demum publice in omnibus eorum ecclesiis antiquissimis constitutis in Syria, Mesopotamia, Chaldæa, Ægypto, et denique in universi Orientis partibus dispersis ac disseminatis, lectum esse ac legi. Ac Novi

[v] Bellarm. lib. 2. cap. 2.
[w] Lib. 2. cap. 9.
[x] Lib. 2. cap. 2.
[y] Baron. an. 221 § 9.
[z] In Hexaemeron, Homil. 2.
[a] In Catena Græca in Genesim.
[b] Hexaemer. lib. 1. cap. 8.
[c] De Civit. Dei, lib. 15. cap. 13.
[d] In Præludio de Chaldaicæ linguæ utilitate, Grammaticæ suæ Syriacæ præfixo.

quidem Testamenti editio Syriaca typis aliquoties excusa passim extat; cujus exemplar[e], jam ab anno 1500 regni Alexandri (circa annum Christi 1190), manu descriptum, secum ab Oriente attulit Guilhelmus Postellus. Eoque ut a S. Marco converso, omnes ecclesiæ Asiaticæ et Africanæ usque ad hunc diem, etiam ipsi Abissini qui presbytero Johanni subsunt (licet alterius linguæ sunt) utuntur: si Roberto Personio[f], in Controversiarum Epitome, fidem adhibemus. Unde non male illud tenet Fr. Lucas Brugensis[g], Syriacum Novi Testamenti textum, vetustissimi exemplaris Græci, et quidem in primis, loco habendum ac venerandum esse[h]: atque ad eadem conferre in Novo Testamento, ad quæ in veteri Chaldaica paraphrasi. Quod idem etiam de Syriaca Veteris Testamenti, quæ apud Maronitas in Syria hodie obtinet, interpretatione, dici posset. Cum enim ea[i] cum Hebræo sensu conveniat, manifestum facit Hebræum textum a posterioribus Rabinis depravatum non esse. Huc facit et librorum Veteris Testamenti versio Arabica Sahadiæ Gaonis; et Persica Jacobi Tavasii Pavonis (cujus meminit Albertus Widmanstadius in Præfatione Novi Testamenti Syriaci ad Ferdinandum Cæsarem, et post eum Guido Fabricius in Præfatione Testamenti Syriaci ad Henricum III. Francorum regem). Necnon Novi Testamenti Arabica et Æthiopica: ubi hac etiam in re usus esse poterit. Nominatim vero de Evangeliis Arabicis, ita scribit Nicolaus Clenardus in Epistola ad Rutgerum Rescium, anno 1536

[e] Guido Fabricius, Præfat. in Nov. Testam. Syriac. tomo 5. Biblior. Reg.

[f] De Verbo Dei, qu. 3. c. De Editione Syriaca.

[g] In Prolegomenis commentar. in Quatuor Evangelia.

[h] Idem in priore parte Tractatus de Usu Chaldaicæ Paraphras.

[i] P. Galesinius de Bibliis Græcis, pag. 53. Hinc Polychronius notat (in Notis ad Biblia Græca LXX. Romæ a Carafa edit. citatus: quod etiam habetur in Catena Græca in Cantica utriusque Testamenti ab eodem Latine reddita) Hymnum Trium Puerorum in Daniele, in Syriacis libris non secus ac in Hebraicis desideratum fuisse. Et Jos. Scaliger, lib. 3. Canonum Isagogicorum (pag. 264): "Psalterium, quo Antiochena Ecclesia utitur, non ex Græco LXX. Hellenistarum Alexandrinorum, sed ex Hebræo conversum est." Hæc ille. Ubi etiam indicat penes se fuisse Paraphrastem (Psalterii) Arabem, cujus interpretatio singulis verbis Syriacis, inter binas lineas interjecta fuerit. Vid. Mosem Bar-cepha, De Paradiso, part. 1. col. 439 (tom. 1. Biblioth. Patr.).

data: "Nactus sum (inquit) codicem descriptum, et versum abhinc annis sexcentis. Habeo et aliud exemplar ex eadem translatione descriptum. Reperio pleraque omnia sic se habere, ut hodie legimus in Græcorum codicibus, quos sequutus est Erasmus. Illud Joannis ultimi: 'Si eum volo manere;' et illud in Luca: 'In terra pax, hominibus bona voluntas;' et reliqua quæ Erasmus restituit, omnia sic habent Arabes: ne putemus olim aliter legisse Græcos, quam hodie sonant vulgata exemplaria." Hæc ille. Evangelia etiam, cum Actis Apostolorum, et Epistola ad Hebræos, anno 1548 Æthiopico idiomate imprimenda curavit Petrus Æthiops: ex qua translatione nonnullis in locis textus Græci lectio confirmari potest. Quanquam Æthiopicas translationes nuperas esse confirmet Josephus Scaliger, quod omnes varias lectiones habeant, quæ ultimis temporibus in textum sacræ Scripturæ irrepserunt. Apostolorum vero Acta ex vulgari Italica conversa esse, in confesso sit.

VI. Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillat authoritas: ut recte monet Augustinus[k]. Titubabit etiam Ecclesia, quæ Prophetarum et Apostolorum fundamento superstructa est[l]. Si vero Hebraici Græcique fontes, in quibus edita primum fuit Scriptura a viris divinitus inspiratis, corrupta fuerint, necesse est ut divinarum Scripturarum vacillet authoritas. Translationes enim humana opera elaboratæ, eatenus tantum pro Verbo Dei suscipiendæ sunt, quatenus sententiam originalis textus a Spiritu Sancto profecti fideliter exprimunt. Unde vero constabit eas per omnia sententiam Spiritus Sancti exprimere, si textui originali authoritatem detraxerimus? Nulla profecto Ecclesiæ relicta sunt media, quibus hoc intelligat, si sacrarum Scripturarum fontibus sua non constet authoritas.

VII. Si textus originalis αὐθεντείαν amiserit, authoritati Scripturæ, et privilegio quo alia omnia scripta excellit, plurimum per hoc esset detractum. Est enim illa specialis Scripturæ prærogativa, ab ipso Bellarmino[m] posita, quod in ea non solum sententiæ, sed etiam verba omnia et singula

[k] De Doctr. Christian. lib. 1. c 37. [l] Ephes. 2. 20.
[m] De Concil. lib. 2. cap. 12.

ad fidem pertinent. "Credimus enim (inquit Bellarminus) nullum esse verbum in Scriptura frustra aut non recte positum. . . . . At in Conciliorum decretis de fide non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet; non enim est hæreticum dicere, in canonibus conciliorum aliquod verbum esse supervacaneum, aut non recte positum," etc. Hæc Bellarminus[n]. Tota (inquam) Scriptura *θεόπνευστος* est, sive sententiam spectes sive verba. Qui vero fontes ita turbatos esse dicunt, ut eorum loco ad versiones recurrere sit necesse, tanquam illis tuto fidere non possimus, nisi quatenus cum translatione convenit, rei sunt hac in parte læsæ majestatis sacrarum Scripturarum.

VIII. Verbum Dei ita in Ecclesia extare oportet, ut nihil ab homine ei additum vel detractum vel immutatum constet. Est enim illa summa illius prærogativa, quod "nihil habeat superfluum aut diminutum," quemadmodum ex loco illo Deuteron. 4. 2. confirmat Alphonsus Salmeron[o]: "Non addetis (inquit Dominus) ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo[p]." Cujus loci veram expositionem esse affirmat Bellarminus[q] "quod Deus velit integre et perfecte servari mandata, ut ipse præcepit, et nullo modo ea depravari falsa interpretatione." At si tollatur *αὐθεντεία* originalium textuum id constare non poterit. Nam (si Concilium Oxoniense audiamus[r],) "Periculosa res est, testante beato Jeronymo, textum sacræ scripturæ de uno in aliud idioma transferre, eo quod in ipsis translationibus non de facili idem in omnibus sensus retinetur."

IX. Si oporteret admittere Scripturam esse *ἰδίας ἐπιλύσεως*,

. . . .
. . . .
. . . .[s]

[n] Cum quo confer etiam Augustinum de Consensu Evangelistarum, lib. 1. et 2. præsertim vero, lib. 3. cap. 13. ubi ostendit, Spiritum Sanctum Evangelistis verba suggessisse, ipsumque narrationis ordinem.

[o] Prolegom. 1. in Evangelia.

[p] Vide Deut. 12. 32. Prov. 30. 6. Apoc. 22, 9, 18, 19. Vide eundem Salmeron. Prolegom. 4. fol. 30 a. b.

[q] De Verbo Dei, lib. iv. cap. 10.

[r] Constitut. 7 adversus Sacr. Script versiones vernac. Sub Thoma Arundell Cantuariens. Archiepisc. an. 1407. [Wilkins, Concilia Mag. Brit. vol. iii. p. 317.]

[s] Argumenta pro integritate fontium, vide in Loc. Commun.; et Riberam in

X. "Verissime mihi jam videor (inquit Sanderus[t]) cum Apostolo[u], 'O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam præmittentes, circa fidem exciderunt.' Quod enim unquam depositum fuit custodiendum, si non illud, quod ipse Christus et Apostoli ejus nobis commendassent? Nec enim quicquam Apostoli apud Ecclesiam deposuerunt, quod non 'a Christo et Spiritu ejus accepissent[v].' Constat vero (inquit Sanderus) Apostolos tradidisse Ecclesiis sanctas Scripturas in Græcam linguam a Septuaginta interpretibus conversas," etc. Nos similiter subsumimus. Quicquid sit de LXX. interpretum versione (de qua suo videbimus loco) certissimo constat Hebraico Bibliorum Veteris instrumenti contextu usos esse Apostolos, et Novum Testamentum Græca lingua et exarasse, et ita exaratum Ecclesiis tradidisse.

Superest ut ad Adversariorum argumenta, quæ adversus fontium integritatem proferunt respondeamus.

Et primo quidem loco examinanda venit profana illa Guilhelmi Reginaldi assertio (a Christophoro[w] nostro approbata): "Appellationem a vulgata editione, ad Hebraicam et Græcam lectionem, cum ea libertate quam sibi sumunt nunc homines, expeditissimam esse viam ad fidem penitus extirpandam, ad apostasiam, ad atheismum." Hujus absurdi paradoxi declarationi integrum 14[um] caput Refutationis Reprehensionum Whitakeri destinavit Reginaldus: cui etsi jamjudum a doctissimo Whitakero abunde satisfactum est, quia tamen Christophoro libuit cramben illam decoctam denuo nobis objicere, et homines exteri (qui Anglicana Whitakeri et Reginaldi scripta consulere non possunt) intelligere possent, Quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu; quo plenior denique existat Defensio ista adversus quasvis Pontificiorum calumnias; summam prolixi istius capitis

Minores Prophetas, pag. 137 *a*; Alphons. Salmeron. Prolegom. p. 416, etc. Tostat. Præfat. in Matth. fol. 35. B. G. Driedo, fol. 40. a. 24. a.; Wakfield; Broughton; Erasmum; Præf. Hieron. ab Oleastro.

[t] De Visibili Ecclesiæ Monarchia, lib. 7. ad an. 1541, pag. 595.

[u] 1 Tim. 6.

[v] 1 Cor. 2.

[w] Defens. suæ, part. 2. cap. 6. p. 169. Vide Gretser. p. 565.

breviter retexere, subjectis ad singula capita responsionibus, visum nobis fuit.

Primum igitur Reginaldi argumentum est hujusmodi: Quod sectæ quædam Protestantium, ista præcipue ratione inductæ (qua, Græcæ et Hebraicæ veritatis prætextu, in nulla una Versione consistentes, ad infinitam diversarum translationum varietatem recurrere liberum fuit) eo devenerunt, ut Biblia et Scripturas omnes contempserint; ac pro certissima veritate Evangelica concluserint, nihil certum esse, ideoque suo quemque relinquendum esse ingenio, ut credat quo modo libuerit. Hujusmodi esse ait sectas Swenkfeldianorum, Anabaptistarum, et Academicorum: atque ad hunc ipsum scopum tendere Sebastianum Castalionem in Præfatione Bibliorum suorum ad Edovardum Sextum Angliæ regem; in qua illam etiam impietatem inducere voluerit, Messiam in Lege promissum nondum advenisse, verum secundum expectationem Judæorum postea venturum esse. Respondeo: Frustra illum Swenkfeldianorum, Anabaptistarum, et Academicorum deliramenta adversus Protestantes objicere; qui a sectis illis non minus quam ipsi Pontificii abhorrent, et in illis refellendis (debellandis) plus quam Pontificii laborarunt. Addo etiam Pontificios illos ipsos esse, ex quorum uberibus Swenkfeldiani et Anabaptistæ venenum suum exsuxerint. Nam Swenkfeldii quidem illa fuit sententia: Scripturam[x] mortuam esse literam; necnon[y] incertam et flexibilem doctrinam, quæ se in varios sensus trahi pateretur. Atque hinc nata est blasphema illa fanaticorum hominum conclusio[z]: "Scripturas, quarum tot jam, non diversas modo, verum et contrarias interpretationes adferri videmus, facessere jubebimus. Non oportet Legis aut Scripturæ esse peritum, sed a Deo doctum," etc. Quam vero aliam cantilenam occinunt nobis hodie Pontificii? "Scripturam[a] esse literam mortuam scriptam atramento in membrana vel charta, quam si quis,

[x] Swenkfeld. in lib. de Sacra Scriptura.

[y] Idem in libro de Evangelio.

[z] Apud Hosium de expresso Dei verbo; et lib. 1. contra Prolegom. Brentii.

[a] Costerus in Enchirid. cap. 1. de Sacra Scriptura (p. 44). Vide Martin. Peresium de Traditionibus, fol. 32 *b*.

vel truncare velit, vel torquere, vel pravis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: esse[b] quasi mortuum atramentum: ideoque majorem habendam esse fidem viventi Ecclesiæ, quam per se velut mortuis codicibus; potius consultis, mandatis, institutis, præceptis atque exemplis, quam literarum monumentis, quam scriptionibus, quam chartulis, quam macrocollis, quam membranulis standum esse. Scripturam[c] esse veluti nasum quendam cereum, qui se horsum, illorsum, et in quam volueris partem, trahi, retrahi, fingique facile permittit; et tanquam plumbeam quandam Lesbiæ ædificationis regulam, quam non sit difficile accommodare ad quidvis volueris. Itaque[d] Christum noluisse Ecclesiam suam a chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere (quod Moyses olim magna ex parte fecerat carnali populo), quandoquidem[e] Evangelica lex, testante Ezechiele Propheta, non scripta sit, sed indita cordibus, Spiritu Sancto interius docente. Quæ Scriptura[f] "unctio illa sit quæ docet nos de omnibus, quam qui percepit, non necesse habet ab alio doceri," sicut Johannes loquitur, cum sit θεοδίδακτος. Anabaptistæ vero, a quibus pestilentissimam illam hauserunt hæresim, qua asserunt, Libros[g] Novi Testamenti ab hæreticis esse falsatos, ac multis erroribus contaminatos fuisse; in Veteribus item Scripturis multa esse falsata, multa quoque partim superaddita, partim subtracta fuisse, hoc opinor a Protestantibus non didicerunt: certe argumenta quibus hæresim illam perniciosissimam stabilire nituntur, et quæ a Sixto Senensi refutantur, eadem fere sunt cum iis quæ contra fontium Sacræ Scripturæ authoritatem usurpant Pontificii; ut vel Pontificios Anabaptistarum, vel Anabaptistas Pontificiorum discipulos esse appareat. Ut longe fuisset consultius Reginaldo, sectariorum istorum hoc in loco nequaquam meminisse quam cum Protestantibus (qui-

[b] Ludovicus Canonicus Lateranensis in Orat. ad Concil. Trident., Dilingæ an. 1563 impressa.

[c] Pighius, Hierarch. lib. 3. cap. 3. (Censur. Coloniens.)

[d] Costerus, ubi supra (pag. 43).

[e] Petrus Sotus contra Brent. Hosius, lib. 3. contra Prolegom. Brentii.

[f] Costerus, ubi supra (pag. 43, 44).

[g] Sixtus Senensis, lib. 7. hæres. 1, et lib. 8. hæres. 2.

bus cum illis nihil est commercii) hunc in modum conjungere. Nam quod ad Castalionem attinet, quod olim cum Tertulliani urgebatur opinio, respondit Hieronymus; De Tertulliano nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse; idem de Castalione recte respondit Whitakerus noster: in nonnullis Catholicæ fidei et religionis Christianæ capitibus nequaquam illum sanum extitisse, quemadmodum ex factis et scriptis ipsius appareat: ideoque non tanti a nobis æstimari, ut attendamus quidnam ille aut tenuerit aut consuluerit, vel quid ex operibus illius recitari poterit. Injuriam tamen a Reginaldo illi factam, cum ab eo disputari dicit, Messiam nondum venisse, et privato suo judicio unumquemque relinquendum esse. Disputat ille quidem in ea quam citat Reginaldus præfatione, Promissiones aliquas quæ in Prophetarum habentur scriptis, et nominatim de magna quæ sub Christo futura erat Dei cognitione, nondum completas esse: (quam quidem iis de rebus opinionem ipsi relinquit Whitakerus[h]) nusquam tamen blasphemia illa, a Reginaldo objecta, apparet, et alio prorsus tota illa ducit præfatio. Porro ulterius argumentatur Reginaldus[i] ex fundamentis Protestantium: nullam fidei et religionis certitudinem hominem habere posse, quando edoctus est, antiquitatem omnem, omnia præterita secula, synodos omnes atque concilia Patrum et Doctorum veterum ac novorum, pro libitu negligere; et religionem suam in solum Testamentum juxta novam formam translatum, in qua majorem reperiat varietatem quam colores sunt in Iride, suspendere.

Respondeo: Falsum est, Antiquitatem omnem a nobis negligi: qui ex antiquissimis Hebraicæ ac Græcæ Scripturæ fontibus Spiritus Sancti sententiam haurire malumus, quam cum Pontificiis recentioris Interpretis Latinos rivulos consectari. Neque verum est, pendere nos ab aliqua omnino translatione, seu Latina seu alia quacunque, aliter quam cum originali textu congruit: certum vero est et Ecclesiam et religionem Pontificiam in Testamentum translatum sus-

[h] In Responsione ad Præfationem Reginaldi. (Vide an non similem habeat opinionem author Oneris Ecclesiæ apud Seb. Meyser in Apoc. 20. et Anni. Viterb. ibid.)

[i] Pag. 410.

pensam esse, et quidem Latinam solum translationem, quæ corruptelis passim scatet, suspensam esse. Nullam enim aliam Scripturam quam hanc (talem videlicet translationem) Ecclesia Pontificia vult agnoscere. Quod vero postremo loco suspicatur Reginaldus; non facile responsurum Whitakerum, quos Græcos, quos Hebræos, quos Græcos intelligat textus, quando eos supra vulgatum (Latinum) Testamentum tantopere extollit: responsum illi est jamdudum, Unicum tantum extare Hebraicum, unicum Græcum textum: utcunque in diversis Græci Testamenti editionibus varietas aliqua, et ea parvi fere momenti, reperiatur. Alioqui ut ipse Reginaldus quæri potuisset, Quamnam editionem Latinam intelligat, quam Synodus Tridentina authenticam declaravit, et ipse Hebraicis et Græcis prætulit fontibus? cum non minus varias Bibliorum Latinorum quam Græcorum editiones extare, multoque in eis plures lectionum varietates deprehendi, manifestum sit. Hujusmodi videlicet gravis olim et seria a Petro Sutore mota est quæstio: "Dic[k] precor ubinam est illa sacrosancta Biblia cui dicis inniti fidem Christianam? Num in cœlo? num in aere, vel infra terram? Si abs te putetur esse in quodam acervo librorum carioso; quid illic quæso tantisper jacere, et jugem situm contrahere hactenus passa est?" Ad quem Erasmus[l] breviter atque acriter: "Stolidissime bipedum, an tibi videtur putrescere situ, quod toties orbi est æditum, quod servatur in Bibliothecis Pontificum et Cardinalium, quod volitat per manus hominum eruditorum? An nusquam esse putas, quod non vides in antro tuo?" etc. Atque hactenus de primo Reginaldi argumento, inanissimo quidem illo et ineptissimo.

Sequitur alterum ejusdem formæ atque momenti. Si[m] libertas concedatur appellandi ab uno certo Latino textu a Concilio generali constituto, ad varios textus Græcos, Hebræos, Latinos, vulgares, impossibile futurum est, ut homines in fide contineantur, vel ut homines ad fidem

[k] De Translatione Bibliæ, cap. 25 (fol. 52 *b*).

[l] In Apologia adversus Debacchationes Sutoris, p. 614.

[m] Pag. 411 et 428.

reducantur, denique ut pars ulla Christianæ fidei confirmetur. Si enim seponantur Ecclesia, Doctores, Consuetudo, Concilia, et in solis Scripturis ac privata earundem expositione acquiescamus[n], nullus textus proferri poterit, quem hæreticus vel mediocriter doctus et linguarum peritus, hujusmodi aliquo prætextu non possit eludere: vel, 1°, refutando ut non canonicum; eo quod liber a Protestantibus nostrorum temporum rejectus sit, vel de eo a Catholicis priorum temporum dubitatum sit: vel, 2°, unum aut alterum Græcum exemplar objiciendo, in quo verba desiderantur: vel 3°, falsam aliquam translationem proferendo, eidemque adhærendo: vel, 4°, varias significationes Græci vocabuli indagando, et eam quæ pro ipsorum maxime faciat commodo, accipiendo: vel, 5°, unum vocabulum corrumpendo, aliud cum Græco hujus aut illius dialecti, tertium cum Judæorum, Chaldæorum, vel Helvetorum idiotismo, conferendo; atque ita sensum, partim Christianum, partim Germanicum, partim Ethnicum, partim Judaicum, consarcinando: supremum denique (quod caput rei est) de omnibus sententiis, interpretationibus, scripturis et linguis, judicium sibi semper reservando. Hujus rei exemplum profert in iis locis qui ex Novo Testamento proferri possent adversus Antinomos hæreticos in Germania; qui (ut refert Sleidanus[o]) "Statuunt, quæcumque tandem sit hominis vita, et quantumvis impura, justificari tamen eum, si modo promissionibus Evangelii credat." Quam impiam conclusionem ex communi Protestantium de Fide sola justificante doctrina inferri, impius apostata asserere non erubescit. Huc[p] deinde Tertulliani sententiam, quam ille de sui temporis hæreticis protulit, et de nostri temporis hæreticis (ut Reginaldo visum) prophetavit, accommodat. Sic enim ille[q]: "Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: et si recipit, non recipit integras: et si aliquatenus integras

[n] Vide Whitak. contra Præf. Reginaldi, et Fulc. contra Præf. Greg. Martin. § 14, 15, 41.

[o] Lib. 12. an. 1538. [p] Pag. 430.

[q] De Præscriptionibus adversus Hæreticos, cap. 17.

præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Quid promovebis exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diverso, si quid negaveris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem de contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione." Tum ad Hebræum textum transiens Reginaldus, ostendere[r] conatur, ex eo multo minus constringi posse hæreticum quam ex alia quacunque lingua. Atque hæc ille verbose, suo more, prosequitur. Quem secutus Christophorus de Sacro Bosco, qui illud Reginaldi παράδοξον suo calculo approbavit[s]. "Si (inquit) præter eam libertatem quam usurpant exponendi scripturam ut illis placet, des etiam facultatem accipiendi Hebraicum et Græcum textum ut volunt; Deus bone quid tandem erit in quo consentiamus? Exemplis res hæc perspicua fiet. Interpres noster sic incipit caput primum Joannis: 'In principio erat verbum'; quod recentiores aliqui sic vertunt: 'In principio erat sermo ille.' At quo jure ita vertunt, reddere potes tu: 'In principio erat fabula, vel disceptatio.' Nam præter alias multas, has quoque significationes habet Græca dictio λόγος. Hujus generis ex Hebraicis possim infinita exempla proferre." Hæc Sacroboscanus: eo gratius, quo brevius. Nos ad utrumque breviter respondebimus. Quæ de hæreticis Scripturas vel rejicientibus, vel detruncantibus, vel corrumpentibus sunt dicta, et Tertulliani de his querela, et ad quæstionem præsentem non faciunt, et nos omnino non attingunt; qui totum Scripturæ corpus agnoscimus, ejusque integritatem adversus Pontificios defendimus, quibus denique vel literulam in Bibliis consulto immutare religio est. Quod vero illud effugium illicitum esse contendit Reginaldus, ac expeditissimam ad Atheismum viam opinatur, quod in Scripturis exponendis, translationem ad Hebraicos et Græcos fontes exigendam et corrigendam esse volumus: eodem crimine necesse est ut veteres omnes involvat Patres, et nominatim D. Augustinum, Ambrosium, et Hieronymum, qui et ipsi fontes authenticos subinde appellant, et aliis ut idem faciant consulunt; quemadmodum suo loco

[r] Pag. 432. [s] Part. 2. cap. 6. pag. 169.

ostensum est. Quæ de locis ex Græco Testamento adversus Antinomos prolatis, pluribus persecutus est Reginaldus quam hoc quidem in loco fuit opus, ea a Whitakero expensa sunt: nos vero consulto prætermisimus, tum tædii vitandi caussa, tum quod propria eorum consideratio ad controversias de Libero Arbitrio et Justificatione sit potius referenda. Quod vero ex primo Johannis a Sacroboscano profertur exemplum, ejusmodi est, quale talis theologi peritiam et sapientiam decuit. An enim si fabulam vel disceptationem aliquando vocabulum λόγος significet: cum nomen illud ad Dei filium accommodatur, eodem jure Fabula, vel Disceptatio possit reddi, quo a recentioribus aliquibus (inter quos est etiam Theodorus Beza) Sermo redditur. Dicat igitur bellus iste theologus eodem jure verti potuisse, In principi erat fabula vel disceptatio, quo a vetere interprete versum est, In principio erat Verbum. Nam apud Latinos certe idem valet (notat) Sermo quod Verbum: nisi quod Sermo multis nominibus rectius et aptius exprimat Græcam vocem τοῦ λόγου quam Verbum, quemadmodum confirmat Erasmus: "Et Græci melius λόγον dicunt, quam nos Verbum, sive Sermonem; ait Lactantius[t]. Λόγος enim et Sermonem significat, et Rationem: quia ille est vox, et sapientia Dei. Ita Lactantius." Ac Tertulliano quidem magis arridet rationis vocabulum, qui tamen non semel appellat filium Sermonem, in libro adversus Praxeam, adducens hunc ipsum ex Joanne locum, et ostendens in usu Latinorum fuisse sic legere: In principio erat Sermo. Unde et ipse Tertullianus[u], et Cyprianus[v], locum Johannis in hunc modum retulit: In principio fuit Sermo, et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo. Ne a Beza solum et recentioribus aliquibus ita locum hunc conversum esse cum Christophoro suspicemur. Quia et Augustini etiam temporibus, in nonnullis codicibus, quibus tum utebatur Ecclesia, eodem modo ita lectum fuisse, ipse Augustinus, in enarratione loci hujus, "Sermo[w] tuus veritas est," locupletissime testatus est: nihil interesse innuit utrum Sermo legatur an Verbum.

[t] Institut. lib. 4. cap. 9.
[u] In libro advers. Hermog. c. 20.
[v] Contra Judæos, lib. 2. § 3 et 6.
[w] Johannis cap. 17.

"Græcum (inquit) Evangelium λόγος habet, quod etiam ibi legitur, ubi dictum est: 'In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.' Et utique Verbum ipsum novimus unigenitum Dei filium, quod caro factum est, et habitavit in nobis. Unde et hic poni potuit, et in quibusdam codicibus positum est, 'Verbum tuum veritas est'; sic ut in quibusdam codicibus etiam ibi scriptum est, 'In principio erat sermo.' In Græco autem sine ulla varietate, et ibi, et hic λόγος est." Hactenus Augustinus. Qui plura hac de re desiderat, consulat Erasmi Apologiam de In principio erat Sermo. Nos ad postremum illud Reginaldi pronuntiatum properamus, Contentiosos hæreticos ex Hebræo contextu minus constringi posse, quam ex alia quacunque lingua: quod non immerito blasphemum esse affirmavit Whitakerus[x]. "Cum enim (inquit ille) Deo placuerit, ex omnibus hominum linguis Hebraicum eligere, in qua verbum et oracula sua conscribi voluerit; ut certam et perfectam religionis regulam haberet Ecclesia sua: an istum Papistam Dei sapientiam in quæstionem vocare oportuit, dicendo, Hebræum textum minus esse commodum ad contentiosum hæreticum constringendum?" Respondet quidem ad hoc Sacroboscanus[y], "Se non accusare Deum, quod verbum suum Hebraice et Græce conscribi voluerit; sed sectarios solum accusare, qui fontibus abutuntur, et detegere technas, ob quas ad fontes appellant." Sed effugere non potest, quin hæc accusatio ipsam etiam Dei sapientiam attingat: id quod ille ex ipso Whitakero, si voluisset, discere potuisset. Hic enim consequens esse ostendit, etiamsi ipsa *αὐτόγραφα* et authentica exemplaria quæ Moses et Prophetæ suis ipsorum manibus conscripserunt, nobis superfuissent: ea tamen minoris a Pontificiis istis æstimanda fore, quam vulgatam Editionem Latinam, utpote quæ minus possent hæreticos constringere quam illa. Quanquam (ut recte idem disputat) priusquam natus est Latinus interpres, Scripturas (prout in originalibus suis linguis conscriptæ extabant) ad convincendos adversarios utiles fuisse pronuntiavit Apostolus[z]; et ad eas legendas Timotheum cohortatus est, ut inde hæreticorum

[x] Pag. 356. [y] Pag. 170. [z] 2 Tim. 3. 16.

ora posset obstruere. Sed operæ pretium fuerit rationes considerare, quibus fretus Reginaldus, sententiam hanc defendendam suscepit. 1. " Cum[a] Hebræi pauca admodum habeant vocabula; fit ut plerumque vox eadem Hebraica varia significet. 2. Et cum illorum substantiva sint maxima ex parte a verbis derivata, accidit non raro, ut idem substantivum ad diversas radices revocare possis cum significationis mutatione maxima." Hæ sunt duæ Reginaldi rationes; a Christophoro etiam de Sacrobosco in suo opere repetitæ. Ad prioris illustrationem profert Reginaldus locum ex Psal. 54[b], ubi LXX., et Latina vulgata editio habet: Extendit Deus manum suam in retribuendo, *ἐν τῷ ἀποδιδόναι.* Quo loco Catholicos usos ait, Ad bonorum operum præmium comprobandum. Pro quo alii vertunt: Misit manus suas in paces suas, (ut est in Martorati editione,) vel, In colentes pacem secum, (ut habent alii). Quam diversitatem ortam dicit ex variis significationibus Hebræi vocabuli בִּשְׁלֹמָיו. Ad posterioris vero: locum ex Psal. 59 (qui Hebræis est 60.[c]), ubi LXX., vulgata editio Latina, et Hieronymus in versione ex Hebræo, transtulerunt: Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus, *ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σέ σημείωσιν τοῦ φυγεῖν ἀπὸ προσώπου τόξου,* vocabulum לְהִתְנוֹסֵס referentes ad radicem נוּס, ubi in Protestantium versione apud Martoratum habetur: Dedisti metuentibus te vexillum ad vexillandum propter veritatem." Hæc Reginaldus: cujus rationibus respondit (eademque opera Christophoro de Sacrobosco eadem denuo inculcanti; ne nostram amplius operam quis hic desideret) Whitakerus noster, in hanc fere sententiam. Varietatem istam significationum ac derivationum, non nuper cœpisse, sed ejusmodi semper ab initio fuisse: ideoque rationes istas non magis facere adversus eum quem nunc habemus Hebræum textum, neque ad hæreticos constringendos minus sufficientem reddere, quam eum qui primum a Prophetis conscriptus est, et semper in Ecclesia obtinuit. Deinde, varietatem istam significationum nihil obstitisse, quo minus veteres Hebræi æque certo ac

[a] Sacrobosc. p. 169.
[b] Vel 55 secundum Hebræos, vs. 21.
[c] Psal. 60. 6.

perspicue, verbis ac scriptis sensa explicare potuerint, atque populus quivis alius; linguaque Hebraica et lectæ et intellectæ fuerint Scripturæ, multis ante seculis quam ulla earum portio in linguam Latinam translata fuisset. Denique utcunque hujus varietatis respectu ita incertus fuisset, ac illi persuadere vellent, nullam tamen futuram rationem, cur Latina translatio, potius quam Græca aut alia quæcunque, pro indubitato Dei verbo esset agnoscenda; cum eæ omnes nihil sint aliud quam Translationes, quarum una non plus habeat authoritatis quam alia, nisi qua sincerior apparuerit in textu Hebræo fideliter exprimendo. Quod vero ad locum Psalmi 55. (vs. 21) attinct, qui pro Bonorum operum præmio (quod nos quidem non negamus, licet[d] meritum non agnoscimus) urgeri solet: certum[e] est illud *ἐν τῷ ἀποδιδόναι*, in retribuendo, non satis apte exprimere naturam vocabuli Hebræi בִּשְׁלֹמָיו, quod cum nomen sit, conjunctum cum pronomine[f] affixo, per verbum vel gerundium, idque a pronomine separatum, eo modo proprie reddi non possit. Ut si retributionis significationem hic retinere placuerit (quam eidem vocabulo in Psal. 69. 23. tribuit Hieronymus; et tribuendam apparet ex apostoli citatione[g],) vertendum potius sit, *εἰς ἀνταποδόματα αὐτοῦ*, in retributiones ejus, vel suas. Sed et usitatius vocabulum illud apud Hebræos pro *εἰρηνικοῖς*, sive pacificis, accipitur: et textus circumstantiæ requirunt ut ea acceptio etiam in hoc loco retineatur. Atque ita Hieronymum videmus in Psalterio suo ita reddidisse: Extendit manum suam ad pacifica sua. Similiter et Chaldæus paraphrastes (sed plenius sententiam exprimens) exposuit: אוֹשֵׁיט יְדוֹי בְּאֱנָשֵׁי שְׁלָמֵיהּ, Extendit manus suas in homines pacis suæ. Et ex Græcis interpretibus (quemadmodum in hunc locum notat Theodoritus), Tres[h] hanc clausulam sic exposuerunt, *Ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς*

[d] Miserum pro præmio vel merito hoc argumentum.

[e] Cum tamen ad Deum hoc non sit referendum (ut Reginaldus voluit) sed potius ad hominem impium: sicut ipse Genebrardus in hunc locum annotavit.

[f] Et tali quod verbo non convenit (viz. יו).

[g] Rom. 11. 9.

[h] Οἱ γ' sunt Aquila, Symmachus, et Theodotion.

τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτὸν, Extendit manum suam in eos qui pacem habent secum Et Aquila, *'Απέστειλε χεῖρα αὐτοῦ ἐν εἰρηνικοῖς αὐτοῦ*, (ut ad Græca Biblia Romæ edita notatum est a Cardinali Carafa). Ne Protestantes nostris temporibus primos hoc tentasse putet Reginaldus, ut bonorum operum pretium diminuerent. Atque hæc de duabus Reginaldi rationibus hactenus dicta sunto.

Tertio loco, de literali vocum Hebraicarum sensu quærit Reginaldus[i], Quos hic nos sequi oporteat magistros? Et ex communi quidem Protestantium sententia, veteres ait Rabbinos sequendos esse, Davidem Kimhi, Aben Ezra, et similes. Idem repetit Christophorus de Sacro Bosco[k]; et male factum asserit. Ac primum opponit Doctoris Humphredi testimonium, qui monet non esse fidem his Rabbinis adhibendam; ne quidem in explicatione Hebraicarum dictionum, quoniam cæci sunt, et duces cæcorum. Verba D. Humphredi, quemadmodum a Wilhelmo Reginaldo citantur (a quo objectionem hanc mutuatus est Christophorus[l]), sunt hujusmodi: "Nec credendum illis [Rabbinis] meo quidem judicio, et salvis doctiorum censuris, in ipsa vocabulorum Hebraicorum expositione et derivatione. De his Christus pronuntiavit, illos esse cæcos ac duces cæcorum. Itaque hac non itur ad veram interpretandi rationem; nec hos poterimus imitari, nisi tenebras luci, errores veritati, certis ambigua, tutis periculosa, piis et catholicis impia et blasphema voluerimus anteponere." Secundum hanc sententiam omnes novas nostras ex Hebræo factas translationes, tenebricosas, erroneas, ambiguas, periculosas, impias, et blasphemas pronuntiari notat Reginaldus. Ac demum nobis objicit nostrorum Doctorum hac in re discordiam: quod Beza Novum Testamentum corrigat, et Græcas in eo citationes atque vocabula omnia ambigua ad Hebræorum et Rabbinorum sensa trahat: D. Humfredus contra Hebraica Veteris Testamenti vocabula ita interpretanda velit, quemadmodum ab Apostolis juxta LXX. in Novo Testamento citantur. Hactenus Reginaldus. Illa etiam adversus

[i] Pag. 434. [k] Part. 2. cap. 6. (pag. 172).

[l] Ex libro 2° De Ratione Interpr. pag. 219, 220.

Whitakerum urget Christophorus de Sacro Bosco[m], quæ habentur in Francisci Riberæ Commentariis[n], ubi ita legimus: "Illud est diligenter memoria tenendum (inquit Ribera) multorum vocabulorum veram propriamque notionem latuisse hunc Davidem [Kimhi], cujus ætate jam propter injurias temporum et captivitatum, et peregrinationes varias Judæorum, et propter incuriam, dum magis quæstui student quam Scripturæ, Hebraica lingua bona ex parte ignorabatur: ut necesse sit eos sæpe errare qui hunc authorem et ducem sibi proposuere; ut aliis in locis annotabimus. Multo æquius erit ut nos Hieronymo credamus, qui et doctissimorum Hebræorum auditor fuit, quo tempore lingua ipsa erat multo notior, et indefatigabili multorum annorum labore eam optime calluit." Hæc ille. Quibus addatur et Gilbertus Genebrardus, qui, in Præfatione quam Commentariis suis in Psalmos præfixit, adversus nostros ita scribit: "Nostri hi veteres interpretes, quia examinantur expenduntur que ex uno Kimhi et paucissimis aliis, quibus perpetuo honorificum visum fuit a superioribus dissidere, ut famam apud posteros sibi conciliarent, ab istis male audiunt, qui novitiis duntaxat delectantur. Atqui illi sæpe dormiunt, magisque sunt Grammatici quam Theologi; præsertim R. Kimhi, qui proinde a Judæis negligitur, tantum habetur pro Medacdec, i. e. Grammatico, etiam si κατ' ἐξοχὴν apud istos, male quidem feriatos interpretes, intelligatur Docti nomine. In istorum enim annotationibus "Doctus inter Hebræos" est Kimhi; qui inter eos tamen censetur indoctissimus, quantum ad rem et sententiam et theologiam pertinet. Hos autem unos isti legunt, sive quia alios, utpote obscuriores et abstrusiores non intelligunt, sive quia his contenti sunt, quos vident, suo ingenio congruenter, longissime a receptis Majorum interpretationibus discedere." Hæc sunt quæ hac in re a Pontificiis nobis objiciuntur: quæ ita simul proposuisse libuit, ut una opera omnibus simul satisfieret. Primum igitur, ad Reginaldi quæstionem, hunc in modum respondet Whitakerus[o]: "Si de vocabuli significatione

[m] Part. 2. cap. 6 pag. 172, collat. cum cap. 9. pag. 186.
[n] In 3 cap. Hoseæ, vers. 1. [o] Pag. 359.

controversia fuerit, quosnam sequamur potius quam doctissimos illius linguæ magistros? Qui enim linguam callent optime, illi nobis optime possunt satisfacere. Cumque hæc ad vocabula intelligenda in aliis omnibus linguis via sit certissima: etiam in Hebraica, sicubi de voce aliqua dubitaverimus qua ratione melius nobis possit satisfieri, quam si ab illis qui linguæ peritissimi sunt, et nativam verborum vim norunt, optime didicerimus. Quis negare possit, multo id esse melius, quam, quod vulgatus interpres sæpe facit, nigrum vocare candidum, et talem voci significationem affingere, quam Hebræi omnes falsam plane atque erroneam [esse] confirmare possint. Et quia Humfredum nostrum contra Whitakerum producere visum est Reginaldo, proferemus nos ex adversariorum castris Andradium, qui[p] contra Reginaldum literalem vocum Hebraicarum sensum ex Rabbinorum commentariis petendum esse asserit. "Quemadmodum[q] (inquit) ex Marco Tullio Cicerone, Sallustio, Caio Cæsare, et ex Demosthene, Æschine, Xenophonte, ethnicis hominibus, non sacrorum oraculorum sensus, sed Latini Græcique sermonis, quibus sacra oracula conscripta sunt, cognitionem haurimus, ut sacras literas, Græcæ Latinæque linguæ venustate perfecte cognita, facilius commodiusque percipiamus: ita Hebræorum vocabulorum vim atque naturam ex Rabbinorum plerumque commentariis petimus: ad reconditos vero sensus non nisi Ecclesiæ fide, sanctorumque Patrum doctrina deducimur." Hæc Andradius. Ubi observandum distinguendas esse inter se Significationem vocum quæ in sacris literis usurpantur, et Intelligentiam rerum: quæ a nonnullis inscite hic confunduntur. Ad priorem cognoscendam, linguæ requiritur peritia, quæ cum apud infideles reperiri possit, eos hac hucusque quidem in re magistros audiendos esse, negari jure non potest. Ad posteriorem vero assequendam, non sufficit linguarum peritia, sed requiruntur cum alia multa, tum imprimis veræ religionis et mysteriorum fidei solida scientia: quæ cum apud Judæos

[p] Defens. Fidei Tridentinæ, lib. 4.

[q] Ita Augustinus Ciceronem et Horatium adducit, non ad fidei aut morum dogmata, sed ad verborum explanationem. In Genes. qu. 31. et contr. Adim.

et Ethnicos inveniri non possit, insanus merito esset habendus, qui illos potius quam viros ecclesiasticos scriptores, in rebus ad fidei negotium spectantibus, duces sibi vellet deligere. Hinc de Judæis non male Humfredus noster: "Quæ[r] Christum verum Messiam promittunt et annuntiant, ab istis turpissime conspurcata sunt: quorum arbitrio judicioque qui plusculum in hoc periculoso ac scrupuloso fidei negotio tribuunt, næ illi nimis delirant: cum de his nominatim Christus pronuntiaverit, illos esse cæcos, ac duces cæcorum," etc.[s] Hac ratione usum D. Humphredum fingit Sacroboscanus (cæcum ducem suum Reginaldum secutus) ut confirmaret, fidem Rabbinis adhibendam non esse; ne quidem in explicatione Hebraicarum dictionum: quasi Christus cæcos eos cum dixit, linguæ Hebraicæ imperitos fuisse innuerit, et non potius rerum theologicarum et mysteriorum fidei rudes fuisse significaverit. Neque dubium est huc respexisse D. Humphredum: etiam ubi de tenebris, erroribus, periculosis, impiis et blasphemis, quæ a Rabbinis invecta sunt conqueritur. Ut pessime hinc collegerit Reginaldus ex illius sententia translationes nostras ex Hebræo factas, ut tenebricosas, erroneas, ambiguas, periculosas, impias, et blasphemas condemnari. Cum ille ad Rabbinorum interpretamenta hic respexerit, quibus insincere et parum caste sacrosancta Biblia tractaverunt: quod vel ex Pagnino, Pellicano, Munstero, aliisque nostris intelligi posse ait, qui diligentissime perscrutati sunt omnia penitissima, et fidelissime communicarunt. Et isti tamen, ac imprimis Munsterus (quod Reginaldus non nescivit), Rabbinos fere in explicatione Hebraicarum dictionum sibi sequendos proposuerunt: utut insinceras et blasphemas expositiones, quibus sacras literas contaminarunt, et detexerint et confutarint. "Nec protinus omnia (inquit Munsterus[t]), quæ apud illos inveni, more aliquorum pro oraculis habui; sed cum judicio, ut par erat, legi. Non enim ignoro, quibus

[r] De Rat. Interpr. lib. 2. pag. 219.

[s] Judæi in divinis Scripturis minoris sunt intelligentiæ quam asini, ut ex verbis Rabi Pinhas, filii Hair, refert Petrus Galatinus in opere de Arcanis Catholicæ Veritatis, lib. 3. cap. 11.

[t] Epist. ad Lectorem præfixa Bibliis suis.

Cabalisticis deliramentis sint addicti, et quam extortas nonnunquam adferant expositiones; præcipue ubi Messiæ inciderit mysterium. Illic enim deprehendimus eos esse pertinacissimos, nec cessant usque in hunc diem torquere ad sua placita divinas literas, quo suos tueantur errores," etc. Idem alibi[u] tamen: "Vel saltem linguam noverunt, tenent linguæ idiotismos, interpretationem a majoribus veluti per manus traditam non omnino ignorant; etiamsi præcipuum scopum Scripturæ ignorent, quem nobis Christus et Apostoli ostenderunt." Hæc ille. At vero si Genebrardum audiamus, dedita opera recesserunt illi a receptis Majorum interpretationibus. Itaque multo æquius fuerit (quemadmodum monet Ribera) ut nos Hieronymo credamus, qui doctissimorum Hebræorum auditor fuit, quo tempore lingua ipsa erat multo notior, etc. Respondeo: Quæ Genebrardus sine ulla probatione audacter asseverat, negligenda prorsus sunt. Imo vero ex paraphrasibus Chaldaicis (quæ ante Hieronymi tempora conscriptæ sunt) constat, Hebræos in vocum interpretatione a Majorum suorum sententia ita non recessisse, quo modo fingit Genebrardus. "Hoc unum scio (inquit Munsterus[v]) multa esse apud D. Hieronymum in commentariis, quæ asserit se didicisse a Judæis; quæ et ego in Rabi Salomone inveni. Et putas Hieronymum, hominem Christianum, ab Hebræis didicisse, quod posteri Hebræorum a majoribus suis non didicerunt? Si Judæi custodire potuerunt oracula divina, atque totum Bibliorum corpus, ut nihil corruptionis illis accederet, idque in commodum nostrum: et magistrorum interpretationem, sive seniorum traditionem, quam Hieronymi temporibus habuerunt, et qua Hieronymus ipse usus est, conservare non potuerunt?" Est quidem illa D. Humphredi sententia: In ipsa vocabulorum Hebraicorum expositione et derivatione Rabinis credi tuto non posse. Sed quum addit: "Novum fortassis videbor ac paradoxon afferre," etc., satis indicat se hac in re a communi doctorum sententia recedere, quorum tamen idem[w] censuras salvas esse voluit. Et vero licet lingua Hebræa

[u] Præfatione in Vetus Testamentum. [v] Præfatione in Vetus Testamentum.
[w] Salvis (inquit) doctiorum censuris.

jam eorum patria atque vernacula esse desierit: tamen negari non potest inter doctiores illius linguæ studia semper viguisse et continuata esse (quemadmodum inter nostros Latinæ, quæ jampridem vulgaris esse desiit). Sed nec ipsius Hieronymi temporibus vernacula fuit Hebraica lingua (Chaldaica enim Hebræi tunc scripserunt) quo tamen tempore apud doctos Judæos usus linguæ conservatus est: et Barhanina qui doctor ab Hieronymo adscitus est, Davidi Kimchi, in linguæ cognitione præferendum non facile dixerim. Utrumque certe æqualiter a fide Christiana abfuisse, vix poterit dubitari. Quanquam nos Davidem Kimchi non ut Theologum sequamur (quemadmodum nec Barhanina secutus est Hieronymus), sed ut doctum Grammaticum. Ut ridiculus sit hic Genebrardus, qui non Theologum fuisse, sed tantum מְדַקְדֵּק nobis objiciat, quasi aliud nos hac quidem in re ab homine Judæo requiramus. Hic vero nec illud prætereundum, Hieronymum, cum suam ex Hebræo translationem (de qua isti tantopere gloriantur) adornaret, Judæos (utcunque a fide Christiana alienos) a se consulendos statuisse. Neque enim illum fateri puduit[x] se Bethlehemi Barrabanum (sive Barhanina) Judæum nocturnum habuisse præceptorem: quem non parvo ad hoc ipsum pretio conduxerit. Et postea cum libros Paralipomenon[y] in Latinum sermonem esset translaturus, se de Tiberiade (Masoretharum sede) quendam legis doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, "assumpsisse, et contulisse cum eo a vertice (ut aiunt) usque ad extremum unguem. Et sic (inquit) confirmatus, ausus sum facere quod jubebatis." Atque hinc natum est illud Ruffini[z] adversus D. Hieronymum convitium quod Barabbam (sic Barhanina appellare libuit) de synagoga magistrum suscepisset. Et, "Ignosce mihi (inquit) pro hoc quod malui ante imperitus et indoctus videri, quam Barrabæ discipulus dici. Proposito enim

[x] Epist. 65. Ad Pammachium et Oceanum.

[y] Hieron. Præfat. in lib. Paralipom. ad Domnionem et Rogatianum. Idem lib. 7. comment. in Esaia. cap. 22. "Hebræus (inquit) qui nos in veteris instrumenti lectione erudivit, gallum gallinaceum transtulit."

[z] Lib. 2. Invectivarum in D. Hieronymum.

Christo simul et Barraba, ego quasi imperitus Christum elegi. Tu, ut video, cum illis clamas qui dicunt, Non hunc, sed Barabban." Hæc maledicus ille, impio sarcasmo ex Evangelio in virum sanctum ludens. Contra quem pulchre (similiter et Pontificios, eandem cantilenam occinentes) Hieronymus[a]: "Quod Demosthenes in una littera fecit, exprimendo ut a cane *rho* disceret; tu in me criminaris, quare homo ab homine Hebræas litteras didicerim. Inde est quod quidam inerudite sapientes remanent, dum nolunt discere quod ignorant; nec Horatium audiunt commonentem: Cur nescire pudens prave, quam discere malo?" Et post: "Tibi ipse tantam assumis authoritatem ut de hæretico martyrem, de Origenis libris hæreticorum adulteria mentiaris: mihi non licebit disputare de verbis, et in commentariorum opere Latinos docere quod ab Hebræis didici. Nisi enim et prolixum esset, et redoleret gloriolam, jam nunc tibi ostenderem, quid utilitatis habeat magistrorum limina terere, et artem ab artificibus discere." Adde et Mariani Victorii pro Hieronymo apologiam[b]: "Annon Abraham in omni Chaldæorum, et Moyses Ægyptiorum sapientia, docti fuerunt: et Christiano homini non licet in utilitatem Ecclesiæ, argutarum apum instar, undique quæ recta sunt colligere et comportare." Nec vero hoc solius Hieronymi studium fuisse putandum est. "Etiam Origines (ut habet in citata Apologia Hieronymus) et Clemens, et Eusebius, atque alii complures, quando de Scripturis aliqua disputant, et volunt approbare quæ dicunt, sic solent scribere: Referebat mihi Hebræus; et, Audivi ab Hebræo; et, Hebræorum ista sententia est. Certe etiam Origines patriarchen Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat; et tricesimum tomum in Esaiam, in cujus fine edisserit, Væ[c] tibi civitas Ariel, quam expugnavit David, illius expositione concludit: ut, cum aliter prius sensisse se dicat, doctum ab illo, id quod est verius confitetur. Octogesimum quoque nonum Psalmum, qui scribitur Oratio Moysis hominis Dei; et reliquos undecim, qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem,

[a] Apolog. adversus Ruffinum, lib. 1.
[b] In Vita D. Hieronymi.
[c] Esai. 29.

ejusdem Moysi putat: nec dedignatur, Hebræam scripturam interpretans, per singula loca, quid Hebræis videatur, inserere." Hæc Hieronymus. Mitto Judæum Aquilam, Symmachum, et Theodotionem Judaizantes hæreticos: quos tamen idcirco Ecclesia non putavit rejiciendos in literali vocum interpretatione. Quamvis enim multa mysteria Salvatoris (Hieronymo teste) subdola interpretatione celavissent, nonnulla etiam ad hæreses suas stabiliendas, Judaicam puta et Hebioniticam, studiose pervertissent (quemadmodum cum ab aliis tum ab Irenæo[d], Athanasio in Synopsi, et Epiphanio de Mensuris, notatum est), eorum tamen Versiones curiose legerunt et explanarunt Catholici (ut testatur Hieronymus[e]), et per Origenis laborem ἐν ἑξαπλοῖς ecclesiis dedicarunt[f].

Neque[g] tamen nos ita in recentiorum Rabbinorum verba juravimus ut præ illis . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

"In primis (inquit Bellarminus) Calvinus Institutionum[h] contendit esse legendum Isaiæ 9, Et vocabitur admirabilis, etc. At Hebræus textus modo non habet *vocabitur*, id est, יִקָּרֵא, sed *vocabit* יִקְרָא. Neque ignoravit Calvinus meliorem hoc loco vulgatam editionem esse quam Hebrai-

[d] Lib. 3. cap. 24.

[e] Hieron. in Apolog. advers. Ruffinum; et Præfat. in Job.

[f] Vide Baron. an. 231 § 42; et Eusebium lib. 6, cap. 16, et 17, ubi Originem refert præter Hebraice descriptos sacros libros, et scripturas LXX., aliorum etiam versiones scrutatum esse et contulisse.

[g] Interpretes Chald. et Græc. (supra arg. 5), cum collat. aliorum locorum et linguarum affinium Syriac. Arabic. Æthiopic. etc. nunc in usu. Vide Kimchi in Præf. Michlot. (Contra Hieron. Oleaster in Genes. 33. 19. qui errare Rabbinos asserit cum a lingua Arabica significationes verborum Hebraicorum indagant et mutuantur.)

[h] Cap. 6 § 11. Est lib. 1. cap. 13 § 9 in postrema editione (Genev. an. 1592. 8°). Sed Bellarmino potius libuit veteres Calvini editiones sequi, eam nominatim quæ excusa est Genevæ an. 1554, sine librorum distinctione: ubi nota tum in illa tum in postrema editione, textum ita a Calvino citari: "Hoc est (inquit) nomen quod (postr. edit. quo) vocabunt eum, Deus fortis, Pater futuri seculi"; non contendit legendum "Vocabitur" (ut fingit Bellarminus). Vide Petri Costi Typum Messiæ, T. 10, l. 10, pag. 96.

cam. Sic enim ait: ‘Neque est quod oblatrent Judæi, et sic lectionem invertant: Hoc est nomen quod vocabit eum Deus, fortis, pater futuri seculi; ac demum hoc unum filio reliquum faciant, ut sit Princeps pacis. Quorsum enim tot epitheta in Deum hoc loco congesta forent?’ Igitur confessione Calvini turbidus alicubi fluit ille fons, quem ipse idem ubique purum videri volebat.” Hæc Bellarminus. Cujus etiam hic insistit vestigiis Christophorus de Sacro Bosco[i]. Lyranus, in commentariis ad hunc locum, Judæos textum, contra Christi Deitatem, corrupisse asserit: et corruptionem probat ex duabus antiquis translationibus, Græca LXX. interpretum, et Chaldaica[k], quæ verbum hic passive reddiderunt, Vocabitur. Eum secutus Guilhelmus Reginaldus, unde etiam confirmare nititur, Judæorum iniquitate Hebræa Biblia corrupta esse, et ab ea puritate quam Hieronymi temporibus et ante[l] habuerunt, degenerasse. Hieronymum enim tum in textu tum in commentariis, legisse et transtulisse: Puer datus est nobis, et filius natus est nobis, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. In Hebraicis vero quos nunc habemus fontibus pro thesauro, carbones inveniri. ‘Puer datus est nobis, et filius natus est nobis; et vocabit nomen ejus qui est admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, et pater æternitatis vel futuri sæculi, principem pacis.’ Atque ita præcipuum pro Deitate Christi ex Vetere Testamento testimonium sublatum est.

Resp. 1°. Si puncta de textus substantia non sint, et textum non mutant, quemadmodum opinantur ii qui hunc locum objiciunt adversarii[m], textum hic depravatum esse

[i] Part. 1. cap. 3.

[k] It may be demanded why the Jewes, if they corrupted the Hebrew, left the Chaldye pure and uncorrupt. Had they more care and conscience to preserve this then that which they esteemed and acknowleged to be the holy authenticall writing of God his word? or was this their purpose, by preserving the truthe in the Chaldye, to leave an argument and marke of their falshoode to all the worlde in ages to come?

[l] Quomodo ergo ante Hieronymum locum hunc transtulit Theodotio (quemadmodum, testatur Eusebius), *καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, συμβουλεύων, ἰσχυρὸς, δυναστὴς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης.*

[m] Lyran. in 2 Reg. 8. et Hose. 9. Bellarmin. lib. 2. de Verbo Dei in fine

concludere non possunt. Textus enim Hebraicus sine punctis utramque fert lectionem (יִקָּרֵא et יִקְרָא) quemadmodum observat Christophorus de Sacro Bosco[n]: et res non eget probatione. 2°. Etiam punctis additis, יִקְרָא ex Hebræorum idiotismo, idem valet quod יִקָּרֵא. Tradunt enim Hebræorum Grammatici (quod et Vatablus in hunc locum notat; et qui prima linguæ Hebrææ rudimenta degustarunt ignorare non possunt,) verba tertiæ personæ sæpenumero indefinite et impersonaliter usurpari: ita quidem ut passive aliquando a Latinis evidentiæ gratia reddi possint. Plura enim verba primæ aut secundæ conjugationis activæ vocis neutro-passivam significationem habent[o]: id quod ex Spiritus Sancti interpretationibus evidenter docet Arias Montanus[p]. Quemadmodum quod Michææ[q] in Hebræo active legitur יִשָּׂא עֲלֵיכֶם מָשָׁל, Latinus interpres (Hieronymus), atque etiam Græcus, passive reddidit, Sumetur super vos parabola, ληφθήσεται ἐφ' ὑμᾶς παραβολὴ[r]. Quod etiam

capitis 2; Guilbelmus Reginaldus, ct Chrlstophorus de Sacro Bosco. Bellarmini verba sunt, in fine capitis illius secundi, (quæ hic responsionis loco adhiberi adversus ipsum possunt): "Errores qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omnino veritati officiunt. Puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant. Itaque possumus, si volumus, puncta detrahere, et aliter legere." Hæc ille.

[n] Part. 2. cap. 9. pag. 184.

[o] Ut illud Esaiæ, "Absorpsit mortem in victoriam," passive redditur in 1 Corinth. c. 15 [54], Sic Genes. 15. 6. Imputabit ei ad justitiam, h. e. imputatum est ei ad justitiam, Rom. 4. 3, (cui in primo loco subaudiendum sit Deus).

[p] De Communib. Hebraicæ Linguæ Idiotismis (§ 42) in Bibliorum Regiorum apparatu, agens.

[q] Cap. 2. vers. 4.

[r] In quem locum (Mich. 2 § 17.) ita scribit Fr. Ribera: "Non debuerant viri docti ignorare, quod passim occurrit in Scriptura futurum activum, sive præteritum, sine supposito, passivam habere significationem." Similiter et ipse Bellarminus, in Grammatica sua Hebræa, parte 4. cap. 4, notat, non raro usurpari tertiam personam verbi activi in passiva significatione. Ut Gen. 16. עַל־כֵּן קָרָא לַבְּאֵר בְּאֵר לַחַי רֹאִי, propterea vocatum est putci (i. e. putei nomen) Puteus viventis et videntis. Sed hic grammaticæ suæ oblitus est Bellarminus. Vide etiam Genebrardum in Syntaxi posita ad calcem Hebraicæ Grammaticæ Clenardi.

Geneseos capite 48, vs. 1 et 2, ab iisdem factum est: et alibi passim[s].

Frustra igitur illud a Lyrano, Sacroboscano[t], et aliis, hic urgetur, non solum Latinum interpretem, sed etiam LXX., itemque Chaldaicam paraphrasim, locum hunc passive legisse. Verbum enim יִקְרָא passive eos reddidisse constat: passive vero scriptum יִקָּרֵא legisse non constat, (non quidem magis quam nostris temporibus ita legisse Ariam Montanum, quando in Bibliis cum interlineari interpretatione editis vocem וַיִּקָּרֵא notavit, Et vocabitur,) quia videlicet activa apud Hebræos sæpenumero impersonalem et passivam habent significationem.

3°. Etiamsi active acciperetur hoc verbum *Vocabit*, ad sententiam nihil interesset: sic videlicet ut vel indefinite referatur ad quemvis Christianum, qui sic Messiam suum vocaturus sit; vel definite potius ad Deum (Patrem), qui

[s] Etiam hoc ipso in verbo quo Propheta hic ntitur, ut Genes. 11. 19: Vocavit nomen ejus Babel, i. e. vocatum est, (ut et Græcus et Latinus interpres reddidit). Genes. 19. 22: Idcirco vocavit nomen urbis illius Tzohar, h. e. vocatum est, nomen urbis illius Segor (ut ab iisdem est redditum). Genes. 21. 31.: Ideo vocavit locum illum Beershebah, i. e. Ideo vocatus est locus ille Bersabee (ut habet et Latina et Græca editio). Genes. 25. 30. Vocavit nomen ejus Edom, i. e. vocatum est nomen ejus Edom; ut Latina vulgata editio recte transtulit. Genes. 16. 14. Propterea appellavit puteum viventis, videntis me, (quemadmodum etiam habet vulgata versio, et Pagnini. Tamen certum est (inquit Lubbertus) verbum appellandi non accipi hic active, neque referri ad Agar; ponendum enim esset in fœminino genere, quemadmodnm positum est versu præcedenti, nbi dixerat de Agar quod ipsa vocaverit תקרא (in fœminino) nomen Domini, qui loqnebatur cum ea, Tu Deus qui vidisti me; sed accipi neutraliter, seu impersonaliter. Ideo notat ibi Vatablus; Subaudiendum est (inquiens) is qui ei nomen indidit. Satis tritum est Hebræis verbum sic indefinite accipi. Qno tamen sensus clarior sit, quidam in passivum verbum, Vocatum est, ait Bellarm. Grammat. Hebr. part. 4. cap. 4. Hebræi sæpe verba activa tertiæ personæ singularis numeri, sine certo nominativo ponunt, subaudito Benoni ejusdem verbi, ut Job. 27. 23 ישפק, plaudet super eum manibus suis, hoc est, complodens complodet manus suas; vel, quod idem est, manus super eum complodentur. Et Genes. 48. 2. ויגד, annuntiabit Jacobo, hoc est, nuncius nunciavit Jacobo; vel, quod idem est, nunciatum est Jacobo. (Mercerus in Job. 27. 23). Eodem modo, Vocabit ejns nomen Deum fortem, hoc est, vocans (sive vocator) vocabit nomen ejus, viz. Deus, qui solus talia nomina accipere et dare potest. Psal. 72. 15. ubi in Hebræo est active, Et dabit ei de auro Arabiæ; editio Græca et Latina vulgata passive reddidit, Et dabitur ei de auro Arabiæ.

[t] Pag. 21.

solus hæc nomina magnifica potest dare: quo modo hic locus a Tremellio et Junio fidelissimis Veteris Testamenti interpretibus expositus est. Hic vero supra modum ridiculum ostendit se Christophorus Sacroboscanus, dum Junium et Tremellium hic ut Judaizantes hæreticos accusat; et contra Whitakerum summa cum impudentia asserit, si demus hanc lectionem esse legitimam, nunquam nos ex hoc loco Christi divinitatem probaturos. Quis enim sani capitis dixerit, ex his verbis Deitatem Christi probari posse: Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, etc.; ex istis vero probari non posse: Ejus nomen vocabit [Jehova] Admirabilem, Consiliarium, Deum fortem, etc. Nisi id fortasse aliquid ponderis argumento detrahere videatur, quod Deus Pater hoc nomen Filio tribuere dicatur, potius quam alius quivis, (ac non potius maximum momentum addere). Hujusmodi vero interpretes qui Judaizare dicit, næ ille parum habet pensi quid dicat. Annon vero Wilhelmus Reginaldus (et ejus assecla Sacroboscanus,) Judaizare potius dicendus erit, qui asserere non veretur in Hebræis quos nunc habemus fontibus, haberi: Et vocabit nomen ejus qui est admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, et Pater æternitatis, Principem pacis[u]. Quasi vero in textu Hebræo essent ista Dei Patris, et non Filii nobis dati epitheta: ac non potius constructionis natura repugnaret, ut ea nomina quæ relativo suffixo (in שְׁמוֹ Nomen EJUS) proxima sunt, ad puerum, de cujus nomine ex professo disseritur, non pertineant: sed tantum id quod omnium est remotissimum. Id enim si ita esset, recta syntaxis ratio requireret, ut DEI nomen præmitteretur (quod jam in medio habetur loco) vox vero שְׁמוֹ (Nomen ejus) trajiceretur ad extremum, hoc modo; Et vocabit Deus Admira-

[u] Petrus Cluniacensis, libro 2 contra Judæos, postquam notasset, sex ista tam sublimia nati parvuli nomina reticuisse, et pro illis magni consilii angelum transtulisse, ad textum Hebræum hic provocat: "Si non habent (inquit) nomina illa Græci libri, habent Hebraici: si non habet ea Græcus, habet Hebræus. Relegite Esaiam, scrutamini verba ista, et non verbis meis, sed literis vestris credite: non libris alienis, sed propriis adquiescite." Excus. Parisiis cum ipsius et aliorum in eam annotationibus. Item Castalionis postremam annotationem in illud Numer. 21. Dedit filios ejus.

bilis, Consiliarius, Fortis, Pater futuri sæculi nomen ejus, Princeps pacis. Quemadmodum nostri adversus impias Judæorum glossas distutant: quas propugnare conatus Reginaldus, arma Christianis adimit quibus perfidi Judæi debellari possint. Atque ut id efficiat, textui addit illa verba *Qui est*, et postremum epitheton ita a prioribus omnibus secernit, ut illud accusativo casu proferat, reliqua nominandi casu enuntiet: cum nihil hujusmodi in textu Hebræo compareat. Et audet tamen ille somnia capitis sui Hebraico textui affingere, et ex iis fontium authoritatem diminuere, etc.

4°. Calvinus non dicit Judæos corrupisse hunc locum Esaiæ, quemadmodum mentitur Sacroboscanus, (qui tamen ut aures[v] erigat, Whitakerum hic monet[w], et magistri sui verba attente excipiat: cum ipse humanas suas aures erigere prius debuisset, et verba a se citanda accuratius ex-

[v] Parturiunt montes.

[w] Wheras Calvin hath Vocabitur (he hath Vocabunt, not Vocabitur, ut fingit Bellar.) for that which is in Hebrne Vocabit: it was not for that he judged and acknowledged the Hebrne word to be falsified; but to make the meaning of the Prophet more plaine aud easie to be understood, who, according to the manner and custome of the Hebrucs (wherof hath bene spoken before) nsed that active verbe indefinitelye in impersonall and passive signification. Calvin himselfe can best declare his own meaning. In his commentaryes therfore on that place of Esay, thns he translateth it: Vocabitur nomen ejus admirabilis, etc. And in his exposition theron thus he writeth: Quanquam activum est verbum, quia tamen indefinite capitur non dubitavi reddere in neutro genere. Tantundem enim valet ac si in plurali numero dixisset Vocabunt. Et nos Galli phrasin hanc imitamur, Ou appellera. Quod enim ad Deum referunt Judæi, et legunt uno contextn, Vocabit nomen ejus admirabilis, etc. facile apparet studio vel potius libidine obscurandæ Christi gloriæ hoc fieri. Hæc Calvinus. Et Gretserus tamen, qni hoc apud nostros (quos confutandos suscepit) toties legit, impudenter in sententia persistit. Imo in Appendice ad sec. librum Bellarmini (1030. a.) "Impudentis mendacii," nos arguit homo mendacissimus; quod negemns Calvinum contendere legendum esse: Et vocabitur admirabilis, cum tamen in Hebræo textu legatur, Et vocabit. Tametsi (inquit Gretserus) in posterioribns Institntionum editionibus sic legit: Hoc est nomen quo vocabunt eum, Deus fortis, etc. Scd sensus cum nostra versione coincidit, ut suo loco dictum; et veritatis Spiritus Calvinum hic verum fateri coegit meliorem esse versionem Latinam quam Hebræam, pront hodie constituta est. Respondeo quod nusquam hoc apud Calvinnm legitur, qui vulgatam versionem neque approbat neque improbat; multo minus eam textui Hebræo præfert; sed reprehendit falsam Judæorum explicationem. (Et nisi ille, qui locum aliquem secundum morem usitatum interpretatur, ex eodemque argumenta deducit, hoc ipso corruptum eum esse dicat. Calvinus quoque hunc locum corruptum esse nunquam confitetur.)

pendere,) neque putat, meliorem hoc loco vulgatam editionem esse, quam Hebraicam, atque turbidum hic fontem fluere, quemadmodum fingit Bellarminus: non contendit (ut idem mentitur) in textu Hebræo aliter legendum esse quam hodie legitur: uno denique verbo, non Hebraicam lectionem, sed pravam interpretationem Judaicam refellit; quam textui pessime affinxit Reginaldus (ut ostendimus) Judæorum hic causam agens. Differunt vero inter se malitiosa verborum constructio et verborum falsificatio. Sensum vero suum apertissime explicat in commentariis suis ad hunc locum, ubi monet, "Etsi verbum vocandi sit activum, tamen indefinite hic capi, ac proinde non dubitasse se id vertere neutraliter: Et vocabitur nomen ejus," etc. Tum Rabbinorum commentum, sententiam hujus loci pervertentium, pluribus argumentis ex contextu petitis refellit: et studio vel potius libidine obscurandæ Christi gloriæ id ab illis factum monet. Atque huc referendum quod Lutherus[x] dixit: Totum hunc textum misere et scelerate a Judæis esse crucifixum, qui Christum ipsum crucifixerunt: quod nobis a Guilhelmo Reginaldo et Christophoro de Sacro Bosco hic objicitur. Sed quomodo hic locus crucifixus sit a Judæis, explicat; quod, viz., ex sex nominibus quæ Propheta Infanti et Filio hic tribuit, quinque priora legant in nominativo casu, sextum in accusativo, ad hunc modum: Et vocabit nomen ejus is qui est Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis et Pater æternitatis, Principem pacis: et de Ezechia Rege intelligant. Istas vero duas corruptelas non in verbis Hebraici contextus inhærere sed in Rabbinorum expositione manifestum est: cum hujusmodi casuum variatio in textu Hebraico non cernatur, et ne minima quidem de Ezechia intelligendo suspicio inde oboriri possit. Cum igitur Reginaldus in Hebraicis quos nunc habemus fontibus ista legi asserat (Judaice plane atque impie), Et vocabit nomen ejus qui est admirabilis, consiliarius Deus, fortis, et pater æternitatis, Principem pacis, ex Lutheri sententia cum iis conspirat, quos ille textum crucifixisse monet, et a Deo in reprobum sensum esse tra-

[x] Tom. 4. Enarration. Esai. cap. 9.

ditos. Addit quidem postea Lutherus, textum videri per punctatores corruptum, qui pro וַיִּקָּרֵא passivo, scripserunt וַיִּקְרָא: sed VIDERI tantum; neque id alia de causa, quam quod puncta viderentur recens Judæorum inventum: quæ hypothesis quam infirma sit, suo loco a nobis ostensum est. Illud interim Lutherum non latuit, ex punctis quæ hodie in textu leguntur eandem sententiam deduci posse: ut necesse non fuerit, locum depravationis arguere. "Quod vero (inquit) dicitur in Hebræo legi, Vocabit nomen ejus, non, Vocabitur nomen ejus, inanis est cavillatio Rabinorum. Constat enim sæpe verbum activum accipi passive, seu potius impersonaliter: ut, Dabunt mensuram, i. e. dabitur. Sic, Vocabit, pro Vocabitur. Ac prorsus usitatum est, Impersonalia etiam efferri per activa." Hæc ille. Concludimus igitur cum Luthero: nihil aliud esse objectionem hanc, quam inanem Pontificiorum, cum impiis Rabinis conspirantium, cavillationem.

II. Jerem. 23. 6. "Calvinus, in loco citato[y], vult esse legendum: Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justitia nostra. At fons Hebraicus constanter habet יִקְרְאוֹ, vocabit eum; non יִקְרְאוּהוּ, vocabunt eum." Ita Bellarminus. Nicolaus Lyranus in commentariis ad hunc locum, et in Probatione[z] incarnationis divinæ personæ contra Judæos, ait: Hebræos, ne ex hac authoritate cogerentur Christi divinitatem confiteri, textum ita corrupisse: Et hoc est nomen ejus qui vocabit eum, Dominus justus noster. Falsitatem vero deprehendi posse asserit: primo per LXX. interpretes, qui fuerunt Judæi valde literati, et in hoc loco sic transtulerunt: Et hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus justus noster. Deinde per translationem Chaldaicam (quæ est authentica apud eos) quæ sic habet: Et hoc est nomen quod vocabunt eum. Addit Guilhelmus Reginaldus, Hieronymum in commentariis ad hunc locum monuisse, lectionem Hebraicam fuisse (suo tempore): Nomen ejus vocabunt. Jam vero malitia Judæorum

[y] Institut. lib. 1. cap. 13 § 9.
[z] In fine Glos. Novi Testamenti.

in universum depravata esse (idque turpiter et prodigiose) Hebraica omnia Biblia: sublato illustrissimo pro Christi Deitate testimonio.

Respondeo 1°. Verba hujusmodi tertiæ personæ impersonaliter, indefinite, vel neutraliter, apud Hebræos usurpata, (quo modo frequenter accipiuntur, ubi actio ad multitudinem refertur[a],) vel pluraliter per vocem activam, vel singulariter per vocem passivam, verti possunt. Et qui ita vertit, nequaquam textum corruptum esse putat; sed phrasim Hebraicam Hebræis usitatam, alia phrasi quæ Latinis est usitata, reddit[b]. Atque ita non Hieronymus tantum, sed etiam Vatablus, Calvinus, Pagninus, et Arias Montanus, qui יִקְרְאוֹ in textu legerunt, locum transtulerunt: Et hoc nomen ejus est quo vocabunt eum. Quo modo et Jonathan Chaldæus Paraphrastes reddidit: וְדֵין שְׁמֵהּ דִּיהוֹן קָרְן לֵהּ. Eodemque modo, in loco prorsus consimili[c], וְזֶה אֲשֶׁר־יִקְרָא־לָהּ יְהוָֹה צִדְקֵנוּ, Græcus interpres reddidit, *καὶ τοῦτο ἐστὶν τὸ ὄνομα ὅ καλέσουσιν αὐτῷ*; Jonathan Chaldæus interpres וְדֵין שְׁמֵהּ דִיהוֹן קָרְן לֵהּ; et vulgata Latina versio, Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Etsi igitur Vocabunt hic legatur, minime sequitur aliter se habere textum Hebraicum quam hodie legitur. 2°. Etiamsi singulari numero verbum יִקְרְאוֹ redderetur, non inde tamen sequeretur, vel locum

[a] Ar. Montan. De Communibus Hebraicæ Linguæ Idiotismis (§ 40), in Biblior. Regior. Apparatu.

[b] Qui vel prima ruditamenta Hebrææ linguæ attigerunt, illi sciunt Hebræis esse usitatissimum ut verba impersonalia* vel neutra exprimant per verba activa, quandoque plurali, quandoque singulari numero. Ita pro eo quod nos dicimus, Quid agitur? luditur? dormitur? illi dicunt Quid agit? ludit? dormit? vel Quid agunt? ludunt? dormiunt? Subaudiunt enim homines, vel quivis homo, vel Benoni ejusdem verbi, nempe quid agitur? sc. quivis agens; dormit, quivis dormiens; ludit, quivis ludens: et hoc non solum Hebræis, sed omnibus pene gentibus usitatum est. Ita Græci in plurali dicunt *φασί*; Latini sic aiunt, Ferunt sc. quivis homines; quod idem est ac si dicas, sic fertur. Germanice, Man thuet, Galli, On fait, q. d. homo facit i. e. fit a quolibet homine. Lubbert hæc.

[c] Jerem. 33. 16.

* Vide Mercer in Job. 4. 19 et 7. 3. Præcipue Fr. Riberam in Hose. 13. pag. 174.

depravatum esse, vel minus facere ad divinam Christi naturam confirmandam. Posset enim vel indefinite sumi (quomodo hujusmodi verba tertiæ personæ impersonaliter usurpata sæpissime[d] redduntur) hoc modo, Vocabit quisque eum[e]. Quod in Germanica sua versione secutus est Lutherus, ut hoc ad quemque fidelem hominem referatur. Vel potius, nomen Israelis ex proxime præcedente sententia hic repeti posset: quo modo Tremellius et Junius[f] sententiam loci expresserunt: Atque hoc nomen ejus est, quo vocabit eum [Israel]. LXX. interpretes ad Deum Patrem videntur retulisse: ita enim verterunt, *Καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ καλέσει αὐτὸν Κύριος*, Hoc est nomen ejus quo vocabit eum Deus. Unde etiam et Hieronymus liberum nobis facit, ut vel Vocabunt, vel Vocabit legamus. Sic enim habet textus qui cum commentariis ejus conjunctus est: Et hoc est nomen quo vocabunt eum (sive vocabit eum) Dominus justus noster (sive justitia nostra). Quod maximo adversus Reginaldum argumento est, non ita prodigiose corruptum esse hunc locum, ac ille persuadere nobis voluit; multoque minus a Judæis post Hieronymi tempora immutata esse verba contextus, quod ille ex Hieronymo frustra confirmare conatus est, cum authoritate LXX. interpretum (qui singulari numero verbum legerunt) apertissime refellatur. Calvinus in loco citato adversus sinceritatem textus Hebræi ne unicum quidem verbum habet. Tantum refert ex Jeremia; hoc fore nomen quo vocabitur germen Davidis, Jehovah justitia nostra, quod ad rem de qua quæritur nihil spectat. Ait quidem ibi Judæos captare latebras: non id quidem volens, immutatum esse ab iis *τὸ ῥητὸν*, sed pessime detortam esse loci sententiam. Neque omnino eo in loco versio illa quam Bellarminus citat, Et hoc est nomen quod Vocabunt eum, uspiam comparet: ut dormitasse hic Jesuita videri possit; nihil aliud enim ex

[d] Martin. Gram. Hebr. lib. 2. cap. 3. Tremell. in version. Genes. 16. 14; 19. 22; 21. 31, etc.

[e] Vel subaudito Benoni ejusdem verbi (quemadmodum ex Mercero in Job. 27. 23. in responsione ad superius argumentum notatum est) vocabit eum, sc. vocans.

[f] Et Hebræus etiam Scholiastes David Kimchi in loci illius expositione.

Jeremia producit Calvinus quam, Hoc fore nomen quo vocabitur germen Davidis, Jehovah justitia nostra, (tam in vetere editione quæ est sine librorum distinctione edita Genevæ, an. 1554, quam hic sequitur Bellarminus, quam in nova editione Genevæ, an. 1592, 8vo.) Bellarminus ait in priore loco Esaiæ Calvinum legere Vocabitur, in hoc Jeremiæ, Vocabunt; cum contra plane sit: atque ita neutro in loco Calvinus cum vulgari editione consentiat. In prælectionibus quidem ad locum hunc Jeremiæ legit, Hoc est nomen quo Vocabunt eum: non tamen quod Hebræum textum putaret vitiatum, sed quod verbum quo usus est Propheta pro Indefinito acciperet, (sic enim ibi ipse appellat,) quemadmodum ibidem videre licet. Illud autem Vocabit indefinite sumptum idem valere quod Vocabitur, vel Vocabunt, in commentariis ad locum Esaiæ 9. 6. jam citatum, ostendit idem Calvinus: et nos jam demonstravimus[g]. Quare nisi ille qui locum aliquem secundum morem usitatum interpretatur ex eodemque argumenta deducit, hoc ipso eum corruptum esse dicat, Calvinus quoque hunc locum corruptum esse nunquam confitetur. Certum est enim Calvinum nusquam scribere, vulgatam versionem esse textu Hebræo puriorem: neque hoc ullo modo ex eo potuit colligi, nisi posito hoc putrido fundamento: Quicunque verbum activæ vocis vertunt indefinite seu neutraliter, illi fatentur textum Hebraicum esse depravatum.

Respondeo 1°. For the Greek interpretation of the LXX. it is so farre from impayring the creditte of the Hebrue in this place that it strengtheneth it altogether, translating it in the singular number according to the Hebrew now extant (as St. Hierom also maketh mention in comment. ad Jerem. cap. 23); being word for word the very same ὅ καλέσει αὐτὸν, quod vocabit eum, not vocabunt eum, as Lyranus telleth. And seing the Greek interpretation cannot be challenged for any malicious alteration of the text against Christ, it followeth likewise that the place was not corrupted by the Jewes for such a cause as Lyranus (and Reynolds) surmise. 2°. Touching the Chaldye paraphrase

[g] Vide Petri Costi Typum Messiæ, T. 10. 1. 10. pag. 90, 92, 93.

it may be demanded: Why the Jewes, if they corrupted the Hebrue, left the Chaldye pure and uncorrupt. Had they more care and conscience to preserve this then that which they esteemed and acknowledged to be the holy authenticall writing of God his worde? or was it their purpose, by preserving the truthe in the Chaldye, to leave an argument and marke of their falshood to all the worlde in ages to come? Agayne, the worde as it is in Hebrewe may be true, though there it bee somwhat otherwise translated: neyther must we thinke every worde in Hebrue to be falsified from the which the Chaldie disagreeth. Sometime he keepeth the sense, not the worde, which is here to be seen. For wheras it, and the vulgar Latin hath, Hoc est nomen quo vocabunt eum, the verbe here hath an impersonal signification according to the Hebrues and Chaldies familiar manner of speaking, in many places also used both of Latin and Greek authors. Expellent[h] eum de luce in tenebras, habet Hebræus et Chaldæus, i. e. Expelletur. Vulgata Latina, Expellet. Cor[i] ejus ab humano (sive humana natura) commutetur, Vulgata Latina: pro quo in Chaldæo, Commutent. Hac[j] nocte animam tuam repetent a te, i. e. repetetur. So here in these wordes of the Chaldye interpreter, Vocabunt eum, the meaning is, Vocabitur. Now that this impersonall and passive sense may be likewise in the other speeche which is now redde in our Hebrew books, Vocabit eum; hath before bene sufficiently proved in the answere to that place of Esay next going before. Conclusion: The Chaldye translator doth not therfore use a verbe plurall because he founde it so in the Hebrue: but seeing that the sense is all one this way and that, he declareth the meaning by an other manner of speache. Quamvis fatemur Chaldæum paraphrastem, Hieronymum, et Calvinum, pluraliter vertisse; non tamen concedimus eam ipsam lectionem in Hebræo non haberi.

As for the Jewes who are here charged with the corruption of the Hebrue worde, it is to be noted, that they themselves have no other meaninge by it then the Chaldye

[h] Job. 18. 18. [i] Daniel. 4. 16. [j] Luc. 12. 20.

and the vulgar Latin translator approveth. For the Hebrue scholiast David Kimchi, in his exposition of that place, understandeth it thus: That Israel should call the name of Christ Jehova our righteousness. Now what difference is there between these speaches, They shall call Christ, or, The Israelits shall call Christ, The Lord our Righteousness. The sense is all one, that Christ in the Church should commonly be called by that name of the people of God. Likewise in the Jewes Talmud in the treatise called Baba Bathra, in that chapter which beginneth, Hamocher eth hasephina; and in Eca Rabbathi[k], it is expresselye sette downe that Christ should be called by the four-lettered name of God Jehovah, and, to prove it, this sentence of Jeremye is alledged. Behold by this the Jewes falsifyinge of this place who, as well of ancient as latter time understand the same as Christians doe, and no otherwise. I mean for that worde יִקְרְאוּ, which here is suspected of corruption. Yea the Jewes in this place have the name of Christ more significant then the Latin Bible of Christians hath, even this, Jehovah our righteousness. For that is more emphaticall and forcible for the honour and glorye of our Saviour then this, Our righteous Lord: and more clearlye agreeth to that which the Apostle testifyeth of him[l], that He was made of God for us wisdome and righteousness and sanctification and redemption[m].

Psal. 19. 5. Veteres interpretes non videntur legisse קוּם, nam olim proculdubio legebatur קולם, vox eorum[n]. Respondeo 1°. Aquila[o] legit *ὁ κάνων αὐτῶν*, regula, aut linea eorum. 2°. LXX. non videntur legisse קוֹלָם, tum enim retinuissent eandem vocem (*αἱ φωναὶ αὐτῶν*) qua expresserunt קולם in fine versus præcedentis, sed substituunt *ὁ φθόγγος αὐτῶν*. Similiter Symmachus in fine versus 4. habet *φωναὶ*, in initio 5[i], *ὁ ἦχος*. Et in Bib-

[k] In Lamentat. 1. 16. [l] 1 Corinth. 1. 30. [m] Lively.

[n] Mariana, pro Vulg. Edit. cap. 7.

[o] Theodoret. in hunc locum (et in Catena Græca in Psalmos, pag. 181 a): ubi nota ex Eusebio Apostolum non citare hunc locum, sed destringere. (Contra Gretser.)

liis Regiis (ex Masiano exemplari,) Chaldaica paraphrasis, vs. 5. מְתַח עֵינֵיתְהוֹן, extensio prospectus eorum[o]. Itaque, 3°. LXX. more suo ad sensum respiciunt, et locutionem emolliunt, secuti sententiam proximi versus, ut David more suo se explicet[p]. Est enim illa quasi ocularis vox[q], ut, Si[r] non auscultaverint voci primi signi. Sic et Andradius[s], et Caietanus, et Vatablus, et Flaminius. Fr. Titelmannus lectionem improbat[t]. Cui adde quod Augustinus Steuchus in commentariis hujus loci putat קָוָם reddi posse, Harmoniam eorum. Locum ita explicat, tum ex suo, tum ex Rabbinorum sensu, viz. Abraham Aben Ezræ, et Salamonis Jarchi. Vide locum ubi ita ipse inquit, "Certissimum est non multum variare sensus, etsi non conveniant verba. Et fortasse maluerunt dicere LXX., Sonus eorum, etiamsi legerent קָוָם, ut servarent eandem ubique tralationem sermonis ac locutionis, quæ datur cœlo[u]." Felix Pratensis putat verti posse, In omnem terram exivit cursus eorum. Jo. Reuchlinus, libro Rudimentorum Hebraicorum[v], "In omnem terram exivit sonus eorum, Rectius (inquit) norma, directio, regula, ædificatio et architectonia eorum." In Syriaca versione manuscripta[w] est, ܣܒܪܬܗܘܢ, סברתהון, prolocutio eorum, nam (ut Masius notat, in Syriaco textu[x],) Psal. 112, in Syriaca editione סְבַר ponit pro Hebraico כַּלְכֵּל, viz. Proloqui verba sua cum judicio, eaque veluti dispensare, ne quid temere dicatur[y]. סְבַר idem est quod קוה, expectavit, speravit, (unde קו deductum) et בשר, annuntiare, evangelizare. Item סְבַר est aspectus et vultus[z]. Cur non

[o] Psalterium Augustini Nebiens. et Bibl. Venet. habent עִיבְדֵיהוֹן, hoc est, extensio, vel ductus, corporis eorum (ut reddit Aug. Steuchus), vel rerum, effectuum, negotiorum eorum (Fr. Raphele). In Var. Lect. Bibl. Reg. Titelman. ait Chald. habere, In terram extensi sunt effectus eorum.

[p] Genebrard. in. Psal. 18.

[q] Vide Steuchum.

[r] Exod. 4. 8.

[s] Col. 3.

[t] In annotationibus ex Hebræo in hunc Psalmum.

[u] Steuchus.

[v] In Exposit. voc. קָו in Psal. 19.

[w] T. 1. 1. 11.

[x] Fol. 31.

[y] Masius.

[z] Guido Fabricius in Dictionario Syro-Chaldaico.

igitur קוה et קַו Hebræorum, quod idem est cum סְבַר Syrorum et Chaldæorum, possit admittere hæc significata? Considera et nomen *φθόγγου* an non id notet proprie quod Isaac habet, sonum, viz. qui dicitur ex chorda (musica), quæ inde nomen videatur habere[a]. Græci interpretes explicarunt trochum propria locutione.

Exod. ii. 22. Deest, Alium quoque genuit, et vocavit nomen ejus Eliezer, dicens, Deus patris mei auxiliatus est mihi, et liberavit me de manu Pharaonis.

Responsio 1[a], Desumpta ex cap. 18. 4. (a Caietano in istum locum), Tota ista particula de secundo filio superflua est[b]. "Sciat lector, verba quæ hic ponuntur de generatione secundi filii, appellati Eliezer, et de nominis ejus etymologia, ea verba non esse in Scriptura Hebraica; esse tamen in translatione LXX. interpretum, unde sumpsit ea interpres Latinus." Sunt tamen ipsius Scripturæ, *non quidem in hoc loco*, sed infra in cap. 18, ubi eadem plane verba reperies quæ hic ponuntur. 2°. Obeliscus est junctus huic loco etiam editione Lovaniensi. Hentenius notat in duobus manuscriptis exemplaribus Latinis deese. Robertus Stephanus, in duobus etiam, viz. S. Dionysii lato, et S. Germani oblongo (vetustissimo). Io. Harlemius, et alii Lovanienses theologi, in Variis Lectionibus Latinorum Bibliorum[c] ad hunc versum ista annotant: "Hic versus in quibusdam manuscriptis non legitur, nec apud Hebræos aut Chaldæos est; Græci tamen legunt." Gretserus[d] ait hæc ægrorum somnia esse. Unde enim probant isti LXX. interpretes intrusisse in caput secundum verba illa ex cap. 18; unde probant eos, non vertisse id, quod in capite 2° invenerant; sed caput secundum hoc assumento auxisse?

Resp. Quasi vero respondenti incumberet probatio, ac non probantis partes misere profecto sustinenti Gretsero; qui tergiversatur hic ac terga dat. Nobis sufficit, quod Græcis interpretibus hoc in more positum esse constat; ut ubi

[a] Vide Stephani Thesaurum, H. 1. 5. 3. voc. *φθέγγομαι*. col. 136. lin. 44, 66, 68. 74. Vid. Wilh. Rainold. p. 287.

[b] Perer. Disp. 13. in Exod. cap. 2. § 75.

[c] In Regiorum Bibliorum Apparatu. [d] Col. 275.

eadem res plenius in uno Scripturæ loco habetur quam altero, ex altero illo pleniori aliquid mutuentur quo suppleant (ad planiorem et pleniorem intelligentiam) alterius loco defectum, ut in hisce exemplis ex libro Geneseos (a Liveleio hic commemoratis): " Bina[e] omnibus ingrediantur, ad te, ut nutriantur tecum, *masculus et fœmina*." Postrema illa verba (ἄρσεν καὶ θῆλυ) non reperta sunt in Hebræo, sed ex versu præcedenti desumpta. " Crescite[f] et multiplicamini *et replete terram*," illud καὶ πληρώσατε τὴν γῆν, mutuata sunt ex Gen. 9. 1. Βασιλεῖς[g] ἐθνῶν ἐκ σοῦ ἔσονται, Reges gentium ex te erunt: illud ἐθνῶν desumptum est ex vers. 16 ejusdem capitis. Ὀχοζὰθ[h] ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, desumptum ex capite 26. v. 26. Septuaginta habent[i], " Fuerunt autem filii Manasse, quos peperit ei concubina Syra, Machir: Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manasse, Sutalaam, et Taam: filii autem Sutalaam, Edem": ex Numb. 26, et 1 Chron. 7.

II. Deinde (inquit Gretserus) autor vulgatæ editionis, hoc est, S. Hieronymus, in sua interpretatione non est secutus LXX. interpretes, sed textum Hebræum, quod ipse in singulis præfationibus perpetuo repetit, maxime Proœmio in libros Regum, ubi intrepide hæc de se: " Mihi conscius non sum, mutasse me quidquam de Hebraica veritate," etc. Et audent tamen effrontes istæ frontes accusare D. Hieronymum quasi aliqua transtulerit, quæ in Hebraicis exemplaribus non repererit?

Respondeo: Quid vero non audeat, qui frontem omnem exuisse videatur Jesuita? Oblitus est videlicet quod ipse scripserat[j]: " Vulgatam interpretationem, teste Bellarmino, esse aliquando mixtam ex Latina versione LXX. interpretum. Ideoque non esse mirum si quædam inveniantur in Latina editione quæ non comparent in Hebræo, quia ex LXX. senioribus desumpta sunt." Hæc Gretserus. E[xtractam] esse hanc editionem ex utraque agnoscit non Bellarminus solum, sed etiam Baronius, Hugo Victorinus,

[e] Gen. 6. 20.
[f] Gen. 8. 17.
[g] Gen. 17. 6.
[h] Gen. 21. vs. 22, et 32.
[i] Gen. 46 post vs. 20.
[j] Col. 506.

Driedo, Mariana[ii], et aliquando Latinam Hieronymi, et Græcam LXXII. interpretationes, in Latinis libris, imperita temeritate conjunctas confirmat Fr. Lucas Brugensis[j]. Neque certe negari potest sæpius usu venire, ut in vulgata editione Latina retinebantur superfluæ additiones contextus Græci, quæ, teste Hieronymo, in Hebraicis quæstionibus in Genesim, non fuerunt in textu Hebræo: ut, "Egrediamur[k] foras"; "cum[l] Isaac filio suo" et vocabulum "magnam" est additum ex Græco, in illa sententia, "Faciam[m] in gentem magnam." Denique, tum in Græca tum in Latina editione verba ista, "Si[n] ascendam contra Philisthæos, et tradas eos in manus meas?" addita sunt præter fidem Hebraici textus ex vers. 19. ejusdem capitis; quemadmodum in hoc loco Exodi de quo quæritur factum dicimus.

Objectio. Esai. 7. עלמה[o].

. . . .

. . . .

. . . .

Objectio. Zachar. 9. Eduxisti vinctos tuos[p].

. . . .

. . . .

. . . .

Gen. 49. 10. quod hodie legimus, "Donec veniat qui mittendus est," longissime variat ab eo quod Judæi et Semichristiani isti legere malunt, "Donec veniat Silo;" quod unde factum sit, ex Hieronymiano Siloach nemo homo Christianus ignorare potest. Hoc enim minus atque illud, urgeat Judæum qui suam velit cæcam tueri pertinaciam. Hæc Lindanus[q]. Quod pluribus persequitur Alphonsus Salmeron[r], "ubi Hieronymus (inquit) videtur legisse שִׁילוֹחַ etc.

[ii] Pag. 91, 92. cap. 18.
[j] In Notationibus ad 1 Sam. 21. 7. et 2 Sam. 4. 5.
[k] Gen. 4. 8.
[l] Gen. 21. 9.
[m] Ib. vers. 13.
[n] 2 Sam. 5. 23.
[o] Lindanus.
[p] Ribera et Sacroboscanus.
[q] Lib. 1. cap. 4.
[r] Prolegom. 4. pag. 31. a. Et pag. 30. a. Locos multos, quibus peculiariter Jesus Rex Judæorum promittitur venturus, illi depravarunt, vel de medio sustulerunt; ut illud, Donec veniat qui mittendus est, i. e. Christus Rex, et Messias.

Judæi vero corruperunt, et legunt שִׁילֹה, quæ vox apud Hebræos nihil significat; aut occulta est, et ignota ejus significatio." Hæc ille.

Resp. 1. Falsum est quod fingit Lindanus, ideo a Judæis esse corruptum, ut prophetiam hanc a Christo amoveant, etc.; nam 1. maxima pars Hebræorum, tam antiquorum quam recentiorum, verbum hoc de Christo intelligit (ad Messiam refert). Targum Hierosolymitanum, עַד זְמַן דְּיֵיתֵי מְשִׁיחָא דְּדִידֵיהּ הִיא מַלְכוּתָא, hoc est, Ad tempus quo veniet Messias, cujus est regnum. Et Onkelos: עַד דְּיֵיתֵי מְשִׁיחָא דְּדִילֵיהּ הִיא מַלְכוּתָא, id est, Donec veniat Messias, cujus est regnum; et Jonathanis, עַד זְמַן דִּי יֵיתֵי מַלְכָּא מְשִׁיחָא זְעֵיר בְּנוֹי, Usque ad tempus quo veniet rex Messias, parvus filius ejus. Qui ergo locum corrupissent Judæi cum eos magis Chaldæi paraphrastæ urgeat authoritas? "Translatio enim Chaldaica (ut hic notat Lyranus) est ita authentica apud Judæos, ut nullus doctor eorum ausus fuerit ei contradicere; imo quando vetus expositio Hebraica est obscura recurrunt ad illam pro explanatione." Hæc Lyranus. Hanc eandem sententiam amplectuntur etiam Rabbini antiquissimi in מדרש אגדה, Midras Agade, et qui eam citat R. Salomo Jarchi in scholiis suis ad hunc locum, ea exponens, "Donec veniat ille מֶלֶךְ הַמָּשִׁיחַ שֶׁהַמְּלוּכָה שֶׁלּוֹ, id est, Rex Messias, cujus est regnum, vel, "quia regnum ejus est." Similiter[s] R. Johanan Messiam vocat Shiloh. De Christo etiam exponitur in Breshith Rabbah[t] et Breshith קְצָרָה (i. e. abbreviata expositione super Genesim) super hunc locum: in אֵיכָה רַבָּתִי (expositione Threnorum Jeremiæ) super illud Thren. cap. 1, Quia elongatus est a me consolator, convertens animam meam. Denique in commentariis R. Mosis Hadarsan super hunc locum, Gen. 49,

[s] Gerardus Veltwick, in Shibole Tohu.

[t] Galatini, lib. 3. cap. 10; lib. 4. cap. 4; lib. 12. cap. 5. In antiquissimo libro Bereshith Rabba scribitur שילה זה מלך, Shiloh est rex Messias. Sic et Talmud in Cod. Sanhedrin, cap. 11. fol. 98, "R. Johanan dixit: Messiæ quod est nomen? Qui de schola R. Shela responderunt: Shiloh, juxta illud, Donec veniat Shiloh." (Buxtorf in Lexico.)

cujus ista sunt verba עד כי יבא שילה והוא הבן הקטן העתיד להיות לו באחרית ימים רבים כמו שתרגם אנקלוס ובטילותה ובזעירתה, Galatino interprete, Quousque veniat Shiloh, id est, Mesias, qui et filius parvulus, qui erit ei post multos dies; uti exposuit Onkelos de prophetia et de parvitate ejus. Etiam in Talmude, tractatu Sanhedrin, cap. 11. de Messia intelligitur, e cujus nominibus unum ibi dicitur esse Shiloh[u].

2. Quod Lindanus dicit, Judæos minus hoc vocabulo Siloh urgeri, quam illo, " Qui mittendus est," plane falsum est: cum Hebraica veritas multo melius pro nostra fide habeat, quam verba illa Latini interpretis, " Qui mittendus est," quæ facili negotio in alium sensum, quo minime urgerentur, inflecti et detorqueri ab ipsis Rabinis posset: quemadmodum confirmat P. Galatinus[w], et eum secutus Johannes Isaac[x]. Quo faciunt ista R. Davidis Kimhi expositio hujus vocabuli, in Hebraico Lexico (quod Librum Shorashim sive Radicum inscripsit) in radice שיל (unde transcribe huc verba Hebraica), "Donec veniat שִׁילֹה, id est filius ejus; fœminini generis exponitur. Et est prophetia de Davide aut Messia. Derivaturque שִׁילֹה a vocabulo שִׁלְיָה, quod est sacculus quidam in quo manet infans in utero matris, qui aliquando in Scriptura pro embryone in matrice sumitur." Hæc R. David Kimchi; ex cujus sententia, cum שִׁיל deducta sit a voce שִׁלְיָה, quæ Secundas vel Secundinam[y] significat: (ut significet Messias, qui primum

[u] Vide Paulum Fagium in hunc locum.

[w] De Arcanis Catholicæ Veritatis, lib. 4. cap. 4.

[x] Contra Lindanum, lib. 3. Aben Esra, post varias vocis Silo explicationes, concludit dicens: "Aut denique שִׁילֹה idem est quod בְּנוֹ filius ejus, et ה est loco ו ut in אָהֳלֹה (tabernaculis ejus), et multis aliis: idque ex significatione verbi in 2 Reg. 4. 28. et R. Bectai in Comment. suo in hunc locum scribit שִׁילֹה, id est, בְּנוֹ שֶׁיּוּלַד מִשִּׁלְיַת אִשָּׁה כְּדֶרֶךְ כָּל־ הַנּוֹלָדִים Filius ejus, qui nascetur ex secundis mulieris, juxta viam omnium qui nascuntur. Estque vox desumpta ex significatione vocis, Deut. 28. 57. Quod autem potius dicit שִׁילֹה quam בְּנוֹ eo annuit Jacob, se de Messia peculiariter loqui," etc. Hæc ille (apud Buxtorf in Lexico). Literæ יָבֹא שִׁילֹה (Gen. 49. 10) faciunt 358, totidem מָשִׁיחַ apud Cabalistas, in Chaskuni, et in Pentateucho cum triplici Targum (Id. ibid. in שָׁלָה.)

[y] Hoc est, pelliculam illam qua partus obvolutus utero prodit. (Deut. 28. 57.)

fuit infans[z]), habeatque[a] in posteriore syllaba literam, qua notari solet pronomen generis fœminini; punctum vero vocale, quo significatur pronomen generis masculini[b]: relatio facta videatur simul ad Judam, tanquam efficientem superiorem, et ad matrem Domini, tanquam efficientem proximam; ut שִׁילֹה notet Christum proditum e secundis virginis orituræ ex Juda. Hinc P. Galatinus[c] palam esse inquit, Prophetam dixisse, Donec veniat Siloh, ut ostenderet Messiam de matris materia, sine viri semine concipiendum fuisse; ut שִׁילֹה idem fuerit quod Filius ipsius, mulieris scilicet, (non viri). Quod mysterium in hoc ipso textu, quem ut corruptum incusat, agnoscit Alphonsus Salmeron.

3. Solus editionis Latinæ author ita interpretatus est: Donec veniat qui mittendus est. LXX. interpretes (quos vocant) et Chaldæi paraphrastæ, ita reddiderunt, ut apertissime intelligatur, eos non שִׁילוֹחַ, sed שִׁילֹה legisse. Sic enim Græci interpretes: *ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ*[d], Donec[e] veniant quæ deposita sunt ei, vel, ut alii legunt, *ἕως ἐὰν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται*, Donec veniat cui repositum est. Similiter et Arabicus Geneseos interpres, quem manuscriptum habeo. Quasi Hebraica dictio composita esset ex שׁ servili, quod significat relativum Qui, quæ, quod; et לֹה quod significat Ei vel Ipsi, posito ה loco ו, ut aliquoties fieri solet[f]; quasi dicat, Donec veniat, quod ei, aut cujus est, hoc est, cui regnum illud debetur et repositum est.

Alia corruptio a Reginaldo[g] et Sacroboscano[h] objicitur ex Esaiæ 53. vers. 8, ubi redditur ratio passionis Christi, qui ideo mortem subiit, ut debita nostra persolveret. Sic enim legit vulgatus interpres: Propter scelus populi mei

[z] Ut supra ex R. Mose Hadarsan.

[a] Piscator in Gen. 49. 10. Vide Junium.

[b] Filius ejus, i. e. Judæ (ex stirpe Judæ natus).

[c] Lib. 4. cap. 4. et lib. 8. c. 2.

[d] Ita legunt et intelligunt Cyprianus et Chrysostomus.

[e] Augustin. lib. 12 contra Faustum, cap. 42, et lib 17 de Civitate Dei, cap. 41.

[f] Quod Io. Isaac ostendit in Grammatica sua, fol. 143.

[g] Pag. 311. [h] Pag. 22.

percussi eum; et LXX. Ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν τοῦ λαοῦ μοῦ, ἤχθη εἰς θάνατον, i.e. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Hieronymi vero tempore, Hebraica ita se habebant: Propter scelus populi mei percussit eos. Quod vitium etiamnum inhæret textui Hebræo: ita enim habet מִפֶּשַׁע עַמִּי נֶגַע לָמוֹ, A prævaricatione populi mei plaga, vel percussio ipsis. Nostros vero interpretes non textum Hebræum, sed vulgatam Latinam versionem hic sequi notat Reginaldus; indeque colligit eam non solum omnibus quæ nunc prostant Hebraicis Bibliis, sed etiam iis quæ Hieronymi temporibus extabant, ab ipsis Protestantibus præferri.

Respondeo: Quæ Hieronymi tempore extabant Hebræa Biblia, ab iis quæ hodie extant non dissentire, agnoscunt adversarii. Vulgatam vero, quæ nunc habetur Latinam editionem, ab ea quam Hieronymus edidit versione hic dissentire, negare non possunt. Hieronymi enim versio habet: Propter scelus populi mei percussit eos: ea vero quæ pro Hieronymiana vulgo obtruditur, Propter scelus populi mei percussi eum. Græcos interpretes ab utraque dissentire manifestum est, quum vertunt: Propter iniquitates populi mei ductus est ad mortem; ac si legissent נֻגַּע לְמוּת pro נֶגַע לָמוֹ. Nostros vero interpretes qui eodem sensu locum hunc reddiderunt, quo a vulgato Latino interprete expressus est, ab Hebraicis Bibliis, vel quæ nunc extant, vel quæ Hieronymi temporibus extabant, dissentire pernegamus. Unde conficitur, neque ab Hebræis corrupta esse verba textus (de glossis enim quibus sensum contextus depravant dicere, ad præsentem quæstionem nihil attinet) neque Protestantes hic textum Latinum libris Hebraicis anteponere, quod calumniantur Adversarii. Hic vero in Whitakerum nostrum involat Christophorus de Sacro Bosco, et turpiter illum errasse clamat, dum ait, Hebraicum textum hujus loci nunc convenire cum vulgata editione Latina: et haberi, Propter defectionem populi mei plaga ipsi. לָמוֹ enim (inquit Christophorus) non significat Ipsi, sed Ipsis: nam est dandi casus numeri multitudinis pronominis primitivi Hic. Unde colligere licet hominem

fuisse Hebraice imperitum et deceptum, quia in Bibliis ab Ario Montano editis, vidit ex textu Pagnini *Ei* scriptum supra לָמוֹ. Neque enim in illis Bibliis, Latina verba respondent ad amussim semper Hebraicis. Nam Isaiæ 9, supra יִקְרָא habes positum Vocabitur, cum tantum יִקְרָא significat Vocabit. Hæc Christophorus, quasi ex cathedra, Whitakerum hominem Hebraice imperitum erudiens. Memini vero ego, doctissimum virum Joannem Rainoldum, cum superiori anno Oxonii de Christophori opere una colloqueremur, hoc ipso loco prolato Sacroboscanum Hebraice imperitum confirmasse. Ut turpe hic sit doctori nostro, cum culpa redarguit ipsum. Turpiter, inquit doctor noster, errat Whitakerus. Quamobrem vero? Quia videlicet לָמוֹ non significat Ipsi (ut ille vult), sed Ipsis. Atqui vero turpiter potius erravit Christophorus, quandoquidem לָמוֹ et Ipsi significat, et Ipsis. Cum enim pronomen מוֹ ex מ plurali et ו singulari[i] affixo conflatum sit; vel singularis, vel pluralis numeri, prout sententiæ ratio requirit, esse potest: quemadmodum a Davide Kimchi Grammaticorum Hebræorum facile principe, in suo Michlol, notatum[j] invenimus. Ita singulariter accipi notat עָלֵימוֹ[k]. Et Esai.[l] עָשָׂהוּ פֶסֶל וַיִּסְגָּד־לָמוֹ, vulgatus interpres vertit, Fecit sculptile, et curvatus est ante illud. Et hoc sensu debere omnino accipi in singulari לָמוֹ, in hoc loco Esai. 53. 8. confirmat F. Ludovicus Sancti Francisci Minorita[ll]: "Quidquid (inquit) Rabbini hallucinentur et Forerius scribat." Neque aliud sensit Arias Montanus, quum in Bibliis suis interlinearibus ex textu Pagnini, *Ei* scripsit supra לָמוֹ. Frustra igitur hinc deceptum Whitakerum putat Sacroboscanus (ipse fortasse quicquid habet Hebraicum, ex Bibliis interlinearibus didicit; indeque Whitakerum nihil amplius habuisse quam quod inde hauserit existimat) frustraque monet, in illis Bibliis Latina

[i] Vide de ךָ pluraliter sumpt. Neh. 4. ult. Ezr. 8. 16. Neh. 11. 8. Esth. 3. 2, 5. 4; לָךְ illis, 2. 4 (vel. 4. 8.)

[j] Fol. 68, edit. Venetæ, initio col. 3.

[k] Job. 20. 23, et 22. 2,

[l] Cap. 44. 15.

[ll] In Globo Canonum Linguæ Sanctæ, lib. 6. cap. 10.

verba non respondere ad amussim semper Hebraicis. Et quod, exempli gratia, ex Esai. 9. profert, a nobis supra refutatum est: ubi ostendimus ex more Hebræorum יִקְרָא, impersonaliter sumptum, recte transferri posse Vocabitur. Ut cum hic scientiam linguæ Hebraicæ ostentare voluerit Christophorus, inscitiam suam palam prodiderit, et omnibus manifestam fecerit.

Psalmo 144 (vel 145, secundum Hebræos[m]) versum 14um deessein omnibus Hebraicis exemplaribus, etiamque Hieronymi temporibus defuisse, asserit Guilhelmus Reginaldus[n]. Cum enim Psalmus sit Alphabetarius, ut 33us, (vel, secundum Hebræis, 34us,) et 22 versibus, quemadmodum et ille constare debeat, singulis versibus in Hebræo a singulis literis Alphabeti ordine incipientibus, manifestum est unum hic desiderari versum[o], nimirum 14m, qui a litera *Nun* incipere debuisset, et quidem a voce נֶאֱמָן, quemadmodum ex translatione LXX. et vulgata editione Latina planissimum fit, ubi integrum hunc versum ita suppletum legimus: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Ita ut certissimum sit, Hebraica exemplaria erronea esse. Hæc Reginaldus.

Respondeo: Non habetur hic versus in paraphrasi Chaldaica; neque in Hebraicis habebatur Bibliis quando purissima extitisse existimantur. Hieronymus enim, in Psalterio suo, quod ex Hebraico expressit, versum istum nobis non exhibuit: utcunque in Græcis exemplaribus versum hic insertum esse non ignoraverit. Sed et in veteribus libris Græcis obelo transfixus est totus iste versus, veluti addititius: quemadmodum ex Græco Scholio[p] in Vaticanæ Bibliothecæ codicibus reperto manifestum est, quod ita se habet: *ὠβέλισται δε τὸ, Πιστὸς κύριος, δἰ ὅλου τοῦ στίχου, μήτε παρ' Ἑβραίοις φερομένου, μήτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς.* Hinc Arias Montanus (ut alios prætercam) in

[m] Vide Moller. et Kimchi in hunc locum.

[n] Pag. 332.

[o] Objicitur ab Azorio, part 1. pag. 634. a.

[p] In Bibliis Græcis edit. Romæ, an. 1587. Annot in Psal. 144.

Poetica sua Psalmorum paraphasi, versum hunc sibi negligendum putavit. Quin et in ipso Arabico Psalterio (quod alioqui ad Græcam editionem conformatum est potius quam ad Hebræum) quod ab Augustino Justiniano Nebiensi Episcopo editum est, expunctum illum cernimus. Unde et in hunc locum Lyranus: "Totus (inquit) iste versus videtur hic appositus ab aliquo translatore vel expositore: quia non est in Hebræo, nec in translatione Hieronymi." Hæc ille. Quia nimirum versus a litera *Nun* incipiens desiderabatur in Hebræo, LXX. interpretes (quemadmodum non nostri solum existimant, sed etiam Pontificii Richardus Cenomanus Franciscanus[q], et Gilbertus Genebrardus[r] Parisienses Theologi) ut Psalmus esset integer, ac constaret suis numeris, versum hic interseruerunt, ex sequente 17° versu totum ad verbum fere expressum. Ex versu enim 17°, Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis: pauculis immutatis formarunt versum 14; Fidelis (נֶאֱמָן ex Psal. 111. 7) Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis[s]. Idem etiam ab illis factum videmus in Psal. 37. 28[t], (qui alternis fere versibus alphabeticum literarum ordinem continet; sed multis intersertis occultatum,) ubi cum ad complendum numerum Alphabeti Hebraici deesse videretur hemistichium[u], incipiens a litera ע, addiderunt de suo (quemadmodum ibi a Genebrardo notatum est) *ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται*, Injusti autem punientur: quæ verba neque in Hieronymi Psalterio ex Hebraica veritate translato, neque in Chaldaica paraphrasi leguntur; neque a S. Augustino aut Origene lecta fuisse videntur. Quare interrupta hic fuerit Alphabeti series, et litera *Nun* omissa, R. Salomo cum Talmudicis rationem conatur reddere; et suam quoque hic conjecturam affert Gilbertus Genebrardus[v]. R. Kimchi

[q] In collatione Psalterii Latini cum editione Hebraica.

[r] Commentar. in Psal. 144. 14.

[s] Sic Græc. et Lat. Psal. 147. 8; add. ex Psal. 104. 14.

[t] Al. Psal. 36. 31.

[u] Hoc adversus sacri contextus integritatem objicitur a Mariano Victorio, in Annotationibus ad Procem. Hieronymi in lib. 17 Sermonum in Esai. (col. 1210.)

[v] In Psal. 144. 14.

causam se ignorare confitetur. Quicquid sit, illud certum est, etiam in aliis Psalmis non semper exacte a Propheta servari Alphabeti ordinem, sed literas alicubi omitti in sua serie ponendas: ne quis hinc firmum argumentum peti posse existimet ad textus Hebræi sinceritatem coarguendam. Ita in Psalmo 33,[w] cum quo nostrum hunc confert Reginaldus, versus quidem sunt 22 (ut ille ait), sed postremus præter Alphabeti seriem adjectus est, a litera פ incipiens; nullus vero a ו litera inchoatur versus. Idem quoque in Psalmo 24[x] observatum videmus: et illud etiam amplius, quod duo simul versus inchoentur a litera Aleph, duo a Resh; nullus vero a Beth (non enim prima, sed secunda secundi versiculi vox incipit a Beth) nullus omnino a Koph[y]. Quare nihil hinc certi concludi poterit.

Gregorius Martinus[z] tria loca producit, quæ in Hebraico textu erronea esse contendit. 2 Chron. 28. 19. Achaz[a] rex Israelis appellatur, quod verum non est, cum Rex Judæ fuerit: quemadmodum recte hic habet et Græcus textus, et Vetus interpres Latinus[c].

Respondeo. Cum[d] enim Juda pars fuerit Israelis, (i. e. 12 tribuum, τοῦ δωδεκαφύλου[e]), recte Achaz appellari posset, per synecdochen integri, Rex, vel unus e Regibus

[w] Vel 34, secundum Hebræos.

[x] Vel. 25, secundum Hebræos.

[y] Threnorum, cap. 1. ע suo ordine ponitur ante פ: in tribus sequentibus, ordine inverso, פ ponitur ante ע.

[z] In Detect. Hæreticar. Version. Scripturæ, cap. 22.

[a] See Perkins, Cases of Conscience, part. 2. Et in Galat.

[c] Martin. c 22. § 10.

[d] Recte ad hunc locum notant Masorethæ, falso existimari scribendum esse in textu מֶלֶךְ יְהוּדָה, ubi cum annotant 'וסבי' sexies in Scriptura Regem Israelis pro Rege Judæ positum esse, significare videntur. Certe unus locus huic plane similis occurrit, 2 Chron. 21. 2. ubi Jehosaphat, Rex Israelis dicitur, in Hebræo, sed non in Græco aut Latino. Et filii Israelis et filii Judæ habitabant in civitatibus Judæ. 2 Chron. 31. 6. Unde mirum non est, Regem Judæ cum adhærentibus illi regno Israelitis, regem Israelis appellatum esse. Præsertim cum defuncto Jeroboamo filio Nebati, regnum Israeliticum ad posteros Davidis (Reges Judæ) de jure spectaverit. Unde post excidium regni Israelitici jus suum sibi vendicasse videmus. 2 Chron. 31. 1.; 34. 6, 7, 33. Vide Fulc. contra Martin. pag. 518. et T. C. pag. 133; et Livelei.

[e] 1 Reg. 12. 17.

Israelis: quo modo in actibus Carthaginiensis Collationis subinde occurrunt: Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, Fortunatianus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ: præsertim cum hic etiam Israelitas multos regno Judæ adhæsisse constet: nimirum præter tribum Symeonis (quæ tota tribui Judæ permixta fuit[f],) et partem Benjaminis[g], etiam convenas aliarum tribuum[h]. Et ut alibi passim in Scriptura, præsertim vero in Epistola ad Romanos[i], Israelis nomine Judæos significatos constat: ita in hoc ipso capite ac postremo versu, ubi de sepultura Achazi agitur, non in Hebræo solum, sed etiam in Græco et Latino textu regum ISRAELIS sepulcra dicuntur, in quibus reges Judæ sepeliri consueverunt. Cujus loci collatione abunde huic objectioni satisfactum est: ut et aliorum similium, 2 Chron. 15. 17[j], et Mich. 1. 14, ubi, Erunt mendaces regibus Israelis, Tremellius et Junius recte exponunt, Fallent expectationem regum Jehudæ.

2 Chron. 36. 10, in Hebræo Zedechiah Joachinis frater dicitur, cum revera patris frater fuerit, quemadmodum in Græco textu hic habetur, et Scriptura[k] confirmat[l].

Respondeo. Cui vero ignotum est, qui sacras literas, vel a limine salutarit, fratrum nomine etiam cognatos quosque designari? Quo loquendi genere Abrahamum et Lotum fratres appellatos legimus[m], cum tamen Lot filius Harani fratris Abrahami extiterit[n]. Sed et in loco 2 Chron. 36. 10. variant vulgatæ editionis exemplaria. Etsi enim

[f] Josu. 19. 1. 1 Chron. 4. 24.

[g] 1 Reg. 12. vss. 21, 23.

[h] 2 Chron. 11. vss. 13, 14, 16.

[i] Rom. 9. 4, 27; 10, 21; 11. 7, 26.

[j] Et R. David Kimchi in Mich. 1. 14, quem vide.

[k] 2 Reg. 24. 19 (al. 17)

[l] Martin § 11.

[m] Genes. 13. 8, et 14. 14, 16.

[n] Genes. 12. 5. Ita et Lyranus in hunc locum; In Hebræo habetur Fratrem ejus, eo modo loquendi, quo Abraham vocavit Lot nepotem suum, Fratrem suum. Et Card. Caietanus: Revera Sedechias patruus erat istius Joachin: sed hic appellatur frater ejus ea Scripturæ consuetudine, qua consanguinei appellantur Fratres.

Biblia a Sixto V. et Clemente VIII. edita, Patruum hic legant (quo modo recte ab Interprete exponi potuisse, quod Hebraice legitur Fratrem, Fr. Lucæ Brugensi[o] non gravate concesserim : ut interim tamen Gregorio Martino constanter repugnem, textum Hebræum corruptum hic affirmanti,) Biblia tamen Complutensia et Regia Fratrem hic legunt, voce Hebraica ad verbum expressa, quam lectionem in duobus manuscriptis vulgatæ editionis exemplaribus repertam notat Hentenius. Robertus Stephanus in Latinis Bibliis duo quoque hujusmodi vetusta signat exemplaria ex cœnobiis S. Germani et S. Dionysii petita. Græci vero interpretes ad sensum respexerunt quando אָחִיו reddiderunt *ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ*, fratrem patris sui : quomodo et eandem vocem[oo] per *τόν ἀδελφιδοῦν αὐτοῦ* (i. e. nepotem suum) expresserunt[p].

1 Chron. 2. 18. Textus Hebræus habet, Genuit Azubam uxorem suam et Jerioth, nullo sensu[q].

Respondeo: Falsum est ita legi in textu Hebræo, qui ita se habet הוֹלִיד אֶת־עֲזוּבָה אִשָּׁה וְאֶת־יְרִיעוֹת, hoc est, genuit ex Hazuba uxore, et ex Jerihotha. Neque enim particula אֵת accusativi casus semper nota est: sed aliquando Præpositio est, idem valens quod Ex, vel A, Latinorum; ut, Acquisivi[r] virum אֶת יְהוָֹה, a Jehova. Egressi[s] אֶת־הָעִיר, ex civitate. Ostendit[t] et Dominus totam terram אֶת־הַגִּלְעָד a Gilhade, Danem usque. Ita loci hujus sententia est : Calebum suscepisse liberos, tum ex Hazuba uxore (qui versu 42° nominantur,) tum ex Jerihotha concubina (cujus tres filii hoc 18° versu recensentur). Hoc Græci interpretes animadverterunt, cum sensum loci ita expresserunt: *Καὶ*

[o] Notat. Roman. Correction. in Latinis Bibliis a Sixto V. Editis, in 2 Chronic. 36. 10.

[oo] Gen. 14. 16.

[p] Vid. Fulc. contra Martin. pag. 519. T. C. pag. 134, et Livelei.

[q] Martin. § 12. Vid. Fulc. contra Martin, pag. 520. T. C. pag. 134, et Livelei.

[r] Gen. 4. 4.

[s] Gen. 44. 4.

[t] Deut 34. 1.

Χαλὲβ υἱὸς Ἐσρὼμ ἔλαβε τὴν Γαζουβὰ γυναῖκα, καὶ τήν Ἱεριώθ. καὶ οὗτοι υἱοὶ αὐτῆς, Ιασὰρ, καὶ Σουβὰβ, καὶ Ἀρδών. Latinus[u] vero vulgatus interpres id non assecutus, textui quædam de suo addit, Ut Jerioth filium Azub faciat. Caleb (inquit) filius Esron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Jerioth. Ut culpa hic non in Hebraicum textum, sed in editionem vulgatam Latinam sit conferenda.

Deuteron. 21. 23[v], Hebræus textus tantum habet: Maledictus est suspensus, תָּלוּי[w]. Apostolus[x] vero hæc verba addit (quæ etiam in Græca[xx] et Latina editione habentur): In ligno; πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου.

Resp. Ista verba a Paulo non sunt addita præter Hebræum textum: habentur enim tum in isto ipso versu, tum in eo qui præcessit diserte expressa. Sic enim ibi legimus, vers. 22, "Quum erit in aliquo peccatum adjudicandum morti, et tradetur morti; si suspenderis eum de ligno (עַל-עֵץ) vers. 23, Ne pernoctato cadaver ejus in ipso ligno (עַל-הָעֵץ) sed omnino sepelito eum eodem die; nam suspensus exsecrationi est Deo."

Objectio, quam ex literis cujusdam (Lindani fortasse) qui Regia Biblia suggillabat, refert et refellit Fr. Lucas Brugensis, in posteriore parte Tractatus de usu Chaldaicæ Paraphraseos, viz. Genes. 2. 24, textum, Servator noster[y] citans ita refert: Erunt duo in carne una. Vox vero *duo* Hebraice, unaque Chaldaice non legitur.

Respons. Ad hoc ita respondet Fr. Lucas. Atqui meminisse oportet canonis, quem toties B. Hieronymus[z]

[u] Ita Hieronymus ipse, initio Quæstionum Hebraicarum in 1 librum Paralipomenôn.

[v] Object. a Reginaldo (contra quem vid. Whitak. circ. pag. 272 etc.) et Livelei, circ. pag. 227.

[w] Samarit. תלואי (in reliquo) plane cum Hebræo consentiens.

[x] Gal. 3. 13.

[xx] Sed non in Chaldæa paraphrasi Onkelosii. LXX. κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου.

[y] Mat. 19. 5.

[z] In Commentar. in Mat. cap. 27; et ad illud Ephes. 5, Derelinquet homo patrem, etc. (ubi ad hunc ipsum locum canonem accommodat.)

inculcat: Christum et Apostolos, non verba veterum Scripturarum referre, sed sensum, qui et in Interpretibus locum frequenter habet. Vocem *duo* expressit ipse Christus, aut Evangelista, vel ex LXX. qui expresserant, ut postea Apostolus Paulus, recitavit, (erat enim Christi Apostolorumque temporibus magis LXX. virorum translatio quam Hebraica Scriptura, in vulgari usu;) quia etsi in Hebræo suarum literarum sono non legatur; tamen ex loci circumstantiis tam aperte, quam quod apertissime, intelligenda datur. "Dixit enim hæc Adam, unius mulieris de sua carne formatæ occasione: (Masculum enim et fœminam creaverat eos, non masculum et fœminas;) dixit: Et adhærebit uxori suæ, non, Uxoribus suis. Cum ergo subjunxit: Et erunt in carne una, vel in carnem unam, utique intellexit, Vir et uxor ejus, Ego et uxor mea, duo scilicet, non plures; non vir unus et uxores plures. Nec possunt vir unus et uxores plures una esse caro: Unius enim mulieris caro non est alterius, divisaque est viri caro pluribus. Quare hinc Dominus, ratiocinatus est: Quod Deus conjunxit, homo non separet, Unam carnem, quam fecit ex duabus Deus, homo non separet, alteram ducens uxorem, sive retenta sive repudiata priori. Manifeste igitur intelligenda datur vox *Duo*, etiamsi non legatur: quam LXX., Christus, Apostolus, Latinusque Pentateuchi interpres, prudenter expresserunt, cum majoris explanationis gratia, tum ut clarior gratiorque esset insinuata antithesis *duorum* et *unius*. Erunt duo in carne una." Hæc Fr. Lucas.

Objectio. Psal. 26. 7. Legitur in libro Rabboth dicto[a], super illud, Et hoc est verbum; in hunc modum: Hoc est quod scribitur Psal. 26. 7. "Lavabo (in) puritate manus meas, לשמע ut audiam, in voce laudis, vel confessionis. Quid? ad offerendum etiam vitulos? Minime, quin potius לשמע, ad auscultandum in voce confessionis. Et post pauca: Idcirco David non inquit, ad offerendum, sed לשמע, ad auscultandum in voce confessionis, qua scilicet verba Legis esse vera tibi confiteor." Judæi nihilominus hodierni pro

[a] In Elle Shemoth 38[a] Divisione.

לִשְׁמֹעַ, ad audiendum, ex Masara constanter legunt לַשְׁמִעַ ad audire faciendum, punctis vocalibus immutatis.[b]

Resp. Ita quidem legit Masora eo in loco: monetque semel tantum vocabulum illud occurrere, deficiente י. Similiterque legit Chaldæus paraphrastes, qui vertit לְאַשְׁמָיעָא, Ut audire faciam in voce laudis, hoc est, ut personem et canam voce laudis: quod cum loci sententia optime quadrat: et interpretatione illa, quæ in commentariis Hieronymo attributis legitur, Ut cum didicero, exponam cæteris miraculum illud; et ex voce לַשְׁמִעַ in Hiphil, (Ut audire faciam) clarius intelligitur, quid Vales sentiat, quam ex לִשְׁמֹעַ in Cal (Ut audiam), quemadmodum agnoscit in hunc locum Augustinus Steuchus. Fr. Titelmannus etiam in Notis ad hunc locum ex Hebræo ait Hieronymum paraphrastice vertisse: Ut clara voce prædicem laudem; (quod tamen in Versione illius ex Hebræo non invenio, nisi sit in Basiliensi editione.) Neque probare potest Marinus authorem Shemoth, aliter legisse quam juxta Massoram hodie legimus; siquidem in dictione לשמע non aliæ sunt literæ quam hodie in textu Biblico leguntur; nec quicquam affert Marinus quo ostendi possit authorem illum לִשְׁמֹעַ, potius quam לַשְׁמִעַ, legisse.

Objectio. Psal. 4. 3. "Codex[c] Hebraicus mutatus est Psalmo quarto, eo versiculo, Filii hominum usque quo gravi corde. Duplex enim ibi mutatio facta est. Pro אדם supposita est vox איש; et pro לב למה factum est לכלמה. Hebraicæ linguæ periti hoc norunt: verum autem id esse, constat non solum ex ipso Hieronymo, in Commentariis super 16um Matthæi caput; verum etiam ex ipsis LXX. eo in Psalmo. Qui cum interpretati sint *υἱοὶ ἀνθρώπων*, non autem *ἀνδρὸς*, constat eos legisse בני אדם non בני איש. Quippe cum moris eorum sit, si quis sedulo omnia eorum perpendat loca, pro אדם, *ἄνθρωπος*, et pro איש, *ἀνὴρ*, inter-

[b] Marcus Marinus Præfatione in Lexicon suum Hebraicum, quod inscripsit תבת נח, Arca Noe.

[c] Objicitur illud de איש a Rich. Cenoman., Præfat. in Comment. in Psalm. P. Longobardi, (quem vide ibi, et in Psal. 4. fol. 8. b.) ubi notat ipsum etiam Hieronymum legisse ut est in Hebræo jam, איש, non אדם.

pretari. Similiter autem quod legerint כבודי לב למה, gravi corde, ut quia: non autem כבודי לכלמה, gloria mea ad ignominiam, ut Hebræi et Novatores hodie legunt, apparet ex eorum versione, dum dixerunt, *υἱοὶ ἀνθρώπων ἕως πότε βαρυκάρδιοι*, Filii hominum usquequo gravi corde. Tanta est autem in Hebræo litterarum apicumque similitudo, ut qui Hebraice peritus sit mutationis causam facile agnoscat. Sensus autem ipse veræ lectionis est judex." Hæc Marianus Victorius, Episcopus Amerinus, in Indice in sex tomos posteriores operum Hieronymi, in voce Sidonem. Locus autem Hieronymi quem citat ex commentariis in cap. 16 Matthæi, est hujusmodi: "Nota quod ubicunque scriptum est in Veteri Testamento, Filius hominis, in Hebræo, Filius Adam positum sit. Illud quoque quod in Psalmo legimus: Filii hominum usquequo gravi corde: in Hebræo dicitur, Filii Adam." In quem locum ita annotat idem Marianus: "Ita fuisse olim Hebraicum codicem Psal. 4, non solum ex hoc Hieronymi testimonio, sed clare etiam ex ipsis constat LXX. qui transtulerunt *υἱοὶ ἀνθρώπων*. Quippe cum vocem Hebraicam אדם *ἄνθρωπον* semper interpretantur: איש autem *ἀνὴρ* reddant. Psalmo 1°, אַשְׁרֵי אִישׁ, *μακάριος ἀνὴρ*. Psalmo 3, אַשְׁרֵי אִישׁ, *μακάριος ἀνὴρ*. 1 Reg. 26, הֲלוֹא אִישׁ אַתָּה, *οὐκ ἀνὴρ συ*. Et ita alibi semper. Sicut enim אדם, Græce *ἄνθρωπον*, et Latine *hominem*, ita איש, Græce *ἀνὴρ*, et Latine *virum* vocamus. Illum enim quarti Psalmi locum Judæos corrupisse, apparet etiam ex eo quod pro לב למה substituerint לכלמה, et pro כְּבוֹדֵי, graves, fecerint כְּבוֹרִי, gloria mea. Vera enim illius loci, et vetustissima lectio est ea, quam Latina Græcaque LXX. editiones retinuerunt. Hoc est, Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem? Et non quam corrupte Judæi nunc legunt, Filii viri usquequo gloria mea ad ignominiam? Ut quid diligitis vanitatem? Vera me hic prodere, non solum Hieronymi et LXX. constat auctoritate; sed ex ipsa etiam Hebraici idiomatis proprietate, ipsoque etiam sensu, diserte apparet." Hactenus Marianus Victorius[cc].

[cc] In Annotat. ad Commentar. Hieron. in 16 cap. Matthæi.

Respon. Ad primam corruptelam: Nullo justo argumento probare potest Marianus, lectum fuisse olim in hoc loco בְּנֵי אָדָם, non בְּנֵי־אִישׁ. Hieronymum enim memoria lapsum apparet, tum in loci hujus notatione, tum in observatione illa generali. Quod enim Hieronymus notavit, "Ubicunque scriptum sit in Vetere Testamento *Filius hominis*, in Hebræo *Filius Adam* esse positum:" indeque (nimium memoriæ confisus) in loco hoc Psalmi, in Hebræo *Filii Adam* legi scripsit; omnino ἁμάρτημα fuit μνημονικὸν. Nam ad hunc locum Psalmi quarti quod attinet, ipse Hieronymus, in Psalterio juxta Hebraicam veritatem a se converso, interpretatus est Filii *Viri* (בְּנֵי־אִישׁ) non, Filii hominum, aut Adam. Certumque est in vetere editione Græca ac Latina (ex ea expressa) nonnunquam occurrere illud *Filius hominis*, ubi in Hebræo tamen non legitur בן אדם. Verbi gratia in Psalmo 143°,[d] vs. 3, legitur Filius Hominis (υἱός ἀνθρώπου) ubi in Hebræo est בֶּן־אֱנוֹשׁ, non בן אדם. Et Psalmo 48[e], vs. 3, pro eo quod in Hebræo est גַּם־בְּנֵי־אָדָם גַּם־בְּנֵי אִישׁ, in Latino interprete habetur, Quique terrigenæ et filii hominum (ut in Græco, οἵτε γηγενεῖς καὶ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων). Et Psal. 61.[f] vs. 9, ubi in Hebræo habetur אַךְ הֶבֶל בְּנֵי־אָדָם כָּזָב בְּנֵי־אִישׁ, in Latino legimus, Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum: quemadmodum in Græco, πλὴν μάταιοι οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ψευδεῖς οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. Et cum LXX. (quos vocant) interpretes בְּנֵי־אִישׁ, alibi reddiderint υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων (ut vidimus), inepte omnino concludit Marianus Victorius ex eo clare constare legisse eos in Psalmo 4, בְּנֵי אָדָם (non בְּנֵי אִישׁ) quod transtulerunt υἱοὶ ἀνθρώπων. Nam quod ait illos vocem Hebraicam אדם ἄνθρωπον semper interpretatos; אִישׁ autem ἄνδρα semper reddidisse, insigniter falsum est. Videat lector Hebraico-Græcas Conradi Kircheri Concordantias: videbit loca 448 consignata, in quibus Græci interpretes Hebraicam vocem אִישׁ reddiderint per Græcam ἄνθρωπον; ut Mariani in prima corruptela urgenda impudentiam mirari

[d] Vel. 144, secund. Hebr.

[e] Vel 49, secund. Hebr.

[f] Vel 62, secund. Hebr.

satis non possis. Altera corruptela non ab illo solo objecta est; sed ab aliis etiam Pontificiis Theologis; Lindano in primis, qui[g] hac de re ita scribit: "Ubi Spiritus Sanctus ore Davidis asperrime taxat humanum genus, quod corde esset humi repente, atque in curas istas inanes miserrime depresso; Filii hominum, inquiens, usquequo gravi corde? quam reprehensionem geminato exaggerat, asperioremque facit erotemate, Ut quid diligitis vanitatem? et quæritis mendacium? ibi posterioris ætatis Rabbini litera ב in כ contra veterem codicum fidem perversa, ex duabus vocibus conflarunt unam, orationis sententiæ tantum abest ut lucem affuderint, ut densas offuderint tenebras quæ varios in sensus abripiunt recentiores interpretes." Hæc Lindanus. Qui etiam[h], ut probet multa esse, quæ D. Hieronymi ætate aliter legebantur atque nunc sunt punctis suffixis expressa, locum hunc Psalmi quarti producit. "Quod Psal. 4 (inquit) legitur nunc apud Hebræos כְּבוֹדִי singulariter *Kevodi*, Gloria mea, ille legit *Kevodai* pluraliter, Gloriosi mei." Bellarminus[i] ait, "Valde verisimile esse, corruptum esse textum Hebræum vitio librariorum; nam si mutetur כ in ב, et puncta mutentur, fiet 'Graves corde ut quid,' nimirum sic כְּבוּדֵי לֵב לָמָּה." Eandem canit cantilenam, et paulo eo confidentius, illius ὑπερασπιστὴς Christophorus de Sacro Bosco[k]: "LXX. (inquit) habent ἕως πότε βαρυκάρδιοι; ἵνα τι, quemadmodum habet noster interpres: quare argumento est, ut monet Jansenius, corrupte nunc legi textum Hebraicum: hæc autem corruptio contigit vitio librariorum, qui ב mutarunt in כ, literam illi, ut ovum ovo, pene similem: punctorum vero ratio nulla habenda est, ut alibi est dictum. Vera igitur hujus loci lectio est כִּבְדֵי לֵב לָמָּה, id est, Graves corde ut quid? non כְּבוֹדִי לִכְלִמָּה, quod est, Gloria mea ad ignominiam." Hactenus Aristarchi nostri: qui tamen, quoquo se vertant, nunquam ostendent Hebræos codices hic esse depravatos. Ad cujus rei probationem quod Lindanus non solum interpretationem

[g] De Optimo Genere Interpretandi, lib. 1.

[h] In cap. 4° ejusdem libri.

[i] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 13.

[k] Defens. Decret. Tridentin. Part. 3. cap. 8.

LXX. interpretum advocat, sed etiam Hieronymi versionem ex Hebræo, id inepte ab eo factum, quis non videt? quando una interpretatione posita, tollatur altera necesse est: neque idem vocabulum legi possit vere et כְּבוֹדַי et כְּבֻדַי. Et vero neutrum vocabulum (quicquid somniet Lindanus) in textu originali hujus Psalmi scriptum fuit: nec vel כְּבוֹדַי, graves, vel כְּבוֹדַי, inclytos meos, significat: imo nec hoc, nec illud in ulla omnino significatione apud Hebræos usquam occurrit, quemadmodum notavit Johannes Isaac[l]. Itaque ad Hieronymum quod attinet, nequaquam dicendum legisse eum כְּבוֹדַי (quod nusquam legitur), sed כְּבוֹדִי, quod hodie in omnibus codicibus legitur, atque olim lectum fuisse inde certo intelligimus, quod Syrus pariter atque Chaldæus interpres singulariter reddiderit ܐܝܩܪܝ, אִיקָרִי, honorem meum, ut prorsus dicendum videatur Hieronymum illud gloriæ nomen (כְּבוֹדִי inquam in numero singulari, nam pluraliter apud Hebræos non reperitur) acceperit quasi δι' ὑπαλλαγῆς dictum, pro eo quod est, Gloriosi, inclyti, ut recte a doctissimo Junio[m] nostro est observatum; a quo nec ipse Bellarminus dissentire videatur, sic enim ille, (in loco citato): "Secundum Hebræum (inquit) textum, ut modo se habet, vocat eos gloriam suam, seu inclytos suos." Quod vero ad alterum illud כְּבֻדִי attinet, in eo Hebraicæ linguæ rudem se prodit Lindanus: nam כָּבוֹד non Gravem significat, sed Gloriam: et in plurali numero non reperitur: כָּבֵד vero, quod Gravem notat, habet in plurali numero כְּבֵדִים et in statu contracto כִּבְדֵי non כְּבוֹדֵי. Neque multo peritiorem se ostendit Bellarminus, quamvis Hebraicam scripserit Grammaticam, quando ait illud כְּבוּדִי esse posse vel participium passivum verbi כָּבַד, vel nomen verbale. Hujusmodi enim verbale figmentum est Bellarminianum, nec usquam in totum Bibliis comparet (sed in Bellarmini tantum officina, in qua primum fabricatum est). Et כָּבַד in passivo

[l] Contra Lindanum, lib. 3.

[m] Fr. Junius, Animadvers. in Bellarm. De Verbo Dei, lib. 2. cap. 18.

non significat Gravis esse, sed Honorari, vel glorificari[n]. Ut amplius videndum sit Christophoro de Sacrobosco quomodo illud כְּבוֹדִי (quod pro vera loci hujus lectione nobis tam confidenter obtrudit) tueri possit. Argumenta vero duo, quibus probare conantur in fontibus legendum esse כְּבוֹדִי לֵב לָמָּה, infirma sunt. I. Ex ipsa Hebraici idiomatis proprietate, ipsoque sensu, inde enim disputat Marianus Victorius (et Lindanus, ubi supra). Respondetur, sensus optime congruit, nec quicquam adversus illum objici recte potest; nisi forte illud quod habet Genebrardus in scholiis hujus loci: dum Masoretæ legunt, "Gloria mea ignominiæ," in sequenti membro "Diligitis vanitatem," coguntur per zeugma repetere "Usquequo," verum hujusmodi repetitione (siquidem ulla opus est) nihil tritius aut usitatius[o]. II. "Quod sic sine dubio (inquit Bellarminus) legerunt LXX. quorum versionem omnes Patres Græci et Latini sequuti sunt, præter Hieronymum; qui quoniam aliter legit, vertit, Inclyti mei. Respondetur 1. Imo non solus Hieronymus ita vertit sed omnes veteres[p] Interpretes, qui Scripturas ex Hebraico in Græcum transtulerunt, præter authores editionis vulgatæ quæ LXX. tribuitur. Quid enim ibi aliud vult illud Scholion quod in Græcis Bibliis Vaticanis legimus, *ἔνδοξοι μοῦ οἱ πάντες*[q]. Syrus interpres, (ut monui) convenientius textui nostro reddidit ܐܝܩܪܝ, honorem meum. Et R. Joseph Cœcus, in Chaldæa paraphrasi, בְּנֵי אֱנָשָׁא מְטוּל מָה אִיקָרִי לְאִתְכְּנָעוּתָא, Filii hominis usque quo honor meus ad vituperium? Hieronymus vertit, Filii viri usquequo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem; quærentes vanitatem (quomodo etiam tomo tertio operum Augustini, in Speculo, legitur). Cui vel uni

[n] Vide Concordantias.

[o] Vide Drus. Animadv. lib. 1. cap. 25. (with Chal. or M. Lidyat.) Augustinus Steuchus in Psalmi hujus enarratione agnoscit Hebræorum sensum congruere magis argumento.

[p] Et recentiores Augustini Justinianus, et Felix Pratensis, Pagninus, Caietani interpres.

[q] Aquila vertit, Usque quo probati mei. Symmachus, Usque quo gloria mea, teste Eusebio (in Græca Catena Psalmorum).

Hebraicam veritatem ex professo interpretanti, plus merito tribuendum ubi quæstio est de lectione textus Hebræi, quam reliquis Græcis et Latinis Patribus, qui non ipsos fontes, sed Vulgatæ editionis lacunas sectati sunt. Quanquam nec illi fontes corruptos esse dixerunt: quin potius ubi[r] dispersum aliquid in utrisque codicibus reperitur, ei linguæ potius credendum, judicarunt, unde est in aliam per interpretes facta translatio. "At (inquit Gretserus[s]) quamvis D. Hieronymus" (cujus authoritas contra nos hic impudenter usurpatur a Victorio) "aliter verterit, quando Psalterium ex Hebræo Latinitate donavit, nihilominus lectionem nostram minime repudiavit. Nam si repudiasset, utique in Psalterio Latino amplius non comparuisset; cum illud habeamus, non quidem ex translatione, sed tamen ex emendatione et correctione D. Hieronymi. Quæso, si mendum hoc in loco veritati Hebraicæ contrarium hærere existimabat, cur non sustulit? Si LXX. interpretes perperam vertisse arbitrabatur, cur Psalterium ex LXX. interpretibus in Latinam linguam translatum ab hac macula non liberavit?" Respondeo, Quia nimirum ex LXX. interpretibus corrigere illi erat propositum, non ex Hebræo, quod alio opere præstitit (nam vulgata editio non in eo tantum vitiosa erat, quod discreparet ab Hebræo, sed etiam quod a Græco. 2. Quod Bellarminus ait, "sic sine dubio legisse LXX." nec illud est "sine dubio," neque si esset, "argumento est, corrupte nunc legi textum Hebraicum," quemadmodum asserit illius defensor Christophorus de Sacrobosco: LXX. enim quos vocat Interpretes, certum est in quamplurimis locis de industria a textu Hebræo recessisse (ut in annis παιδοποιΐας Patriarcharum, et alibi sæpius) multisque pro arbitrio additis, detractis, immutatis (quo consilio incertum) lusisse potius vertendo, quam interpretum munus serio obiisse. Et lusisse certe hoc loco quis neget? si, ut Genebrardus autumat, non modo puncta prout libitum erat supposuerint (quorum rationem nullam habendam esse pro authoritate sua audet statuere Christo-

[r] Augustin. De Civit. Dei, lib. 15. cap. 13.
[s] Defens. Bellarm. de Verbo Dei; lib. 2. cap. 13. (col. 641).

phorus) et unum vocabulum in duo diviserint (quod alienum semper non esse, acute scilicet defendit Genebrardus[t], Masoritarum exemplo, qui in tribus locis partiti sint in duas dictiones quod in unicam coaluerat :) sed etiam Caph pro Beth acceperint, litteras illas non tantum ob similitudinem confundentes (quam agnovit Christophorus) verum etiam (quod ille ignoravit) per Albach, quod genus est Cabbalistici צֵירוּף sive Alphabetariæ revolutionis, qua א et ל, ב et כ, aliæque similiter literæ in se invicem commeant (ut videre est apud Reuchlinum[u],

Perdere si quis in his dignabitur otia nugis.)

Id enim ut præ aliis sapere videretur, monuit de hoc loco Gilbertus Genebrardus in Epistola ad Lectorem, quam Commentariis suis in Psalmos præfixit. Interim corrupte nunc legi textum Hebraicum, non est ausus dicere : quod non solum ausus est dicere Sacroboscus, sed etiam Jansenii authoritate confirmare, (Jansenio tribuere,) qui ejusmodi nihil dicit, nec unico quidem verbulo Hebraicæ lectionis authoritatem minuit, (sed stabilit potius). Atque ut demus, LXX. ita vel legisse, vel legendum putasse, quemadmodum isti volunt ; an ideo erit consequens, istos recte legisse ? Quærimus enim cum Augustino (a Bellarmino[v] citato), utrum credibilius LXX. homines aberravisse, an totam gentem in libris omnibus ? utrum verisimilius illos literarum similitudine decipi hic potuisse ; an omnes Hebræorum libros (qui hic jam consentiunt, et Masoretharum temporibus consentiebant) imperitia librariorum corrumpi potuisse ? Quod (ut Johannes Isaac[x] Lindano hic respondet) perinde est, ac si dicas : "Unus Judæus insanit, aut stultus est, ergo omnes tales sunt." Sed contra pro authoritate LXX. objicit hic Gretserus[y] : "Quis credat tot tamque præstantes viros ad Ptolemæum regem missos in hujus loci translatione deceptos fuisse, aut exemplaria corrupta Hierosolymis secum attulisse ?" Et ante eum fusius (et infelicius) Chris-

[t] Genebrardus in Psal. 4. 4.
[u] Cabbalæ, lib. 3.
[v] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 2.
[x] Lib. 3. pag. 127.
[y] Defens. Bellarm. lib. 2. cap. 13 (col. 641).

tophorus de Sacro Bosco[z] ita in Whitakerum insurgit: "Quasi vero majores ac doctissimi Judæorum delecti," etc. Respondeo: Non pudet vanitatis? Quasi videlicet in hujus solius loci translatione tot tamque præstantes viri decepti sint, aut exemplaribus corruptis usi: ac non hoc solentes faciunt. Et si codices quibus illi usi præferendi sunt codicibus qui extabant tempore Hieronymi (ut delirat Sacroboscus), quid Latina editione fiet, quæ, excepto Psalterio, cum Hebræis codicibus magis convenit, quam cum Græcis, ut notatum est a Bellarmino[a], hac Christophori posita hypothesi: "fateri cogentur Pontificii (ipso in loco citato agnoscente Bellarmino) vulgatam editionem Latinam, quam Tridentinum Concilium authenticam esse judicavit, totam quoque esse corruptam." Hæc nimirum præclara placita sunt Christophori de Sacro Bosco, digni sane qui authoritatis vulgatæ editionis Latinæ, et de ea Decreti Tridentini atque sententiæ Roberti Bellarmini patronum agat: cum unica hac defensione (vel ipso Bellarmino judice) et vulgatæ editionis authoritatem, et Decretum Tridentinum, et Bellarmini sententiam prorsus enervet funditusque evertat. Adde quod canoras tantum nugas nobis hic isti venditant: quum de majoribus ac doctissimis Judæorum ad Ptolemæum missis, deque exemplaribus ex archivis summi Pontificis Judæorum petitis, tam magnifice loquuntur. Neque enim unquam probatum dabunt; ab istis LXX. Psalterium esse versum; nedum ut ita ab illis sit versum quomodo nunc extat, tam multis vitiis deformatum. Lindanus[b] multis ostendit, Psalmorum versionem non esse LXX. editionis. Io. Mariana[c] (ipseque Bellarminus[d]) ostendit Græcos Psalmos non ex LXX. versione, sed ex κοινῆς, id est, communi et vulgata, quam Hieronymus in Epistola ad Suniam et Fretelam, aliam esse notat ab editione LXX. interpretum, quæ in ἑξαπλοῖς codicibus reperiebatur: proque locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum sunt vitiata. Eat nunc Christophorus, &c.

[z] Defens. Bellarm. cap. 8. pag. 287.
[a] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 6.
[b] De Opt. Gen. Interpr. cap. 6.
[c] Pro Editione Vulgata, cap. 8, et 15.
[d] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 9.

2 Paralipom. 15, ita legimus: "Bellum[e] vero non fuit usque ad tricesimum quintum annum regni Asa." Et e vestigio in initio capitis 16[i]: "Anno autem tricesimo sexto regni ejus ascendit Baasa," etc. Quo utroque loco pro tricesimo legere oportet, Vicesimum. Nam Baasa anno tertio regis Asa regnare cœpit, solumque regnavit annos 24, ut 3 libro Regum, cap. 15, traditur. Non ergo ad tricesimum sextum annum regis Asa regnum vitamque perduxit. Id quod perspicuum quoque fit ex 3 Regum libro, cap. 16, "Anno, (inquit) vicesimo sexto Asa regis Juda regnavit Hela filius Baasa super Israel," etc. Et posterius, "Anno vicesimo septimo regis Asa regnavit Zamri, qui scilicet occiderat Hela." Ita Melchior Canus[f], ubi exemplaria Hebræa, Græca, et Latina, hic corrupta esse contendit: quod ipsum etiam ante eum affirmavit Cajetanus[g], et Jo. Lucidus[h]. Respondeo: Verum minime toleranda est ista temeritas, quæ omnia Bibliorum exemplaria quæ extant falsi insimulare audet. Recte igitur a Tostato[i] in hunc modum rejicitur: "Ista est periculosa solutio: quia si in uno loco Scripturæ corruptionem esse fateamur, de omnibus aliis locis dubitabimus, an corruptio ibi sit, sicut dicit Augustinus, et habetur in Decretis[k], scilicet, Quod si aliquod mendacium in sacra Scriptura confitemur, nullam auctoritatem inde relinquemus. Ideo aliam solutionem cogita, si occurrat." Hæc Alphonsus Tostatus prudenter sane et graviter. Occurrit vero ista solutio[l] vera et facilis: Per regnum Asæ intelligendum esse, regnum Judæ ab Israele lacerati et sejuncti, quod tunc obtinebat Asa; quod ob honorem pii regis a Spiritu Sancto positum videatur; et simul etiam fortasse, quod sub regni illius initium natus idem fuerit, quemadmodum nonnulli conjectura augurantur. Atque hæc prima est e tribus illis difficultatibus, quas egere sapientiæ cœlestis afflatu, ut aperiri et intelligi possint, affirmat Mat. Beroaldus[m].

[e] 2 Chron. 15. 19, et 16. 1.
[f] Loc. Theol. lib. 11. cap. 5.
[g] In 2 Paralip. cap. 15 et 16.
[h] Temporum, lib. 2. cap. 9.
[i] In 2 Paralipom. 16, quæst. 3.
[k] Dist. 9. cap. Si ad Scripturas sacras.
[l] Aliam dat Paludanus, pag. 242, 243.
[m] Lib. 3 Chronici sui, cap. 5.

1 Sam. 13. 1, scribitur quod filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset. Existimat hic Melchior Canus[n] authorem sacrum filium eum viginti et unius anni scripsisse: sed scriptorum vitio majorem numerum in Hebræis exemplaribus omissum. Quem deinceps errorem in Græca Latinaque exemplaria, aut alii quilibet, aut etiam interpretes transfuderunt. Quod idem 2 Paralip. c. 15, 16, et 36 accidit, sicuti paulo ante demonstravimus. Hæc Canus. Respondeo: Verum cujusmodi demonstrationes nobis is exhibuerit in libris Paralipomenon jam vidimus: de loco Samuelis nunc videndum an aliter cum veritate conciliari non possit, quam per temerariam et periculosissimam hanc novorum criticorum emendationem. Sane Theodoritus, Quæstionibus in libros Regum (quatenus ex Basilii Zanchii excerptis intelligere possumus) Angelomus, author Glossæ Interlinearis et Moralis, Nicolaus Lyranus, Alphonsus Tostatus, Cardinalis Caietanus, Emmanuel Sa Jesuita, et alii, ita hunc locum exponunt: Saul quando primum regnare cœpit, quasi puer unius anni, simplici fuit animo atque innocente: et duobus annis regnavit super Israel, in hujusmodi videlicet puerili innocentia et simplicitate. Quomodo etiam Jonathan Chaldæus Paraphrastes locum reddidit כְּבַר שְׁנָה דְלֵית בֵּיהּ חוֹבִין שָׁאוּל כַּד מְלַךְ, "Sicut filius anni in quo non sunt culpæ, Saul erat quando regnavit." Gilbertus Genebrardus, Chronographus, ita exponit: "Post annum a sua electione (de qua capite decimo) regnare cœpit, sive regni administrationem adiit. Cum autem regnasset duobus annis elegit sibi tria satellitum millia (ut capite 13° habetur)." Laurentius Codomanus, in Annalibus Sacræ Scripturæ, ita: "Saul fuit filius anni in regno suo, et cum regnasset annos duos, scilicet non completos, sed adhuc versaretur in anno secundo regni sui, eligebat tria millia virorum ad militiam." Tremellius et Junius ita: "Agens primum annum Saul in regno suo (duobus autem annis regnavit super Israelem; legitime videlicet, nondum

[n] Loc. Theol. lib. 2. cap. 5. Vide tamen eundem, lib. 2. cap. 15 (pag. 113); et Joh. Lorinum in Act. cap. 13. ubi Saul quadraginta annos regnasse dicitur.

plane rejectus a Deo, et Spiritu ejus destitutus: postea enim, cap. 14, 47, regnum cepisse dicitur, id est, tyrannice occupasse:) Elegit sibi Saul tria millia ex Israelitis."

Jerem. 52. verss. 28, 29, 30. Iste est populus quem transtulit Nebuchadonozor: In anno septimo Judæos 3023: In anno octavo decimo 832. In anno vicesimo tertio, 745. Rabanus in commentariis ad hunc locum ter Judæos a Nabuchodonosoro captos scribit; harumque trium captivitatum numerum hic a Propheta censeri. Primam ponit in transmigratione Joakimi filii Josiæ, de qua 2 Paralip. 36. Secundam in transmigratione Jechoniæ, de qua 2 Reg. 24. Tertiam in Urbis ac Templi excidio, sub Sedechia, de quo 2 Reg. 25. Quæ si vera sententia est (inquit Canus[p]), tres numeri mutandi sunt, ut pro septimo anno in prima captivitate scribatur, Primo: in secunda, pro Octavo decimo scribendum sit, Octavo: pro vicesimo autem tertio in captivitate postrema legi oporteat, Undevicesimo. Respondeo: At quis prudens non potius judicarit falsam esse sententiam Rabani, quam falsatos esse omnes Bibliorum codices, Hebræos, Chaldæos, Græcos, et Latinos? Quare prudenter Emmanuel Sa[q]: "Quidam putant esse errorem in numeris, et legendum, pro septimo, Primo; pro octavo decimo, Octavo; pro vicesimo tertio, Undevicesimo, ut patet ex 4 Reg. 24 et 25, et 2 Paral. 36. Ego id non ausim dicere, potius dicerem de aliis hic translationibus agi quam 4 Reg." Et sane quidvis potius dicendum fuerat quam ad hoc desperatum remedium recurrendum. Dici igitur potest quinque fuisse deportationes a Nebucadnetzare factas. Primam, qua vinctus Babylonem ductus est Jehoiakimus[r] (data fide Nabucodonoseri, in regnum postea remissus desinente tertio, ineunte quarto regni anno, hoc est Nebucadnetzaris primo[s],) quando etiam deportatus est Daniel cum sociis[t]. Atque hujus

[p] Loc. Theol. 11. cap. 5.

[q] In Notationibus in Jer. 52. 28.

[r] 2 Paralip. 36. 6.

[s] Sic Josephus, lib. 1. contr. Apion. ex Beroso refert, Nabuchodonosorum primo anno regni sui quosdam Judæorum captivos in Babylonem adduxisse.

[t] Daniel. 1. 1.

captivitatis hic omnino non meminit Jeremias; quicquid Rabanus dicat. Secundam, qua deportatus est denuo Jehoiakimus, postquam fidem Regi Babylonio datam violasset, sed insepultus extra mœnia Hierosolymi abjectus est, sive ut Jeremiæ, 22. 18. prædictum est, "sepultura asini sepultus[u];" quod factum anno Nebucadnetzaris septimo desinente (octavo enim Jechonias pro patre Rex constitutus dicitur[v]). Scribit autem Josephus[x] tria millia Judæorum Babylonem in captivitatem esse ducta: *τοὺς δ' ἐν ἀξιώματι τρισχιλίους ὄντας τὸν ἄριθμον, αὐτοὺς αἰχμαλώτους λαβὼν ἀπήγαγεν εἰς Βαβυλῶνα.* Atque hæc videtur prima esse deportatio cujus hic meminit Jeremias, quando deportatos scribit anno Nebucadnetzaris septimo Judæos 3023. Tertiam qua deportatus est Jechonias, anno octavo Nebucadnetzaris (ineunte), cum decies mille captivis[y].

1 Reg. 6. numerus 480 corruptus objectus a Cano. Respondeo: Illum jure reprehendit Fr. Ribera de Templi fabrica[z]. . . . .

. . . .

. . . .

Objectus a Johanne Mariana[a], Mich. 5. 2. "Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda." Quæ verba Matth. 2. 6. negatione adjecta citantur, fortassis quoniam Michææ locus vitiatus est Hebraice: nam auctores veteres, Origenes, Cyprianus, illa verba negative citant, et textus LXX. commentariis Hieronymi adjunctus negationem habet. Ex Hebraicis autem codicibus id vitium in vulgatam editionem translatum est[b]. Respondeo: Temere id vitium Hebraicis codicibus adscribitur, cum negatio defuerit non solum in omnibus quæ nunc habentur exemplaribus, sed etiam in iis quæ in Hieronymi et Jonathanis Chaldæi Paraphrastæ temporibus extabant. Nam et ille in Latina versione, et hic in Targum negationem prætermisit: quod idem dicendum de textu LXX. Nam et in editionibus quæ

[u] Vide Polanum in Daniel. cap. 1.
[v] 2 Reg. 24. 12.
[x] Antiqu. lib. 10. cap. 8.
[y] 2 Reg. 24. vers. 12, 14.
[z] T. 8. b. 26. part. 2. pag 11.
[a] Pro Editione Vulgata, cap. 21.
[b] Mar. 1. 104 *a*.

hodie extant (etiam illa quæ e Vaticana Bibliotheca prodiit) legitur, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Atque ita legit Eusebius[c], quanquam in secundo loco Interpres Latinus, præter fidem Græci codicis, negationem addiderit; quod etiam librariorum errore factum in Basileensi editione Augustini[d], et in Ambrosio[e], quanquam enim ibi textum ita citatum legimus: "Et tu Bethleem domus Ephrata, non es minima inter principes Judæ," paulo post tamen subjungit Ambrosius: "Hic tamen, id est, in libro prophetico invenimus, ὀλιγοστὸς εἶ, id est, in paucioribus es. In Matthæo autem, "Et tu Bethleem domus Judæ non es in paucioribus." Neque dubium est etiam librariorum errore negationem adjectam esse ad textum LXX. qui commentariis Hieronymi adjunctus est in Basileensi editione: nam in Mariani Victoris editione expuncta est: quippe cum manuscripti codices Brixiæ eam non haberent: et Hieronymus in commentariis testimonium a Matthæo citatum, nec Hebraico, nec LXX. interpretibus, convenire affirmet: plenissimeque id ipsum ostendat, in libro de Optimo generi interpretandi ad Pammachium, ubi citato loco ex secundo capite Matthæi subjungit: "Hoc exemplum in vulgata editione sic fertur: Et tu Bethlehem domus Ephrata, modicus es ut sis in millibus Juda: de te mihi egredietur, ut sit princeps in Israel. Quanta sit inter Matthæum et LXX. verborum ordinisque discordia, magis hoc admiraberis, si Hebraicum videas, in quo ita scriptum est: Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Considera gradatim, quæ ab Evangelista sunt posita: Et tu Bethlehem, terra Juda. Pro terra Juda in Hebraico habetur Ephrata, in LXX. domus Ephrata. Et pro Nequaquam minima es in ducibus Juda, in LXX. legitur, Modicus es, ut sis in millibus Juda: in Hebræo, Parvulus es in

[c] Demonstr. Evan. lib. 2 (demonstr. 51), lib. 6 (cap. 13), et lib. 7 (demonstr. 4).

[d] De Civitate Dei, lib. 18. cap. 30. (Ubi Lovanienses, ex fide sex Manuscr. omiserunt illud Nequaquam.)

[e] De Abraham Patriarcha, lib. 2. cap. 3; et Observationibus in Michæam Prophetam (quæ in Basileensi editione habentur initio lib. 5 Epistolarum.

millibus Juda." Hactenus Hieronymus; ex cujus testimoniis manifestum evadit, ipsius temporibus, ab editione Hebræa, Græca, et Latina, negationem in hoc Prophetæ loco abfuisse. Unde recte arbitratur Franciscus Ribera[f], ubi in veterum libris negatio legitur, factum id esse, vel librariorum errore putantium ita esse debere in LXX. sicut est apud Matthæum, vel oblivione ipsorum patrum, vel potius perspicuitatis causa, quoniam apertius quod ipsi volebant dictum est ab Evangelista quam a Propheta. Unde et Chrysostomus[g], locum hunc citans, Prophetæ et Evangelistæ verba ita inter se miscuit: "Et alius (inquit) locum, in quo nasciturus erat, ostendit dicens: 'Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam es minima in principibus Juda; ex te enim egredietur dux, qui reget populum meum Israel: et exitus ejus ab initio a diebus sæculi.'" Atque ita responsum est ad argumentum Marianæ ductum a citationibus veterum, et textu LXX. interpretum. Reliquum est ut ostendamus lectionem Hebraicam non pugnare cum citatione, non tam Evangeliographi quam Scribarum et Pontificum, quorum sermocinatio refertur Matthæi capite secundo. Proponam vero ab ipsis Pontificiorum scriptis varias ista inter se conciliandi rationes: ut illo figmento Johannis Marianæ opus non fuerit, Michææ locum vitiatum esse Hebraice, atque ex Hebraicis codicibus vitium in vulgatam editionem transfusum esse. Ac primum Pontificiorum nonnullis[h], (quemadmodum testatur Franciscus Ribera) placuit Andreæ Osiandri sententia: qui ita ista inter se conciliat, ut Hebraicos codices integros, vulgatam editionem Interpretis errore vitiatam confirmet. At ille[i] verba illa Prophetæ: צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה, ita vertenda fuisse, Parum est ut sis inter Chiliadas, seu Chiliarchos, Judæ. quod nihil est aliud quam quod in Evangelio habetur: Nequaquam minima es in principibus Juda. Nam qui inter principes esse dicitur, non excellit aliis principibus: sed

[f] In Commentariis ad 5um Michææ.

[g] In Demonstratione quod Christus sit Deus.

[h] Martin. Martinez, Hypotypos. lib. 6. cap. i. Graiar. in Mich. 5.

[i] In Annotationibus in lib. 1. Harmoniæ Evangelicæ.

si de eo dicas: Parum est, ut sit inter principes; jam principe major esse intelligitur, aut certe cum paucis inter reliquos principes excellere. Et quidem dubium non est, infinitivum לִהְיוֹת, τοῦ εἶναι (ut Græci reddiderunt), verti posse per illud, Ut sis. De voce צָעִיר tantum quæritur, an verti possit per Parvum est, vel Parum est. Duo enim possunt objici: 1, quod צָעִיר masculini sit generis, non neutrius. Contra vero dici poterit, cum sit revera masculini generis, non convenire cum nomine urbis Bethleemiticæ (ad quod vulgo refertur) quod generis est fœminini, quomodo in vulgata editione Latina, contra grammaticam analogiam, locus est redditus: "Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda," pro Parvula es. Hebræos vero, cum neutro genere careant, pro illo nunc masculino uti, nunc fœminino, monet hic Osiander; ut quemadmodum לֹא טוֹב[j], Non bonus, idem notat quod, Non est bonum, hominem esse solum; ita hoc loco צָעִיר Parvus, idem sit quod Parvum est, sive Parum est, ut sis in millibus Juda. 2 Hebraicam vocem צָעִיר non significare quomodocunque parvum, sed adolescentulum, sive natu minorem atque ætate parvulum: ideoque non nisi ridicule posse pro neutro adverbiascere. Hoc argumento Osiandri interpretationem (quam non contemnendam dixerat Whitakerus, nec ille solus, sed etiam apud ipsos Pontificios nonnulli, ut ex Ribera notavimus), non novam solum, sed etiam vanam esse ac falsam, confirmat Christophorus de Sacro Bosco[k], Franciscum Riberam secutus, qui[l] jubet Osiandrum ostendere ubi צָעִיר aliud significet quam adolescentulum, aut parvulum, minoremque natu. Cui quem alium locum designare fuerit opus quam hunc ipsum Michææ, qui est præ manibus? Ut enim demus Riberæ et ejus sectatori Sacroboscano, Scripturam loqui solere de urbibus, non solum ut de mulieribus, sed etiam perinde ac si viri essent, (ad quod probandum profertur ab istis jocularis illa interpretatio LXX. qui locum

[j] Genes. 2. 18.
[k] Defens. Bellarm. Part. 3. cap. 6. pag. 268.
[l] In Commentariis ad Mich. 5. § 20.

Josuæ[m] קִרְיַת אַרְבַּע הָאָדָם הַגָּדוֹל בָּעֲנָקִים הוּא, Urbs Arbæ, is homo maximus inter Anakimos fuit; ita reddiderunt, πόλις Ἀρβὰι, μητρόπολις τῶν Ἐνακὶμ αὕτη,) quomodo tamen ostendunt, Bethlehem dictam esse Parvam, non quovis modo, sed ætatis habita ratione? cum negari non possit quovis potius respectu, quam illo, parvitatis notionem hic fuisse accipiendum. Quomodo et מִשְׁפַּחְתִּי הַצְּעִרָה[n] familiam infimam notat, pro quo Vulgata Latina habet, Cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin; LXX. καὶ ἡ πατριά μοῦ ὀλιγοστὴ παρὰ πασάς τὰς πατριὰς τοῦ Βενιαμίν, eodem vocabulo usi, quo hic in Michæa; quod ad ætatem relatum nusquam opinor ostendere posse Jesuitas. Et cum מִצְעָר passim aliter usurpata occurrat[o], omnino somniasse oportet Christophorum nostrum, dum tam confidenter affirmat vocem צָעִיר non significare quomodocunque parvum, sed ætate parvulum. Atque hæc de prima conciliationis ratione.

Altera ratio est a Ludovico Vive[p] proposita, Jansenio[q], et aliis: Verba Prophetæ cum interrogatione esse legenda, in hanc sententiam: Tu Bethleem Ephrata, num minima es in millibus Juda, aut minor es quam ut numerari possis in millibus vel principibus Juda? ac deinde per sequentia intelligatur negative respondendum esse, quasi dicat, Nequaquam, certe minima es: quia ex te mihi exibit princeps recturus populum meum Israelem. Cum enim Hebræi signo interrogationis careant, ex sensu colligendum relinquunt, quid interrogative sit efferendum; quemadmodum nos sine peculiari nota, ex sensu quæ sunt ironice pronuntianda dijudicamus, ut illud Ecce[r] Adam factus est quasi unus ex nobis, (quemadmodum hic observat Sacroboscanus noster.) Atque hoc dictum per interrogationem, (ut notat in loco citato Vives.)

Esai. 49. 6. ubi Hebr., Parum est ut sis mihi servus, ad

[m] Cap. 14. vs. 15. [n] 1 Sam. 9. 21.

[o] Ut Esai. 63. 18; Job. 8. 17; 2 Chron. 24. 24; Psal. 42. 7.

[p] Ad lib. 18 de Civitate Dei, cap. 30.

[q] In Cap. 9. Concordiæ Evangelicæ.

[r] Genes. 3. 22.

suscitandas tribus Jacob, etc.; LXX. verterunt, Magnum tibi est ut voceris puer meus, ut suscites tribus Jacob. Quia videlicet interrogando ista legebant: quomodo et Chaldæus paraphrastes, qui vertit: Numquid parum vobis est, quod vocemini servi mei? etc.

Extant duo antiquissimi codices Gothici S. Isidori contra Judæos. Extant et Biblia Gothica antiquissima, quæ ecclesia Toletana dono accepit a S. Ludovico rege Galliæ, ut tradunt, et honorifice servant ut pretiosissimum thesaurum: in quibus omnibus legitur hoc loco: Et tu Bethlehem Ephrata, numquid parvula es? etc. Hæc Fr. Ribera. Similiter et Johannes Mariana[s], notat, hanc lectionem Gothorum tempore usitatam in Hispania fuisse videri, cum Biblia Gothica ante sexcentos annos conscripta, quæ in Toletano[t] templo servantur, ita legant. Addit præterea Julianum Toletanum, addita interrogatione, legere: Numquid parvulus es? Quemadmodum et Isidorum[u] (licet genere masculino in fœmininum mutato): Et tu Bethlem Ephrata, numquid parvula es in milibus Juda? quod sensu omnino nihil differt a citatione ejusdem ex Michæa loci quæ habetur apud eundem[v], Non es minima in millibus Juda.

[s] Pro Editione Vulgata, cap. 6.

[t] Libro 1, contra Judæos.

[u] Libro 1, contra Judæos, lib. 1. cap. 11.

[v] Libr. 2, contra Judæos, cap. 3.

Ubi de authoritate vulgatæ editionis Latinæ quæstionem esse dicit Whitakerus, Utrum ea sit authentica Scriptura; fraudem hic ab eo commissam ostendere conatur Christophorus de Sacro Bosco[w]. Quoniam viz. Whitakerus non semel insinuat nullam versionem, quantumvis sinceram et fidelem, esse posse Scripturam; eoque nomine in litem vocatur a Reginaldo[x]. Hic igitur Whitakerum, Authenticam Scripturam nominasse, quo verisimilius calumniaretur; cum illud tantum Concilium Tridentinum declaraverit, Editionem vulgatam esse versionem authenticam, ut quæstio sit, An editio vulgata sit editio authentica necne, non, An sit Scriptura authentica. Respondeo: Sane versio sincera et fidelis, quod ad formam attinet (quæ in sensu sive significatione, ex mente Dei, vocibus et phrasibus imposita, consistit) Scriptura dici potest: non autem quoad primam et originalem materiam (quæ in vocibus posita est) quemadmodum istæ a Bartholomæo Keckermanno[y] distinguuntur. Ad litem vero quam ipse intendit Reginaldus, jamjudum respondit Whitakerus[z] agnoscere se, "Translationes convenientes cum originali textu esse Verbum Dei: quia Verbum Dei non sit idioma, sed doctrina a Prophetis et Apostolis tradita." Id quod Christophorum nostrum latere non potuit, qui[a] sententiam hanc ex Whitakero repetit. Illud tamen recte ibidem addit Whitakerus: "Translationes eatenus tantum pro Verbo Dei agnoscendas, quatenus Authentici textus, a Prophetis et Apostolis exarati, sententiam fideliter exprimunt. Ideoque vulgatam versionem, cum

[w] Part 1. cap. 1.

[x] In Refutatione Reprehensionis Whitakeri, pag. 286.

[y] Systematis Theolog. lib. 1. cap. 8. Rectius vero distingui videntur, ut signum et res signata: *τὰ γὰρ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, τὰ δὲ ἐν γραφῇ τῶν ἐν τῇ φωνῇ*, teste philosopho, *περὶ ἑρμηνείας*. Vide Augustin. de Doctrina Christian. (de signis), et Gretser. p. 545. Vel distinguere ut animam a corpore (animus cujusque is est quisque).

[z] In Responsione ad Reginaldi Refutationem, pag. 235.

[a] Cap. 3. pag. 16.

pluribus in locis corrupta sit, illis quidem in locis Verbum Dei esse non posse." At vero Concilium Tridentinum, cum statuit[a], Editionem vulgatam Latinam ita pro authentica habendam, ut eam nemo rejicere quovis prætextu (ne illo quidem quod a Græco et Hebræo textu dissentiat, quemadmodum antea ostensum est,) audeat vel præsumat; adeoque libros Sacræ Scripturæ, cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis ab omnibus suscipiendos; manifestum est, ex Patrum Tridentinorum sententia, Vulgatæ editionis authoritatem non jam pendere a fontibus Hebraicis et Græcis (quos Pontificii depravatos esse asserunt, et ad vulgatæ Latinæ editionis normam exigendos) sed absolute et per se esse authenticam, atque ita omnibus modis absolutam, ut ipsa omnino non emendanda sit, sed aliæ omnes ad eam examinandæ sint. Ita nimirum eam omnium editionum Dominam constituunt, quod est proprie esse authenticam. Eo nimirum sensu Paulus[b] vetat uxorem *αὐθεντεῖν ἀνδρὸς*, id est, dominari in virum (ut vulgatus interpres vertit), vel authoritatem sibi in virum usurpare. *Αὐθεντεῖν* enim est *ἐξουσιάζειν*, et *Αὐθέντης* est *ἐξουσιαστὴς* (quemadmodum habet in lexico Hesychius), *ὁ ἑαυτὸν ἐπαφεὶς εἰς πάντα, καὶ ὢν αὐτεξούσιος, καὶ μὴ ἄλλου ἀλλ' ἑαυτοῦ ὢν*, quemadmodum optime exponit Etymologus. Et in eandem sententiam ab Accursio[c] expositum est Authentici nomen, quo Novellæ Justiniani imperatoris ab Jenerio appellatæ sunt. "Authenticum est id cui vel ipsi fides adhibeatur, quasi accersitis aliunde probationibus haudquaquam indigeat; vel quod a seipso, non ab alio, dependeat, quemadmodum dicas, Originale. Quemadmodum et is author dicitur, qui ipse facit, non ab alio accipit: et in quojus est potestas et dignitas, nec ab alio pendet. Ut hinc scilicet Justinianum intelligas constitutiones has postremas Authenticas ob id dixisse, quod jus earum ratum esse cuperet nec ambiguum, nihilque jam exoticum ad suam firmitatem desiderans; utpote a se authore quoddam velut Apollinis oraculum profectum."

[a] Session. 4.
[b] 1 Tim. 2. 12.
[c] Accurs. in Authentic. Justinian.

Atque hanc Tridentini Decreti sententiam, si nescit Christophorus, pontificem suum Optimum Maximum, ac alios Doctores Pontificios ejusdem interpretes consulat. Sic enim Sixtus V., in Bulla Bibliis suis præfixa, de Apostolicæ potestatis plenitudine statuit ac declarat, "Vulgatam sacræ tam Veteris quam Novi Testamenti paginæ Latinam editionem, prius quidem universali sanctæ Ecclesiæ, ac sanctorum Patrum consensione, deinde vero Generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apostolica sibi a Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, et indubitata, in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, et explanationibus recipiendam et tenendam esse: tantamque PER SE[d] esse Vulgatæ versionis auctoritatem pronuntiat, tamque excellentem præstantiam, ut majorem desiderare, penitus inane videatur. (Hic recognoscat Christophorus illud PER SE, quod Whitakerum[e] ait homo insulsus reponere potuisse in sua pera.) Ostendit postea Sixtus, se in emendandis Latinis Bibliis aliquando ad Hebræorum Græcorumque exemplaria sibi confugiendum duxisse: "non[f] eo tamen (inquit) ut inde Latini interpretis errata corrigerentur:" concluditque demum in hunc modum: "Quare merito sacra Tridentina Synodus veteris Vulgatæ editionis libros non aliter quam prout in Ecclesia legi consueverunt, pro Canonicis suscipiendos decrevit." Adde Stapletonum[g] controversiæ statum scholastico more ita Tridentini Decreti sententiam aperientem: "Videtur quod Latina vulgata editio Veteris et Novi Testamenti non debet ab Ecclesia pro sola authentica et sacra Scriptura approbari. Sed in contrarium est authoritas summa sedis Apostolicæ et Concilii Tridentini," etc. Hic habet Christophorus ex

[d] Id est, merito suo, remota Ecclesiæ authoritate.

[e] Part. 2. cap. 4 (pag. 162). Vide Part. 1. cap. 4 (pag, 37).

[f] Ita Stapletonus in Relectione Principior. Doctrinal. Controv. 5. quæst. 3. artic. 3. (iu fine); "Recurrere ad Hebraicum vel Græcum et licet et expedit sæpe numero; sed ad id quod obscurum est elucidandum, non ad textum vulgarem falsitatis alicujus condemnandum. Et hoc sensu solam Latinam vulgatam editionem pro authentica haberi Concilium Tridentinum statuit."

[g] In Relectione Princip. Doctrinal. Controv. 5. quæst. 3. Art. 3.

Synodi Tridentinæ sententia, vulgatam editionem Latinam non solum authenticam Scripturam esse (quod inde deduxit Whitakerus) sed et SOLAM authenticam et sacram Scripturam. Unde et nostros perstringit Gregorius Martinus[h], quod ab ea quæ RE IPSA vera et authentica Scriptura est, vulgata nimirum Latina, recedamus: dum Hebræum et Græcum qui nunc habetur contextum, antiquo approbato Latino textui præferendum putavit. Hinc et Wilhelmus Reginaldus[i], Ecclesiam fidelissime Scripturas conservasse asserit, licet non in Græca aut Hebraica lingua. Et Johannes Azorius Jesuita[j] asserit, Græca et Hebræa exemplaria quæ nunc extant, si cum sensu vulgatæ Latinæ pugnant, pro Canonica Scriptura esse nobis habendam Latinam editionem, (multo ergo magis quando inter se consentiunt). Quid multis hic opus est? ipsum Christophorum hic audiamus. "Nostra[k] (inquit) versio continet Scripturam a Prophetis et Apostolis editam: estque ipsa Dei verbum authenticum." Quod vero per authenticam editionem intelligat, idem explicat[l]. "Meminisse (inquit) oportet, in hac disputatione, cum dicimus vulgatam editionem authenticam esse, aliud nos non velle quam eam esse omnino in sententia conformem suo fonti; seu fidelem esse, ac sinceram; proindeque dignam quæ eam authoritatem apud omnes habeat, quæ tali Scripturarum versioni debetur." Isto vero modo codices Hebraicos et Græcos, qui modo habentur, authenticos non esse confirmat Christophorus[m], ubi asserit, "jure se nolle versionem suam ad fontes istos examinari. Non enim (inquit) constat eos cum suis fontibus, id est, primis exemplaribus convenire; quibus tamen conformem esse nostram versionem nos certos facit Ecclesia."

Atque ita videbamur statum hujus controversiæ assecuti: nisi Christophorus, cum videret plurimis in locis vulgatam editionem originalibus Scripturarum fontibus adeo confor-

h In Præfatione Detectionis Hæreticar. Version. Scriptur. § 35, 37.

i In Refutatione Reprehens. Whitakeri, cap. 12 (p. 346).

j Institut. Moral. lib 8. part. 1. cap. 3.

k Part. 2. cap. 10 (pag. 194). Vide pag. 16.

l Cum alibi pag. 7, 16, 162, tum parte 2ª. cap. 7. (p. 173).

m Parte 1. cap. 4 (pag. 34).

mem non esse, ut nullo pacto inter se conciliari possint: distinctionem quandam a quibusdam doctioribus hujus causæ patronis propositam repetendam putavisset[n], per quam elaberetur quoties loca ab adversario objecta aliter solvere non posset. Ut ex eorum numero se esse ostenderet, "qui[o], ut ejus caussæ, quam cupiditate magis quam ratione delegerunt, patroni ac defensores habeantur, de industria alienum statum controversiis accommodant: quo et negligatur veritas, et quod dicant ipsi semper habeant; cum secus jejuni, aridi, et plane infantes apparerent." Agnoscit verba, opinor sua. Sic igitur ille distinctionem suam[p] explicat: "Cum hæc fides ac sinceritas spectari possit vel absolute, vel tantum in ordine ad fidem et mores Ecclesiæ: posteriore modo in disputatione nostra consideratur. Ideoque quod Ecclesia[q] supra definivit, nosque cum Bellarmino defendimus, est: editionem hanc esse sinceram in his quæ pertinent ad fidem et mores: nec multum laboramus, si forte verbulum aliquod in ea desit vel redundet, vel minus commode versum sit, quamdiu prædictis capitibus non præjudicat; sive id acciderit negligentia librariorum, qui vel eam vel fontium exemplaria, ex quibus ipsa manavit descripserunt, sive ignorantia perverse corrigentium, sive quod interpres ipse ita fortasse reddiderit. Hoc est quod paulo obscurius indicavit Bellarminus[r], dum ait Ecclesiam quidem hanc approbasse editionem, non ita tamen approbasse ut asseruerit nullos in ea librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluisse, in iis PRÆSERTIM quæ ad fidem et mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata. Hinc intelligis nisi aliquem errorem fidei vel moribus Ecclesiæ præjudicantem, huic versioni inhærere ostendat, caussa cadere Whitakerum, contra Tridentinum decretum, et Bellarminum disputantem: atque etiam quoties ille alio quam hic collimat, toties extra scopum sagittas dirigere suas; nisi alius quam Tridentina Synodus, aut Bellarminus, sit adversarius." Hæc

[n] Part. 3. cap. 1 (pag. 200).
[o] Part. 1. cap. 1 (pag. 2).
[p] Part. 1. cap. 1.
[q] Synod. Tridentin. Sess. 4.
[r] Cap. 11.

ille. Nec primus tamen ille qui hanc effugiendı viam repperit. Etiam Andreas Vega Hispanus, qui Tridentino Concilio interfuit, multis[s] confirmare nititur. Tridentinos Patres vulgatam Latinam editionem authenticam eatenus haberi voluisse; ut certum omnibus esset, eam nullo fœdatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit: atque ideo adjecisse, Ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet. Cujus rei testem citat Cardinalem Sanctæ Crucis[t] (qui postea Papa Marcellus dictus est) Concilii tunc legatum; a quo illud se inquit, pridie quam hoc decretum rogaretur, accepisse, et postea id ipsum confirmantem et obtestantem non semel audivisse. Et hoc etiam Andradio[u] magis videtur veritati et rationi consentaneum: ita tamen ut nihil de Concilii mente atque sensu statuat, sed veram et integram illius sententiam a Romano Pontifice expectet. Eandem etiam aliorum priorum et catholicorum sententiam esse confirmat Dominicus Banes[v]: quod interpres Latinæ editionis vulgatæ in quibusdam, quæ neque ad fidem aut mores pertinebant, hallucinatus est: atque ita intelligunt Tridentinæ Synodi decretum de vulgata editione, quæ nimirum pro authentica habenda sit in rebus ad fidem et mores pertinentibus. Et "plurimos (ait) se commemorare posse viros Catholicos ac doctissimos, sibi de facie notos, qui in hanc sententiam summa cum modestia Ecclesiæ Catholicæ judicium expectantes, tamen vehementer inclinant. Imo vero si res hæc sola ratione definienda esset, persuasum habent, in Latina editione vulgata quædam loca esse errata interpretis inadvertentia." Scilicet rationi cederent, et in nostram sententiam concederent homines doctissimi: nisi Romanæ Ecclesiæ authoritas velut moles opponeretur, et ne rationi cederet impediret. Tantum opinio præjudicata potest, ut etiam sine ratione (imo et contra rationem) valeat authoritas. Adeo quidem ut Dominicus ille qui aliorum

[s] In Concilium Tridentinum, lib. 15. cap. 9.

[t] Roberti Bellarmini avunculum.

[u] Defens. Fidei Trident., lib. 4.

[v] In secundam Partem Thomæ, Quæst. 1. Artic. 8 (dubio[o] 4).

sententiam libere refert, suam tamen proferre non audeat (utpote in Hispania inter medios Inquisitores agens), sed veritatem sibi cognitam supprimere potius quam proloqui satius ducat. "In re (inquit ille) tam gravi expectanda est Ecclesiæ Catholicæ censura. Unde neque audeo, neque debeo, Ecclesiæ judicium mea sententia prævenire. Scio quidem, si ab Ecclesia interrogarer, quid viva voce responderem: interim tamen pio justoque silentio me contineo. Hoc unum dumtaxat dixerim, vehementer me desiderare, ut contentio hæc inter pios Theologos summi Pontificis auctoritate decideretur, ac componeretur," etc. Quo audacior videri posset Christophorus noster, qui non modo non silentium hic continet, et Romani Pontificis oraculum expectat: sed, quasi res certa esset et explorata, pro concesso sumit, non aliam fuisse Tridentinorum Patrum mentem, quam quæ ab ipso exposita est. Id quod ille, cum nulla vel ratione vel authoritate (præterquam sua) firmaverit: unum ex firmis principiis suis facit, quod Whitakeri nostri argumentis tanquam propugnaculum opponit. Sic enim bellus iste Principiorum architectus[w], "Instar autem propugnaculi nobis sint oportet nostra principia; quæ si constantia sint ac firma, certa effulget spes victoriæ. Ea vero sunt hæc. Primum, corruptiones quæ fidem, et mores Ecclesiæ non attingunt, alieni sunt a præsenti disputatione. Nam ut testificati sumus sæpe, et parte ac cap. 1. demonstravimus, non de hujusmodi in hac caussa quærimus." Hæc ille: tanquam ex tripode. Instar propugnaculi nobis sint OPORTET NOSTRA PRINCIPIA, ait Dictator noster, satis certe pro imperio. Quæ quam constantia sint ac firma (et consequenter quam certa ipsi effulgeat spes victoriæ) consideratis primarii hujus propugnaculi munimentis conjicere licebit. Quomodo vero illud munitum cernimus? "Nimirum testificati sumus sæpe" (inquit ille); quasi si millies hoc testificatus esset Pythagoras noster, illius *αὐτὸς ἔφα* tanti apud nos momenti esse debeat, ut firma ac constantia principia constituat. "Sed et idem demonstravimus" (inquit). Ac vero nos in parte ac capite illo primo quæsitam,

[w] Parte 3. cap. 1.

ne tenuem quidem umbram invenimus. Immo nihil repperimus præter Christophori de Sacro Bosco asseverationem (quæ quanti est apud suos et apud nos esse debebit ponderis, judicent alii) et Bellarmini testimonium, quod ipse tamen paulo OBSCURIUS esse non diffitetur. Nobis vero ita est obscurum, ut plane nullum videatur. Quid enim dicit, in loco citato, Bellarminus? "Ecclesiam videlicet certo nos reddere voluisse, in iis PRÆSERTIM quæ ad fidem et mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata." Ubi illud *Præsertim* mirum est fugisse perspicacissimi Christophori oculos: qui sponte hic videntur caligasse. Alioqui hinc potius concludi potuisse vidisset, etiam in aliis, quæ ad fidem et mores directe non pertinent, erratum non esse, licet in illis præcipue nos certos esse voluerit Synodus Tridentina editionem vulgatam ab Interpretum erratis immunem esse. Unde et paulo ante absolute Bellarminus scripserat: "Dicimus interpretem non errasse in illa versione, quam Ecclesia approbavit." Et antea in eodem capite, Latinam editionem magis a corruptionibus, quam fontes qui nunc habentur, immunem esse, non obscure innuit. Ut frustra Christophorus neget hic Whitakerum habere Bellarminum adversarium. Sed nec ea Concilii Tridentini mens fuit quam fingit Sacroboscanus; in iis tantum quæ ad fidem et mores spectant, vulgatam editionem Latinam pro authentica agnoscendam esse. Nam, 1°, decreverunt, libros sacræ Scripturæ cum OMNIBUS SUIS PARTIBUS, prout in veteri vulgata editione Latine habentur, pro sacris et canonicis ab omnibus suscipiendos. Si omnes partes Bibliorum, prout in Latina editione habentur, pro sacris et canonicis agnoscenda sint, tum non illæ tantum quæ fidem et mores spectant. Alioqui enim ad Historicas narrationes (et eorum circumstantias) quæ insignes Scripturæ partes sunt, non spectaret hic canon. Quæratur, verbi gratia, an sacra et canonica sit sententia illa quæ in Vulgata editione legitur, "Alium[x] quoque genuit, et vocavit nomen ejus Eliezer, dicens, Deus patris mei auxiliatus est mihi, et liberavit me de manu Pharaonis." Respondebitur,

[x] Exod. 2.

opinor, ex Decreti Tridentini sententia, esse sacram et canonicam; quandoquidem ut pars libri Exodi in vulgata editione Latina habetur. Sic enim in similibus caussis Concilii decretum, quasi murum quendam objici posse, ostendit Bellarminus[y]. At vero si liberum relinquatur, ut Concilii verba ad ea tantum quæ fidem et mores spectant restringi possint, aries profecto parabitur, quo murus ille Bellarminianus funditus possit dirui. Historica enim illa proprie ad fidem non pertinent: nisi dicamus in sacra Scriptura nihil esse quod ad fidem non pertineat. Ex qua hypothesi etiam illud sequetur quod volumus, omnia quæ in vulgata Scripturarum editione habentur, pro authenticis a Patribus Tridentinis esse comprobata. 2°, Ubi Lex non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus, sicut dicunt jurisconsulti. Synodus vero Tridentina absolute loquitur, cum vulgatam editionem Latinam pro authentica habendam statuit: neque limitationem hujusmodi adjecerunt. Quæ quidem cum tanti fuerit momenti, et tam facile posset adjici: sine dubio ita non præteriissent, si decretum suum eo modo voluissent intelligi. 3°, Quod Concilium addit, "ne ullus illam quovis prætextu audeat rejicere: id profecto evidenti argumento est, in omnibus omnino locis, et quod attinet ad omnes Scripturæ sententias, esse hanc editionem ut authenticam a Concilio approbatam. Secus enim prætextus aliquis superesset, quo, non obstanti hac definitione Concilii, posset aliquando ea editio in disputationibus rejici: nempe si diceretur, in hoc certe aut in illo loco non esse hujus editionis auctorem Spiritus Sancti mentem assecutum. At, ne ullo unquam prætextu hæc editio rejiceretur, omnino voluit Concilium prohibere. In omnibus igitur locis eam haberi voluit pro authentica. In hunc modum pro genuina sententia Decreti Tridentini argumentatus est Gregorius de Valentia[z]. 4°. Ulterius decreverunt Tridentini Patres vulgatam editionem pro authentica habendam esse (ita ut eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat) in publicis lectionibus, disputationibus,

[y] De Verbo Dei, lib. 1. cap. 7.

[z] In Analysi Fidei Catholicæ, lib. 8. cap. 5.

prædicationibus, et expositionibus. Et postea Sixtus V.[a], pro vera, legitima, authentica, et indubitata in omnibus publicis PRIVATISQUE disputationibus, lectionibus, prædicationibus, et explanationibus, recipiendam et tenendam esse. At in disputationibus, non solum de rebus ad fidem et mores pertinentibus agitantur controversiæ: in lectionibus vero, prædicationibus, ac expositionibus, ea omnia tractari quæ in corpore Bibliorum continentur (non ea solum quæ ad fidem et mores spectant, nisi omnia quæ in sacra Scriptura habentur ad fidem pertinere dicamus) manifestum est. Atque hinc Anglo-Rhemenses totum Novi Testamenti contextum (non ea tantum quæ ad mores et fidem pertinent) ex editione vulgata Latina, non ex fontibus Græcis, exprimendum sibi putaverunt. Si nihil aliud sanxissent Tridentini, quam sinceram esse hanc editionem in iis quæ ad fidem et mores, nihil magni de ea pronuntiasse, non esset illa melior nostris translationibus: saltem si paucula quædam in illis emendentur. Nam in Veteri Testamento Leonis Judæ cum Vatabli notis a Salmanticensibus edito, Novi Testamenti Latina versione, Tremellii ex Syriaco (et Bezæ, opinor, cum eadem conjuncta ex Græco) nihil in fide et moribus devium reperire potuerunt censores Belgici in Indice Expurgatorio[b]. Imo nostræ versiones, Tremellii puta illa (et Bezæ forte) præferendæ essent vulgatæ Latinæ. Nam cum hac quidem in re pares sint, in aliis quæ ad fidem et mores non spectant, propius accedere ad fontes, eorumque ἐνέργειαν, elegantiam, etc. propius exprimere quam vulgatam illam manifestum est.

Postremo, quid hic amplius desiderari possit, cum illud quod tantopere Andradius, Dominicus Banes et alii optaverint, præstiterit postea Sixtus V. Romanus Pontifex, in Bulla Romæ anno 1589 promulgata. Cum enim ibi diserte neget ad Hebræorum Græcorumque exemplaria esse confugiendum, ut inde Latini interpretis errata corrigantur; tantamque per se esse Vulgatæ editionis auctoritatem astruat tamque excellentem præstantiam, ut majorem desiderare, penitus inane videatur, totam controversiam mihi plane diremisse videtur. Ut hic Christophoro nostro cavendum

[a] In Bulla Editioni suæ præfixa.

[b] Pag. 217.

sit, ne adversus authoritatem pontificiam rebellis deprehendatur. Verum quidem est Pontificiorum aliquos, qui post Concilii Tridentini decretum (sed ante prolatam Sixti V. sententiam) scripserunt, in quorum numero ab Azorio Jesuita reponuntur Vega, Sixtus Senensis, Canus, Payva, Lindanus, fateri aliquos esse in vulgata editione errores, non solum vitio scriptorum, sed etiam ipsius Interpretis incuria vel ignorantia. Qua vero ratione inducti in sententiam hanc concesserint, ex Dominico Banesio[c] possumus intelligere. "Quoniam (inquit) cum fiant argumenta ad solvendum difficillima, et quæ more humano videntur convincere quædam esse errata in vulgata editione quæ non sunt magni ponderis ; si hæc ipsa negaverimus, fortassis hæretici nos ignorantiæ, aut proterviæ redarguent, atque apud suos infamabunt, et reliqua magni ponderis, et quæ ad fidem aut mores pertinent, quæ ipsi in vulgata editione errata esse contendunt, putabunt, nos simili protervia clausis oculis defendere." Scilicet vulnus suis partibus a nostris inflictum dissimulare non potuit Dominicus utcunque illud alto pectore conetur premere Gregorius Valentianus. Sic enim ille[d] rem istam satis confidenter definit. "Nam de locis quidem aliquibus minutioribus non pertinentibus ad ipsa dogmata fidei, aliqua potuit esse controversia quamdiu Ecclesia nullam editionem Bibliorum speciali definitione approbavit. Jam vero, post Concilium Tridentinum DUBITARE NON LICET, quin editio vulgata vetus, quæ imprimis a D. Hieronymo partim conscripta, partim emendata est, divinam doctrinam contineat, sitque per omnia in sensu quidem concors ille Scripturæ, quæ primo ab auctoribus sacris Spiritu Sancto dictante est excepta." Tum vero nostra argumenta quasi levissima et nullius ponderis (quæ difficillima tamen sensit Banesius) uno verbo amoliri nititur[e]. "Et certe (inquit) quod ad rem ipsam attinet, nihil adversus hanc editionem objiciunt

[c] In 1 partem Thomæ, quæst. 1. artic. 8.

[d] In Analysi Fidei Catholicæ, lib. 8. cap. 5.

[e] Similiter Rob. Personius, in Controversiarum Epitome, (homo scilicet Hebraice valde peritus,) "Objiciunt multa loca ex editione vulgata, quæ conantur convincere erroris. Sed omnia facile defenduntur collatione Hebræi Græcique textus."

Sectarii, quod alicujus sit ponderis. Nam quod illam ab Hebraicis aut Græcis exemplaribus discrepare dicunt, id vel falsum est, si correctiora exemplaria inspiciantur, vel certe quod ad ipsam sententiam attinet nihil interest." Hinc etiam Jacobus Gretserus Jesuita[f], "Hæc vulgata versio (inquit) authentica est, eo quod Spiritus Sanctus interpretem ita gubernavit ut a sententia divina nusquam avius abiret et exorbitaret. De hujus interpretis prærogativa ac privilegio certos ac securos nos reddit columna veritatis Ecclesia" (pauculi videlicet illi Tridentini Episcopuli[g]). Postremo Johannes Azorius, Hispanus Jesuita[h], necessitate victus, a Vega, Cano, Sixto Senensi, Payva, Lindano, secessionem facere, et controversiæ hujus statum in hunc modum informare cogitur. "Quæstio est, utrum vulgata editio, a Concilio Tridentino approbata, ita sit perfecta, ac si omni careat errore, ut verius verti non potuerit." Et "mihi (inquit) verior esse videtur eorum sententia, qui existimant Latinam non modo in rebus fidei et morum omni errore carere, sed cæteris quoque omnibus præcellere. Quare licet aliqua clarius, significantius, proprius, et latinius reddi potuerint, non tamen verius, aut simpliciter, certius." Hæc ille. Ut etiam atque etiam videndum sit Christophoro nostro, ne dum alienum causæ huic statum conatur affingere, non modo ab Anglo-Rhemensium sodalitio, et aliorum decreti Tridentini propugnatorum sententia, sed etiam a suæ Societatis Theologis, addo etiam a Romano ipso Pontifice, et Synodo Tridentina (cujus se patronum videri voluit) recessisse deprehendatur.

Et de statu quidem præsentis controversiæ satis jam multa dicta sunt. Argumenta illa consideranda nunc veniunt, quibus absurdum istud Pontificiorum dogma a nostris convellitur.

[f] In Defensione capitis 10, libri 2, Bellarmini de Verbo Dei, col. 542.

[g] Vide et col. 545 D. Adde et Riberam ("egregium illum Scripturæ interpretem," ut appellat Christophorus) in Habacuc 1, p. 520, col. 2.

[h] Institut. Moral. lib. 8. cap. 3. § 4. (Vide ibi ejus rationes.)

END OF THE FOURTEENTH VOLUME.

Princeton Theological Seminary Libraries

1 1012 01196 5656

DATE DUE

MAY 1 5 1995			
			Printed in USA

HIGHSMITH #45230